


CONSIDERATIO
RELIGIOSI STATUS
TRIPARTITA,

Per Patrem MICHAELEM à Visitatione B. M. V. Scholarum Piarum.

Spirituali fructui & vsui publico
PORRECTA.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JUSTINIANO BERNARDO ZARUSKI,


Sacri Ordinis Cistertiensis
ABBATI SVLEIOVIENSI,
S. R. M. Secretario
CONSECRATA.

Anno Domini 1698.

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum.

EPIGRAMMA

Super Gentilitia ZARUSCIORUM Rastra.



Rastra super ternos surgunt ZARUSCIA colles,
Et veluti celebri functa labore vacant;
Nam fortuna suos illis implevit acervos;
Gargara virtutum sunt opulenta domi.
Totaq; iam campo collecta est messis honoris:
Et sic sunt Rastris ocia facta tuis.



Perilluſtri & Reverendiſſimo Domino,

DOMINO

JVSTINIANO BERNARDO ZARVSKI,

Sacri Ordinis Ciſtercienſis Abbati Suleiovienſi,

S. R. M. Secretario,

Domino & Patrono Noſtro Colendiſſimo.



Ripartitam Religioſi Statûs conſiderationem Tibi præſentamus, Abbas Reverendiſsime. *Michaël à Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis in Provincia noſtra Decanus, & de Scholis Pÿs, tum ob doctam juventutem, tum ob optimè geſtos Rectoratus, & ter adminiſtratum prudentiſſimè Provincialatum meritiſſimus Pater, Operis hujus eſt author, quem eò libentiùs ſtatuimus, quò ætatis ſeptuageſimum primum,*

)(

mum,

mum, Religioſæ verò vocationis ultra quinquageſimum annum agenti, eadem ætate & Religioſi Statûs profeſſione æqualis, aut ſuperior es. Non reſpues veteranum militem, utpote in Sanctiſſimo Ciſterciensium Ordine ipſemet anteſignanus. Multùm ille ſumpſit ex melliflui Bernardi doctrinâ, ad Bernardum ergo pertineat, quidquid eſt Bernardi. Diu luctabamur cum illius modeſtia, ut cum ſuo Opere in publicum prodiret, ſed modò promptè Tibi ſiſtitur, poſtquam, quas exercuit & docuit, dignas Religioſo Viro virtutes in Te ſtupet. Quanquam non ad illum tantùm Religioſitatis Tuæ pervenit fama, quæ omnibus abundè eſt nota: nec Gentilitij Tui colles in tam declivi poſiti, ut unius ſpectentur oculis; Orbem univerſum in ſui admirationem vocant, & quò cultiores omnium conſpectui pateant, circumferunt avitum Raſtrum. Pulcherrima hinc non natalium tantùm, ſed & omnigenæ virtutis cultura, eòq; glorioſior, quò nec generis nobilitas virtutem nauſeat, nec virtus à nobilitate n[illegible]ſcatur. Annos vix quindecim natus Ciſtercienſi militiæ nomen dediſti, ubi Tyro adhuc, et iam in fervore Spiritûs Giganteâ currebas viâ. Unde Suleiovienſis Communitas Te ad exteras nationes miſit, ut

ſit, ut non politioris tantùm, ſed & ſanctioris vitæ normam diſceres, & non memoriæ ſoli, ſed & jugi exercitio traditam, in Poloniam adferres. Nôrunt, *& ſæpius indolent ordinatiſſimi aliàs Religioſorum cœtus, qui poſtquam ex alumnis ſuis peregrè in Regiones longinquas expediverunt, ab iisq; reducibus correctiores præſtolantur mores, & vel Benedicti Caſſinum, vel Bernardi Claram-Vallem cum illis venturam exiſtimant; inveniunt tandem quantùm ad politiem & exterarum linguarum peritiam optimè illos profeciſſe, ſed è contra omnem Religioſitatis concinnitatem dedidiciſſe; ut Religioſi Spiritûs aut nihil collegerint extra, aut ſi quem è domo eduxerint, in via totaliter perdiderint. Tu è contra Religioſitati doctrinam, doctrinæ Religioſitatem junxiſti, & his bigis vectus, ita Ciſtercienſem Orbem peragraſti, ut ubiq; Bernardi virtutum non teſtis tantùm eſſes, ſed & hæres. Suleioviam Tuam redux, ſine mora admotus es regimini: quandoquidem Sanctiſſimus loci iſtius Cœtus optimè prævidit, Religioſæ vitæ leges ſibi dici, & jura ſcribi à nullo meliùs potuiſſe, quàm à Juſtiniano. Ibi quis fueris, ipſam etiam modeſtiam Tuam fama prodidit. Contribulis Tuus & idem tecum Grabita* Caſimirus Io-

 annes

annes Szczuka, *Abbas Paradisiensis & Episcopus Culmensis, quanti virtutem & eruditionem Zaruscianam æstimavit, continuæ testabantur literæ, quas ad invicem scripsistis eâ styli elegantiâ & verborum pondere, ut vel Joannem Lipscium, vel Justum Lipsium revixisse crederemus. Processit ulteriùs Tua,* Abbas Reverendissime, *Suada, & ad Divina se contulit, ubi amores JESU, & devotissimo, & eruditissimo stylo tractare cæpisti. Vix alius melior in hac arte amandi Magister, quàm Tu; nisi quòd castissimus ille amor, non filium Veneris Cupidinem, sed natum de Purissima Virgine JESUM spirabat. Quantùm Reginali* Mariæ Casimiræ *Majestati, quantùm Principibus in Polonia Matronis, tam sanctæ cum delectabili JESU deliciæ placeant, vel hinc colligendum, quòd omnium prensentur manibus; & nulla se in amore erga DEUM profecisse existimat, nisi priùs Zaruscij incitamentis allecta. Nec aliena hæc â provectæ ætatis Sene occupatio: cùm benè scimus, & Bernardum habuisse Christi Sponsas, quibus de modo benè vivendi libros inscriberet; & Seniorem longè Bernardo Hieronymum, è Bethleemica etiam specu ad Paulam & Eustochivm toties scripsisse,*

pſiſſe: ut poſtquam abnegaverint omnem mundi volupiam, in unico JESU delectarentur. Facilè JESUM conciliat, qui nullo libidinis æſtu aduritur; & optimè ſanctum amorem ſuadet, pro quo non veneranda tantùm canities, ſed probata per integrum vitæ curſum verecundia validiſſimè pugnant. Sed parum Tibi fuit, fortiſſimis etiam Amazonibus arriſiſſe, niſi Hectoris vel Achillis pectus occupares: neq́ ſatis viſum ab unica Maria æſtimari, niſi à marito quoq́ Honorio obtinueris palmam. Is fuit Sereniſſimus Ioannes Tertius, qui non contentus liberis Suleiovienſis Ciſtercij Suffragijs Te in Abbatem electum, etiam ſuum calculum addidit; & quò citiùs Te ſuum ſortiretur Præſulem, Regium, & ſimul egregium adhibuit conatum. Nec ſatis erat Maximo Monarchæ, Te Suleiovienſibus admoviſſe Vittis, Pontificiæ quoq́ Infulæ, & Senatoriæ deſtinabat Purpuræ, niſi Tua omnis honoris fuga Regiæ inclinationi obſtaculum feciſſet. Abſq́ Præſuleis tamen Scipionibus Tu ſtas in ſublimi, quem & Ordinis Tui meritiſſimi Abbates, & Infulata Poloniæ capita, & omnes Regni Proceres ubiq́ ſuſpiciunt & venerantur. Sed

Panegyricum Tibi texere videmur, cùm Tu ab omni encomio alienus laudanda agere mavis, quàm acta laudari. Nihil ergo palpo, nihil fuco damus, solùm cum Religioso Michaëlis nostri opere ad Te accedimus, ut si ille inter nos aliquis Guilbertus est, Tu peritior Bernardus eundem in societatem & similitudinem scriptionis Tuæ admittas. Non solus ille Te convenit, sed nos omnes, quos Varsaviæ simul & Petricoviæ amplissimis beneficijs cumulas. Accedit & id ad Nominis Tui famam, quòd Illustrissimus Antonius Stanislaus Szczuka ex Regni Referendario, & Comitiorum Mareschalco, Magni Ducatûs Lithvaniæ Procancellarius Szczuciniј nos fundat, ubi intra triennium non planè integrum, Collegio munificentissimè erecto, & Basilicæ fundamentis positis, coloniam nostram deducit. Non possumus sub tanto Triptolemo desides esse operariј, à cujus Gentilitio Rastro & culturam libenter discemus, & amœnitate avitorum illius Collium capti, eam aggrediemur messem, ex qua & Masoviæ Juventus nobilis, & Brandeburgiæ vicinia non inuberem proventum expectet. Equidem solius Szczukovii opus id est, & benefici in nos

affectûs

affectûs perpetuum testimonium, sed cùm beneficentia tanta ex Grabitarum procedat Domo, ad Te quoq; pertinere hanc laudem credimus, qui non Insignium tantùm societate, sed & Sangvinis cum Grabitis nexu, quia Grabita simul Zaruscicus, simul Szczukovius es. Finem tandem Dedicationi ponimus, nec aliud â Te petimus, nisi ut huic Tripartitæ Religiosi Statûs considerationi Patronum agas: meliùs patrocinium sperare non possumus, quàm à Te quem in hac sacra militia iam pridem agnovimus, auctoritate Imperatorem, pugnandi peritiâ Antesignanum.

Perillustri & Reverendissimo
Nomini Tuo

Devinctissimum

Collegium Scholarum Piarum
Varsaviense.



PROOEMIVM.

ETsi plurima jam exstent passim ac circumferantur Sanctorum Patrum ac Doctorum Opera, quæ palam Religiosæ vocationis viam non docent tantùm, sed etiam quasi intento digito demonstrant vnicuiq; nostrum, & qua sit eundum & qua sedulitate, fervore, ac spiritu pretiosus hic thesaurus (idest Religiosa Vocatio) in vasis verè fictilibus, habendus sit, tamen nescio, quanam id fiat infelicitate nostrâ, quod in tanta doctrinæ & instructionis vbertate, nihilominùs errare gravissimè contingat, ita vt ex innumera multitudine vocatorum â mundi vanitate, vanaq; conversatione in admirabile Dei, Statusq; Religiosi lumen, & gratiam, multos invenias, in quibus: [a] *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum, etiam illum qui fuit olim sine malitiâ.* Et cùm Spiritualium exercitationum Religiosæ vocationi plurimum servientes libri libelliq; Bibliothecas occupent omnes, semper tamen reperiuntur, qui sensa quoq; sua depromunt & scripto consignant; non tam in humano sensu suo, quàm Divino Spiritu afflati, sibi magis, quàm alijs eam, quam ad profectum suum ex librorum hauriunt lectione, doctrinam tradituri; nec

[a] *Sap*: 4. 12.

ad eruditionis oſtentationem (quæ cæteroqui foret extrema quædam inſania) ſed ad ſuammet ipſorum vel inſtitutionem vel non invtilem recordationem : vt videlicet in ijs, quæ laudabiliter, & ſanctè facta ſunt, ac fiunt ab alijs, ad DEI gloriam; Dominum DEVM laudent; eadem imitentur, & quantùm per humanam imbecillitatem licet, ipſi quoq; ſtrenue exerceant. In alijs autem, quæ perperam facta religioſæ Profeſſioni minimè conveniunt, & humanâ miſeriâ dolere, ſive (quod vulgo dicimus) compati diſcant, vel ad cautelam ſuam illa fugere vel judicia DEI, quæ ſunt abyſſus multa, ad ſervorum ſuorum humilitatem, & eruditionem ſimilia permittentis admirari, ac venerari: vel deniq; vt in religioſa profeſſione, dum aut ob ætatem ingraveſcentem, aut ob virium tenuitatem gravioribus, qui ſine notabili defatigatione non exercentur laboribus animum & corpus amplius applicare non poſſunt, honeſtè ſe ſe occupent; otiumq; tàm ſenibus, quam ijs qui corporis viribus invalidiores ſunt, pernicioſſimum à ſe proſcribant.

Cæterum ego ad huius opellam argumenti, quod hic tripartitò diſtribuendum, ſcribendo ſuſcipio; duabus impulſus fui cáuſis. Prima fuit; quòd, cùm oblatus mihi fuiſſet libellus, à *P. Carolo Roſignoli Soc: IESV* de prudenti electione ſapientiſſimè ſed Italico conſcriptus idiomate, & non inutile theorema Latine vt redderem rogatus à quibuſdam, operam non detrectaſſem, Italicæ linguæ licet parum peritus, non tantum

lectio-

lectione libelli delectatus sum ; sed etiam admiratus spiritum, prudentiam, & energiam, quâ de Prudenti Electione prudentissimè scripsit. Sed quia plerumq; , postquam statum religiosum (ad hujus enim electionem inter alios omnes totus ille collineat, & inducere conatur) postquam Statum , inquam religiosum quis sibi sapienter elegit, magnoq; spiritu suscepit , insuper ad eligentem ac profitentem animadverti pertinere, vt susceptam elctionem custodire studeat diligenter; & si per conditionis humanæ inconstantiam (vti passim videmus) à statu suo contingit religiosum deficere, rursum resipiscere, frugiq; fieri conetur, Deo præsertim ad pænitentiam nunquam non vocante: ideo nonnulla quæ ad electionis susceptæq; vocationis custodiam spectant, duxi colligenda collectaq; omnia ad primam huius argumenti referenda partem. Ad alteram vero causas quæ vocationem religiosam evertunt adferre conabor. In tertiâ parte ea, quæ ruinam religiosæ vocationis instaurent, adnotare incitamenta. Et ideo quoq; huic opellæ Tripartini titulum præfigo, tanquam tribus in patinis ad mensam Spiritualium ferculorum spiritualiter mandendorum, triplex vnicuiq; genus propositum Religioso considerandum.

Altera quæ me ad hæc notanda, scribendaq; impulit, causa est; vt ætatem meam supra sexagesimum quintum annum & Menses octo iam ad occasum declinantem, & à communibus instituti laboribus, laborio-

ſiſq; miniſteriorum functionibus vacantem, feriantemq; nihilominus ab otio qualitercunq; vindicem, alias otii ſemper inimicus.

Itaq; DEO per omnia, non autem ingenio, ſcientiæq; (quam ego per exiguam in me reperio) confiſus aggredior propoſitum argumentum: quod qualecunq; demùm eſt, probandum aliis, aut improbandum, nihil anxius, libens ſuſcipio. Et cum alii multo præclariora, verè ſpiritum religioſum doctrinam, & ſanctitatem ſpirantia ſcripſerint iam, & adhuc in hac materiâ ſint ſcripturi, plerumq; propterea de religioſis Ordinibus in Eccleſia meriti ſint beneq; merituri; ego poſtremam hanc opellam ſi forte in Lectoris cuiuſpiam inciderit manum, nullius alius operi vel præfero, vel æquiparo: tantum cum Sancto Hieronymo concludo: [b] *In templo DEI offert vnuſquiſq; quod poteſt. Alij aurum, alij argentum, & lapides pretioſos; alij byſſum, & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum. Nobiſcum bene agitur ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos.*

b *S. Hier: in Prol: Galeato.*



Facultas Ordinarÿ loci.

TRipartitum Religiosi Statûs opus à Theologis examinatum, probatum, immò & à Superioribus ipsis, Nos authoritate Nostrâ Ordinariâ probamus, & typis dari permittimus in Dioecesi nostra Posnaniensi.

Varsaviæ die 26. Iulÿ 1695.

Stanislaus Episcopus *m.p.*

Censura, & Facultas Reverendi Patris Provincialis.

LIbrum, cui Titulus: *Tripartita Religiosi Statûs, consideratio*, per P. *Michaëlem à Visitatione B. MARIÆ Virginis* in Religione nostra Professum, conscriptum, & cùm à me, tùm à Thelogis nostris, (quibus id muneris commissum fuit,) censum, & examinatum, quoniam nihil in se Catholicæ fidei, & Theologorum placitis adversum continet; imò religiosam studiosè perfectionem consectantibus admodum serviat, parando nimirùm, tenendo, restaurandoq; per accomodus spiritui; dignum luce publicâ judico, & respectivè datâ mihi potestate ab *A. R. P. Nro Francisco à S. Petro Præposito Generali* imprimendi facultatem, si ijs, ad quos spectat, ità videbitur, libens impertior. In cujus rei fidem has manu propriâ, & Officij Sigillo munitas dedi Podolinij die 12. Maij 1695.

Vincentius à S. Iosepho
Præpositus Provincialis
mmpp.

Theo-

Theologorum Nostrorum
Censura Examinatorum.

EX commissione *P. N, Vincentij à S. Iosepho, Clericorum Regularium Scholárum Piarum per Poloniam Præpositi Provincialis*, Opus, cui Titulus: *Tripartita Religiosi Status Consideratio*, per Patrem itidem nostrum *Michäelem à Visitatione B. M. V. exProvincialem* conscriptum, diligenter perlegimus; in quo nihil non sanam doctrinam, & verbum irreprehensibile continens reperimus. Totum itaq; non minùs eruditè, quàm sanctè, & vtiliter, ac planè ad Authoris sui maturum sensum, multamq;, & longam experientiam, concinnatum recognoscimus; proindeq; dignissimum judicamus, & optatissimum habemus, vt, (si ijs, ad quos spectat, videbitur,) typis mandetur. Dat: in Collegio Nostro Scholarum Piarum Varsaviensi die 17. Iulij Anno Domini 1695.

Benedictus à S. Catharina V. & M.
Professor Theologiæ.
mm. pp.
Samuel à S. Anna Profes. Theol.
mm. pp.



TRIPARTITA Religiosi Statûs CONSIDERATIO.

In qua

Primò, ea, quæ vocationem religiosam custodiunt;
Secundò, quæ vocationem eandem evertunt;
Tertiò, quæ ruinam ejus instaurant,
proponuntur.

PARS I.

De *Religiosæ vocationis custodia.*



Ac primâ parte, quantum fieri poterit, auspice DEO, colligemus ea, quæ pertinent ad religiosæ vocationis, professionisq; custodiam. Quia sicut in omni statu lucris, & rerum accessioni destinato

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri;

sic & in religiosa vocatione, quæ quædam ad æternæ salutis acquisitionem accessio est, non minor est virtus eandem in se tueri, diligenterq; custodire vocationem; quàm Deo, qui ex infinitâ miseratione suâ vocationis

operatus est opus, ad religionem vocanti consensisse. Imò dicam; majoris aliquando virtutis est, vocationem & professionem religiosam sedulò custodire, quàm electum sibi statum anteà suscepisse. Nam incipere, hoc in genere, multorum est; perseverare paucorum. Ille tantùm perfectus, & beatus est, qui ad finem usq; constanter perseverat.

CAPVT I.

§ *I.*

Non satis sit ad religionem vocatum esse; verùm & vocationis adsit accurata custodia.

I. NOn frustrà Dominus Episcopum Ecclesiæ Philadelphiæ monuit per Apocalypseos scriptorem: [a] *Tene, quod habes; ut nemo accipiat coronam tuam.* Est enim suscepta vocatio thesaurus inimico generis humani tam invidiosus, ut nullum non moveat lapidem ad eum eripiendum. Confunditur ille, victum, subactum, & conculcatum se constantiâ sæculo jam expediti. Sed quãtò majorem ille reportavit ignominiam; tantò majores admovet machinas; subsidiarias plures conscribit copias; callidiores struit insidias; ut fraudem inferat; dolo capiat, offam sibi sapidissimam rapere, thesaurum pretiosissimum suffurari; vocationem, jam & per vota firmatam, si non statim à fundamentis evertere, saltem majori ex parte primò infirmare, deindè magis, ac magis convellere, tandem penitùs in ruinam pertrahere, possit. Et quia vocatio religiosa corona quædam est, pignoris ad æternam vitam olim possidendam vices, & locum sustinens; ideò vult eam Deus accuratissimè custodiri: *Tene, quod habes; ut nemo accipiat coronam tuam.*

[a] *Apoc.* 3 11.

2. Cogita namq;, si princeps aliquis, vel auri notabile pondus, vel gemmam omni præstantiorem auro, fidei tuæ tra-

traderet custodiendam; quantâ solicitudine, quantâ curâ, quo studio (quamvis alioqui nullius præmij certus, sed tantùm ut principi gratificeris, quid si & jus in te habentem timeas?) quo studio, inquam, traditum tibi depositum servares! quàm sedulò, quàm firmo, tantùm non centum clavibus aut seris occluso, quàm occulto scrinio reconditum custodires! omnis cogitatio tua nusquam magis esset defixa; quàm in unius hujus conservatione depositi; forsitan & somnum non unius noctis ea tibi eriperet cura; & vix aliquem cibum cum voluptate caperes; donec denuò, quod tibi traditum est, restitueres principi; teq; tanti pretij custodiendâ re liberares.

3. Jam religiosam vocationem, thesaurum non in æneis, ferreis, aut adamantinis, sed *in vasis fictilibus*, habemus absconditum, non terreni principis auctoritate, sed summi Dei gratiâ liberalissimè creditum, charitatis erga nos suæ, & beatitudinis æternæ pignus, non frustrà, nec mercede vacuum, sed inæstimabilis sperandi præmij vinculum (o! Dei erga hominem liberalissimus amor, & amoris incomparabilis arrhabo!) quâ curâ, labore, & studio veniet custodiendum? Hujus conservationi dies omnes, noctes, & momenta singula, curæ, & cogitationes omnes impendendæ sunt. Et quantò majoribus insidijs, ac machinationibus hic thesaurus expositus est; tantò majore vigilantiâ, sedulitate, & solicitudine ad ejus custodiam est opus.

4. Undè recitata superiùs Apocalypseos verba Cornelius à lapide dum exponit paraphrasticè, *Retine constanter*, sensum suum scitâ ratione sic cõfirmat: significari videlicet eâ cautione non tàm initium, quàm assiduam benè coepti continuationẽ: id est; ut nullam diem, horam, ac momentum elabi sinas, quo tam pretioso thesauro custodiendo non advigiles: [a] *Significat enim* (doctissimi viri sunt verba) *actum non inchoatum, sed continuatum*. Per coronam autem non permittendam, ut aliûs obnoxia

[a] *Cornel. in Apoc. cap.* 3. *v.* 10.

fiat rapinæ, sanè spiritualis, ac religiosæ vitæ statum, quem semel quis electum prudenter apprehendit, intelligunt Interpretes non pauci: inter hos (ut alios omittam) Joannes de Sylveira religione simul, & doctrinâ spectatissimus, postquam locum eundem ex Syriaco citavit, b *Cave; ne quis accipiat coronam tuam*, sapienter addit, *cœlestis scilicet conversationis, per quam æternæ gloriæ splendore condecorabitur*, evidenter innuens; vocationẽ nomine *cœlestis conversationis* explicatam, esse coronam temporaneam quidem, sed quæ diligenter custodita, sine dubio æternæ gloriæ, quæ demùm ultima, cõsummataq; sanctæ conversationis est corona, pondus operatur. Sed advigila sedulò; ne primam hanc coronam, super quâ fundatur altera, tibi eripiat inimicus, vocationis, & professionis tuæ perpetuus insidiator.

5. Et licèt cõmunis Theologorum sententia sit; eum, qui prædestinatus est ad gratiam, & ad gloriam, posse quidem ejusmodi prædestinatione excidere; & frustrari; cùm gratia prædestinationis etiam ad gloriam sit accidentalis: ordinariè tamen non fieri. nihilominùs quia susceptæ vocationis gratia (cujus aliquomodo jam certus es) quoddam est fundamentum gratiæ perseverandi, atq; coronam illam alteram, id est, prædestinationis ad gloriam (cujus adhuc incertissimus es, nisi divinâ revelatione edoctus) æternæq; vitæ, seu gloriæ præmiũ promerendi; ideò, *Tene, quod habes*; instituti suscepti coronam non perfunctoriè, sed magnâ custodi vigilantiâ; *Vt nemo eam tibi accipiat*. Non curat inimicus; an alius, & quisnam alius coronæ tuæ successor, & possessor futurus sit; ipse modò deturbet te de statu tuo: contẽtus uno te nunc est; de alio, & de alijs machinabitur aliàs, & alibi: tu verò *Tene, quod habes, & retine constanter*.

b Ioan. de Sylveira to. 5. lib. 7. cap. 3. num. 25.

§ II.

Duo præcipua custodiendæ vocationis præsidia: Quotidie pro beneficio vocationis agere

DEO

DEO gratias; & ab ipso perseverantiæ donum implorare.

I. SAnctus Joannes Chrysostomus super caput secũdũ Geneseos sic ait: a *Ita liberalis est Dominus noster; ut, quando videt nos benè, & cum gratitudine uti his, quæ jam nobis concessit, ultrò nos potioribus, majoribusq; muneribus impleat.* Et Doctor Angelicus Divus Thomas: b *Qui gratus est, inquit, beneficio; meretur secundùm quandam congruentiam, ut sibi beneficium conservetur.* Horum Doctorum, primi quidem eò tendit sententia; quòd DEUS ex infinitâ bonitate sua moveatur erga gratos, alia majora ut illis conferat beneficia: alterius autem eò; quòd concessum semel beneficium non jam auferat illi, qui gratus est; sed illud ex cõgruo conservet; quæ conservatio non minùs & ipsa peculiare Dei beneficium est. Igitur vocationis, & electionis susceptæ jam consecutus homo gratiam, cùm pro creatione sui, pro redemptione, pro illuminatione, proq; alijs innumeris in se collatis agere Deo gratias obligatus sit beneficijs; tùm præcipuè, & quidem crebriùs in die, gratias agat, oportet, pro gratiâ, seu beneficio vocationis ad religionem, eò, quòd donum hoc, alia quodammodò jam coronet beneficia, hominemq; constituat in eo gradu, in quo & ipse Dei liberalitatem erga se corde, & opere cõmendet; & Deus ad exercendam ultrà bonitatem suam in opere pro gloria sua facto provocetur. Hujus rei typum habemus in libro Geneseos. Nòé Patriarcha cum familia sua servatus, & vindicatus ab interitu, quem universis in arcam non ingressis viventibus intulit cataclysmus: c *Cõsumptaq; est omnis caro* (sacer historicus ait) *quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumq; reptilium. Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usq; ad pecus.* Servatus, inquam, ab interitu Nòé solus, & qui cum eo erant in arca,

a *S. Ioan. Chrys. citatus in mensa spiritualium ciborum verbo; Gratitudo.*
b *S. Thom. q. 122. a. 5. ad 4. citat. ibid.*
c *Ge. 7. 21. & seq.*

postquam egressus est ipse cum uxore, cum filijs, & cum uxoribus filiorum, cum jumentis, & reptilibus ex arca, in tanti beneficij gratiarum actionem [a] *Ædificavit altare Domino*, Deo liberatori, *& tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Quid autem Deus iterùm gratissimo patriarchæ? Non tantùm liberationis in eo conservaturum se promittit beneficium; sed etiam novo quodam obstringit se vinculo posteritatis ipsius multiplicandæ. Atque ad primum quidem, postquam [b] *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*, ait: *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines: non ultrà percutiā omnem animam viventem.* Quod certè manifestum conservationis in posterùm beneficium est, gratiarum actione partum, & secundum quandam congruentiam conservandum. Ad alterum verò dicit: [c] *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Id quod novum priore majus est beneficium; quando non solum patriarcham cum suis servaturum se pollicetur Deus; sed etiam fore, ut posteritatē suam videat multiplicandam, in eadem ipsa posteritate perenniter jam victurus. Idem jam unusquisq; Religiosus vocationis gratiā consecutus expectare debet; si memor, & gratus sit beneficij, Deoq; largitori misericordissimo quotidie gratias agat. Optimus opifex non deerit operi suo conservando, quod viderit bono collocatum operario: neque permittet destrui, quod in singulos dies impensâ gratitudine fulcitur, & munitur.

a *cap.* 8. 20.
b *v.* 21.
c *cap.* 9. 1.

2. Et verò non satis etiam sit gratias agere; sed orationis quoq; studio necesse est perseverantiam implorare. Dat misericordissimus Deus, & impertit beneficia, gratias, & dona; sed vult rogari. Nam prædestinatum te quidē, postquam Divinæ vocationi obedivisti, & te ipso fortior (quod ipsum quoq; Dei miseratio fuit) propter Deum relictis omnibus, in Dei domum adscriptus es, jam aliquam habes certitudinem. Sed quia donū

perse-

perseverantiæ, quantumcunq; jam in tuto collocatum, & gratia prædestinationis ad gloriam nec certa tibi, nec in potestate tua est, verùm in Dei miserentis, æquissimi dispensatoris, & absolutissimi Domini liberali voluntate: ideò quod jam tenes; ora, ne tibi accipiatur, quod speras, ut concedatur. Sicut enim vocationis beneficium Deus aliquo fortasse orationis, aut alterius pij operis, seu solicitudinis suffragio, tibi contulit: quamvis & hoc non tibi, nec alicui merito tuo tribuas, sed totum miserationi Divinæ: sic & perseverantiam, & gratiam finalem oratione implores oportet; ut benè monet Concilium Arausicanum secundum, cùm ait: [a] *Adjutorium Dei etiam renatis, & sanctis, semper est implorandum; ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere perdurare.* Et Concil. Tridentinum: [b] *Verùm tamen*, inquit, *qui se existimant stare; videant, ne cadant; & cum timore, ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosinis, in orationibus, in oblationibus, in jejunijs, & castitate.*

3. Ad hoc propositum scitè S. Gregorius: [c] *Ea*, inquit, *quæ sancti viri orando efficiunt, ità prædestinata sunt, ut precibus obtineantur.* Ac prosequitur deindè: *Nam ipsa quoq; cœlestis regni prædestinatio* (quæ est perseverantiæ parata ad gloriam corona) *ità est ab omnipotente Deo disposita; ut ad hanc electi ex labore* (benè hîc observa, *ex labore*, non ex otio, & socordiâ) perveniant; *quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula donare disposuerat.* Ita Sãctissimus Pontifex. Igitur & vulgò dicitur benè: *Ora & labora, & dabit tibi Deus omnia bona.* Labor continuat gratiam vocationis; oratio operi continuato finem implorat, & impetrat. Sed Apostolus id ipsum urget nervosiùs, quàm ego, cùm ait: [d] *In omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

a *Concil. Arausic.* 2. *Can.* 10. *Citat. à Salmantic. Carm. tract.*14. *quæst.*119. *disp.* 3. *de necess. grat. num.* 238.
b *Concil. Trid. Sess.* 6. *cap.* 13.
c *S. Greg. lib.* 1. *Dial.*
d *Philip.* 4. 6.

Et

Et alibi: [a] *Sine intermissione, inquit, orate; in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo IESV*; tanquam gratiarũ actio pro beneficijs semper esse conjuncta debeat orationi; & actioni gratiarum oratio cùm pro conservandis in nobis Dei donis, & beneficijs; tùm pro alijs usq; ad finẽ perfectum impetrandis: secùs alterutra sine altera vel parùm, vel nihil valitura. Ab his, & in his duabus Divina providẽtia voluit prædestinationis tàm ad gratiam, quàm ad gloriam, esse præsidium: *Hæc est enim voluntas Dei in Christo IESV.* Verùm, misericordissime Deus, quia demũ [b] *omne datũ optimũ, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*; tu & perseverantem in voluntate tua tribue famulatum; & spiritũ orationis cum gratiarum actione propitius infunde, accende, & inflamma; & ad ultimum vitæ punctum conserva.

CAPVT II.

§ I.

Religiosam vocationem, singulare Dei beneficium agnoscere, multum confert ad ejus custodiam.

1. NOn sinè causâ beatos prædicat regius Psaltes illos; quibus, Deo miserante, Divino cõtingit obsequio consecrari, cõsecratosq; cum Dei servis in claustro semotos à mundi strepitu cõmorari. Dicit itaq;: [c] *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*; beati, inquam, illi; qui Divinæ ad statum religiosum vocationi respondent. Sunt enim verè jam in domo Dei, peculiari quadam gratiâ suâ tam claustra, quàm habitatores eorum protegente. Et quamvis S. Hieronymus hanc Dei domum, de quâ Psalmus hic agit, accipiat anagogicè (sicut & interpretes alij S. Hieronymum secuti) cœlum videlicet ipsum intelligendo, quod verè beatorum est domus; ubi verè beati fruuntur incõmutabili, summoq; bono, quod solus Deus est; ac propterea *In sæcula sæculorum*, in æternum, ac sine fine, sicut jam laudant, sic & *laudabunt* Deum. Quia tamen Psalmus idem

a 1. Thess. 5. 16. b Iac. 1. 17.

c Psal. 83. 5.

idem præſcribitur *Pro torcularibus filijs Core*; id eſt, filijs reſurrectionis de Calvariâ, reſurrectionis loco, (ut idem Doctor maximus interpretatur) poteſt etiam metaphoricè rectè accipi pro domo terrenâ, per imitationem quandã æmulante domum illam cœleſtem: pro domo, inquam, terrenâ illâ, quæ in Dei maximi honorem ædificata in terrâ è luto eſt, è lateribus, aut lignis; nihilominùs ſupernæ Sionis magnam habet ſimilitudinẽ, cùm propter opportunũ, idq; continuum quoddam cum Domino Deo commercium per Pſalmorum, hymnorumq; officij Divini ſeu cantu, ſeu quovis alio modo penſitationem ſinceram, per preces, per devota ad Deum ſuſpiria, per cœleſtium, Divinarum, ſpiritualiumq; rerum, Sacræ Scripturæ, quatuor noviſſimorum, & aliorum, quæ mentem ad Deum, & ad ejus amorem, ad mundi, rerumq; mundanarum contemptum mirificè inflammant; per meditationem, commentationem, & per alia, quibus Religioſus nunquam eſt vacuus, ut verè dicere poſſis, ejus converſationem eſſe in cœlo: tùm propter animi pacem, & tranquillitatem; quam in præſenti vita, multâ licèt miſeri corporis, & ſenſuũ afflictatione, ſibi comparat; tùm ob peculiarem gratiam, & curam, quâ Deus clauſtra, perſonaſq; degentes in ijſdem complectitur, fovet, & protegit.

2. Eſt igitur Religioſus etiã dum mortalis inter mortales in domo Dei, *a* nihil ab illâ diſſimili, quam Patriarcha Jacob appellavit domum Dei, & portam cœli; in quâ per protenſam à terra uſq; ad cœlum ſcalam aſcendunt, & deſcendunt Angeli; alij quidem, ut Deo preces, ac pia ſuſpiria ſervorum ejus offerant; alij, qui præſidium, auxilium, Divinæ providentiæ dona, gratiaſq; deferant ijſdem Dei ſervis, ac miniſtrent. Quòd ſi Apoſtolus Epheſios, & conſequenter omnes Chriſti fideles appellavit *b* *Iam non hoſpites, & advenas; ſed cives Sanctorum, & domeſticos Dei, ſuperædificatos ſu-*

a Gen. 28.
b Ephes. 2. 19.

per fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV; cùm tamen certum sit, sæculares circa plurima distentos negotia, non posse tam assiduè, intimèq; divino intentos esse obsequio, sicut vellent; eò quòd eorum exigente statu, necesse sit etiam temporaneis occupationibus plus impendere temporis, & operæ, quàm divinis laudibus, & orationi; & nihilominùs etiam sic occupatos, à civium, & domesticorū Dei municipio non excludit gentium Magister; quantò potiori jure *Cives, & domestici Dei* sunt illi, qui depositâ temporanearum solicitudinum sarcinâ, negotijs expediti sæcularibus, se totos, & omnia sua dicârunt Deo, reputent in domo Dei se habitare? sunt igitur hoc nomine beati; quòd Deus segregatos à filijs hujus sæculi vocaverit in sortem filiorum Dei non omnibus impertitam, sed ijs tantùm, qui præter ordinariam miserationem Divinam fidelibus omnibus exhiberi solitam, aliâ peculiari Dei providentiâ [a] *Præordinati sunt ad vitam æternam.*

3. Quod beneficiū quàm sit magnum, quantæq; debeat esse Religioso æstimationi, facilè cognoscet; quisquis oculum mundi cordis in illud defixerit accuratiùs. Est enim religiosa vocatio non tantùm ad gratiam gratum facientem, quâ Deo redditur charus, & gratus homo, operando videlicet ea, quæ informata à charitate non possunt non placere Deo; sed etiam ad gloriam, seu ad vitā æternam possidendam arra quædam, si nimirùm sic electus non ponat obicem, operetur autem constanter secundū vocationis suæ statum; est, inquam, arrhabo quidam beatitudinis illius æternæ, quā Deus præparavit diligentibus se, paratam omnibus, at non omnibus in Ecclesiâ Christi Deo militantibus acquirēdam, non quòd Deus eam dare nolit, (est enim fidelis in promisso) sed quòd non omnes ad eā commerendam allaborent, vel cæcitate cordis in transversum, vel erroris etiam cogniti pertinaciâ, vel animi quadam hebetudine, ignaviâ, socordiâq;

[a] *Act.* 12. 48.

abre-

abrepti. Et cùm sæcularis sẽper in salo quodam tempestuoso navigans, periculo sit obnoxius, Religiosus in portu non jam expectat aliud, quàm ut depositis mortalitatis exuvijs ingrediatur in illam civitatem *a* *Dei viventis Ierusalem cœlestem*; in qua Sancti, & electi Dei in clara Divinæ essentiæ visione fruũtur immutabili felicitate. Cùm ergò religiosa vocatio tam nobili destinata sit fini, qui est, uni Deo familiarem, & domesticum, futuræ verò beatitudinis in cœlo jam tantùm non certum esse; non invenio beneficiũ majus, quod in præsenti vita possit optare sibi Religiosus, quàm sit ejus ad Religionem vocatio; non quòd æquè maximum non sit, Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti participium, quo Christus vita nostra dignatur omnẽ animam Christianam spiritualiter pascere, seq; illi intimè communicare: sed quòd religioso statui sit facilior, frequẽtior, & securior tantæ dignationis usus, in quo tàm præsentaneæ vitæ, certiorem custodiam, quàm æternæ beatitndinis amabilissimum accipit, & habet pignus.

§. II.

Religiosæ vocationis beneficium est tàm præsentium beneficiorum, & gratiæ Divinæ, præstandorum, quàm beatitudinis æternæ fidejussio.

1. Etsi superiùs hîc innuerim religiosam vocationẽ esse futuræ beatitudinis indubitatam arram: tamen quia brevissimè perstrinxi materiam istam; ideò non nihil fusiùs id ipsum persequar; jam promissi, quo Christus Dominus illis, qui reliquerunt omnia, secutiq; sunt ipsum, obligavit se, Religiosus est possessor. Accipit enim re verâ centuplum in hac vita: nimirùm accipit cumulatissimè gratias, & plurima bona spiritualia (ut temporanea, quæ & ipsa in aliquam veniunt remunerationem, taceam) *b* *Quæ comparatione, & merito sui*, teste S. Hieronymo, *ità sunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*, sed, quod addidit

a *Hebr.* 12. 22.

b *S. Hieron. in Matth. c.* 19.

dit Incarnata Dei sapientia, *Et vitam æternam possidebunt*, in hujus possessione licèt nondum est, jam tamen ipsius Incarnatæ veritatis interpositâ fide, certus etiam est hæreditatis æternæ; certus, inquam, est non quidem certitudine supernaturali, fidei claræ evidentiæ, tanquã adhuc falli non possit; sed certitudine supernaturali fidei in speculo, & in ænigmate adhærente, quâ promisso Christi Religiosus innitẽs non fallitur, nec frustratur spe suâ, si in sua vocatione semel apprehẽsa sedulò perseveret, & ex regulæ sibi præscriptæ proposito cõstanter vivat. Deus itaq; vocavit ad Religionẽ, & hoc beneficio dignatus est eos, quicũq; sæculo renũtiârunt, nõ ut illos in statu jam apprehenso relinquat tanquam ultimo fini cuidam inhærentes, cùm status hic sit tantùm peculiare medium ad consequendum ultimum beatitudinis æternæ finem; sed ut pluribus semper, majoribusq; cumulet ipsos beneficijs, & gratijs, quibus Religiosi cooperando, tandem aliquando, quod sperârunt, etiam possideant. Undè subtiliter Eusebius Emissenus super illud in symbolo fidei, [a] *Carnis resurrectionem*, philosophatus, inquit: *Deliberatum, ac propositum Deo est, ut facturam subjecti sibi hominis semper in melius pro exercendæ bonitatis suæ virtute promoveat. Novum fecit; perditum renovavit; & cui primùm imaginem suam dedit, in sæculũ (aliter in ferculum) seipsum pro eo tradidit: ut cùm jam tanta perceperis, per ea, quæ agnoscis præstita, discas sperare promissa.*

2. Hujus sententiæ singula verba magnam habent certitudinis, & sperandæ beatitudinis, æternùm duraturæ, energiam. Illud enim, *Vt facturam subjecti sibi hominis semper in melius pro exercendæ bonitatis suæ virtute promoveat*, quid aliud indicat Religioso; quàm, ut credat, certoq; persvasum habeat, sic Deo se curæ esse, ut infinitæ bonitatis suæ opus, quod est ipsa vocatio, quam consecutus est homo, semper non tantùm esse velit perfectiùs; sed etiam ad ipsam usq; consequendã æternæ vitæ possessionem promoveat, perfici-

a *Euseb. Emiss. homil.* 1. *Citat. à Corderio in Iob. c.* 19. *v.* 25.

atq;

atq; *Novum fecit*, quando creavit; *Perditum renovavit* non solùm, quando redemit; sed etiam quando ex mundi periculis in tranquillam claustri securitatem asseruit; ex homine carnali spiritualem, ex peccatore justum, ex inimico familiarem amicum, ex filio perdito feliciter inventum, ex homine veteri novum prorsùs, *qui secundum Deum creatus est, spiritu mentis renovavit*, & in sortem filiorũ Dei denuò vindicavit; ut vel hinc *Per ea, quæ agnoscis præstita, discas sperare præmissam* vitam æternam. Vides in te certum *exercendæ bonitatis* Divinæ argumentum, quo *semper in melius*, perfectiusq; proficias opus. De futuro quoq; non debes jam desperare; cui fidejussor Deus & bonus, & verax est: [a] *Fidelis est* (apud Isaiam habes) *qui elegit, & vocavit te*. Et Apostolus: [b] *Fidelis*, inquit, *est Deus; per quem vocati estis in societatem Filij ejus IESV Christi Domini nostri*. Certè quod est ex parte Dei benefici, non fallet; cujus implendæ promissionis præcipuum beneficiũ, pignus est vocatio religiosa. Concludit igitur idem Eusebius: *Prius beneficium quasi dato pignore ad ulteriora benevolentiùs excitat*; nempè tàm Deum ipsum beneficum ad opus suum perfectissimè provehendum; quàm hominem beneficiariũ ad strenuè cum fiduciâ pro beatitudinis æternæ consequendo fine laborandum. Vocatio, quâ Deus hominem in sæculi renuntiatione constituit, est illius hæreditatis arra, in quâ [c] *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum ejus*, qui vocatus est. Hæc vocatio reddit securos Dei servos; ut, dum sperant in extremo judicio à Christo Domino se coronandos æternâ beatitudine, jam quodammodò sentiant se coronatos.

3. Nam audite, quid Apostolus gentium audeat in hoc genere. *Deus autem*, ait ille, [d] *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, &c. convivificavit nos in Christo, & consuscitavit, &* conse-

a Isa. 49. 7.
b 1. Cor. 1. 9.
c Lu. 6. 38.
d Ephes. 2. 4.

consedere fecit in cœlestibus in Christo IESV. Quæ verba S. Gregorius magnus in hunc interpretatur sensum; quòd Paulus adhuc inter innumeras hujus vitæ calamitates, & ærumnas, imò fortassè jam & in vinculis, in futurum resuscitandus, & collocandus in throno gloriæ, jam se ob certitudinem spei suæ resuscitatum, & collocatum cœlestes inter cives existimabat. Do summi Pontificis verba: a *Tunc Paulus fortassè in carcere versabatur, cùm se consedere Christo in cœlestibus testaretur.* Et paucis interjectis: *Sic sciunt,* inquit, *justi,* Religiosi, & Dei obsequio dicati, *præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse.* O! pignus æternæ beatitudinis indubitatum! in religioso statu depositum! & quidem verbo fideq; firmatum illius, qui nec falli, nec fallere potest, fidelis Deus. Igitur anima religiosa, agnosce felicitatem tuam, & incomparabile vocationis beneficium consecuta, spem tàm auxiliorum divinorum, quibus semper in melius promovearis, quàm æternæ beatitudinis, ultimi tui finis, qui te inter Sanctos, & electos Dei coronet, firmam concipe; beneficijs Divinis impræsentiarum cumulata, beneficium in cœlis immutabile consecutura.

a *S. Greg. lib. 31. moral. c. 19. citat. à Corder. in Iob. ubi sup.*

CAPVT III.

§ I.

Vt benè quis in religiosa vocatione progrediatur, bonum ponat principium.

1. PAssim decantata vulgo paræmia est:

Dimidium facti, qui benè cæpit, habet

adeò vera, ut non tantùm Instituti suscepti dimidium, sed etiam totum illud, quod Deus est concessurus, vitæ spatium benè currendũ, decurrẽdumvè pendeat à benè cœpto. Virtus enim, & omnis honesta actio licèt non repentè transeat in aliquam consvetudinẽ, habitum, & naturam; vitium autem seipso, quia congenitum homini jam in natura corrupta, celerrimè prodeat in usum, quidquid sit de illo Horatij,

ratij,

Nemo repentè fuit turpissimus, quasi verò & vitia paulatim, non autem ipso naturæ quodam impulsu celeriter addiscãtur: est tamen verissimũ, difficiliùs in animum induci probitatem, in eum præsertim, qui sæculi vanitatibus aliquãtum jam innutritus, & eas expertus est periculo suo; quàm non disci vitia. Siquidẽ hæc ob congenitam homini concupiscentiã magis familiaria sunt, & domestica, quàm virtus. Hinc etiam longè pronius est, ex bono fieri malum, (utinam non pessimum!) à malorum exemplo; quàm ex malo non fieri bonum ex bonorum consortio. Discet adolescens turpitudinem, & quamcunq; licentiam, ac malitiam, non dico, anno, mense, hebdomadâ, addo, & die uno; sed una sufficit hora nequitiæ magisterio.

2. Et quamvis in Religione, Dei gratiâ, non habeatur occasio facilis, aut exemplum, ex quo disci possit malum; tamen saltem in dediscendis, & oblivione obliterandis, quæ in sæculo visa, audita, forsitan & experientiâ cõperta sunt, multum est laborandũ; plurimum autem in naturæ semper ad malum ab adolescentiâ suâ, seu à nativitate, pronæ, frenando impetui desudandum. Ideoq; jam Dei miseratione [a] *Erutus de potestate tenebrarum, translatus* autem *in Dei lumen, & regnum*, ut huic lumini Divino det locum ad majus incremẽtum usq; in diem perfectum, ea ponat est necesse principia, quæ respondeant tàm medio, quàm proposito fini; quæ sunt, illud quidẽ, in Religione probitatem, ac omne honestum exercere; hîc autem, feliciter, & cum animæ cõsolatione terminare vitam, cœlestemq; gloriam adipisci. Principium verò, totiusq; ædificij, religiosæ vitæ probè transigendæ radix, ac fundamentum, est disciplina. Ad hanc hortatur Spiritus Sanctus (& quidem cum energia quadam) per Salomonem, tanquam ipsa sit sola quoddam vitæ totius, quàm in Religione acturus es, nutrimentum. Dicit

a *S. Leo serm. 1. de nativit.*

cit itaq; : [a] *Tene* (id eſt, exerce) *diſciplinã*, *& ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua*, adeò quidem, ut, quod à medicis appellatur humidum radicale (idem calidum innatum) quo deficiente, vitam quoq; demùm hominis extingvi ſit neceſſe; ſic diſciplinam, ſi principio converſionis ad Deum non ſtatim ſuſcipiat, vel eam langvidè quis adeat, vel exoſam habeat, vix expectandus ſit progreſſus (multò minùs finis) ejuſmodi Religioſo bonus. Verùm ex hiſce dictis, ne diffidas omninò, vide dicenda inferiùs cap. 14. §. 1. num. 2. & 3.

3. Et quia nomen diſciplinæ generalis eſt virtutis exercendæ ſignificatio; non poteſt ad certam, & peculiarem contrahi ſpeciem, in qua poſſit, debeatq; præcipuè ejus conſtitui ratio: ſed ſatis ſit, unicuiq; præſcriptam Inſtituti, quod quis ſuſcepit, & profitetur, regulam diligenter inſpicere, ſervare, veterem hominem, qui ſecundum Adam in concupiſcentia natus eſt, exuere; mores, & vitã anteactam filijs hujus ſæculi conformem ex animo eliminare; & illam induere, quam ſuperior, tyrocinij magiſter, pater ſpiritualis, regula, & eorum, cum quibus vivitur, proborum Religioſorum exemplum inſtillant, docent, & præſcribunt. Quidquid autem ab his in bonam venit eruditionem, à Spiritu Sancto, fonte bonorum omnium, promanare certum eſt. Igitur moliturus ædificium vitæ ſpiritualis in hoc totus ſit; ut bonũ, firmumq; jaciat fundamentum non in arena, nec in cænoſa ſæcularium affectuum, quibus ex diuturna conſvetudine quadam imbutus animus eſt, continente: ſed in diſciplinæ, virtutum, probitatis, & omnis honeſti petra, ità, ut, quidquid ſæculum, & ſæculi vanitatem ſeu verbo, ſeu opere vel minimũ ſapit, prorsùs ab eo ſit alienus: nec aliũ ſibi præfixum habeat ſcopum, quàm Chriſtum Dominum, ejuſq; vitam ſanctiſſimam imitari, in cujus imitationem omnes electi Dei conſpirant. Diſciplinæ verò, probitatiſq; ducẽ, ac magiſtrum habiturus eſt o-

[a] *Prov.* 4. 13.

ptimum unusquisq; Spiritum Sanctum, orationis studio crebriùs implorandum: qui deindè piæ meditationis, & spiritualium librorum adminiculo, desiderijs adspirabit, docebit, & erudiet ad religiosæ vitæ, perfectionisq; vestigia strenuè prosequenda.

§. II.

Exercitia Spiritualia, principio conversionis tradi solita, non perfunctoriè, nec cum tædio; sed ferventer, & notabili spatio temporis, agenda.

1. VT autem ad boni principij quædã peculiaria descendamus, ea præcipua sunto; spiritualia (sicut communiter appellamus) exercitia. In quibus præter aliquot hebdomadarum spatium meditationibus impendendum, orationi vocali, spiritualium lectioni librorum, instituatur etiam conscientiæ per generalem omnium totius anteactæ vitæ peccatorũ confessionem in exercitiorum fine, vel paulò post eorum initium (sicut visum fuerit commodiùs) expiatio. Quo fit, ut cor ad Divini luminis excipiendos radios, quos Deus ex liberalitate sua cum inexplicabili quadam animæ dulcedine principio conversionis infundere solet, reddatur capacius, ità ut vel tardè, vel nunquam, si per superiorem & Instituti rationem liceret, avelli cuperet ab ijsdem. Sed verò datum id spatium temporis ad vacandum solis ijs, quæ pertinent ad formandum spiritum; ut animus in ea quiete, spiritualium contemplatione rerum imbutus, & inescatus istis potiùs, quàm quæ vitæ communis officium ad misero corpori, dum vivit, tàm in publicis, quàm in privatis ministerijs serviendum attinent, sensim assvescat, ac discat, omnia præsentis vitæ ministeria temporanea in Dei obsequium, gloriam, & honorem convertere; Deũ & semetipsũ cognoscere DeoCreatori suo placere; illi se per omnia, &in omnibus unire.

2. Et quoniam hæc exercitia sunt quasi primi quidam lapides, & spiritualis vitæ fundamentum; idcircò duo (sicut præfert paragraphi titulus) hic

hîc principaliter advertenda sunt. *Primum*; ut omne, quantum fieri potest, arceat à se tædium, & horrorem erga solitudinem, quam tunc ad vacandum, & videndū, [a] *Quoniā svavis est Dominus*, ad cujus obsequiū accessit, suscipit adeundam, incolendamq;. Quo tēpore plurimùm laborat inimicus humani generis, ut tàm relicti sæculi, temporaliū commoditatū, parentum, amicorum & sociorum jam separatorum, pœnitentiā; quàm vitæ spiritualis, orationis, & meditationis, ac præcipuè solitudinis horrorem, & tædium suggerat. Scit enim omnis animæ boni veterator hostis, in hoc maximum positum esse momētum, & utilitatem hominis; quòd sensibus, per quos ille cordi lenocinatur, hîc potissimùm, & per hæc, imponatur frænum; ejusq; fraudibus importunior aditus præcludatur. *Alterum* advertendum hîc est, ut notabile spatium temporis, à quo reliquæ totius vitæ pendet cursus, huic impendatur exercitio. Nec octo, vel decem dies huic sufficere putentur operi, quod ad maximum animæ spectat negotium. Sed quantumcunq; concessum fuerit, illud breve quidem, & exiguum existimet: attamen in Dei, superiorisq; manus desiderium suum, quo cuperet diutiùs mentem delicijs spiritûs saginare, libentissimè resignet.

3. Existimet nihilominùs, quò diutiùs concessum sibi fuerit huic immorari solitariæ vacationi, & faciliorem, & ampliorem sibi fieri viam ad in spiritu proficiendum, & ad vitæ spiritualis in Religione firmius exstruendum ædificium. Populum Israëliticū Ægypto, duce Moyse, eductum non triduum, aut unam, alteramvé septimanam, aut mensem (etsi dies pauciores ad terræ promissæ limina contingenda suffecerant) sed annos admodùm quadraginta Deus in deserto morari, detineri, variè circūduci, voluit: intereà veri Dei cultu, Divinisq; legibus erudiri, & assvefieri, non aliam ob causam, quàm gentium ritus, ac mores, quos in Ægypto nati combiberant, ut dediscerent, & eorum penitùs o-

[a] Psal. 33. 9.

bliviscerentur. Quod autem admireris ampliùs; [a] *Omnis populus* (testatur sacer historicus) *qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus.* Et rationẽ Divina subdit historia: *Donec consumerentur, qui non audierant vocem Domini.* Extincti videlicet sunt omnes (Josue tantùm, & Caleb exceptis) olim in Ægypto gentium moribus innati, & inveterati, ad obsequendum difficiles, & voci Divinæ refractarij.

4. Typus in Religionem ex mundo migrantibus ut esset evidens; antequã communibus Instituti ministerijs adhibeantur, & vitã agere spiritualem ad Dei gloriã tàm in privato, quàm in publico, ritè ut assvescant, aliquantò diutiùs immorandum esse spiritualibus exercitijs in solitudine; donec sensuum appetentiã, & impetum, spiritui semper contrariorum saltem majori ex parte premere discãt, & supprimere. Hinc scitè S. Bernardus: [b] *Quantumlibet*, inquit, *in hoc corpore manens perfeceris; erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis, nolis; intra fines tuos habitat Iebusæus; subjugari potest, sed non exterminari.* Cum vitijs ergò negotiũ etsi totâ vitâ futurum sit succidendis; nihilominùs hoc exercitiorum tempus est spiritualis pugnæ toto vitæ tempore depugnandæ peculiare quoddam, etsi pro tempore magis imaginariũ, quàm in rei veritate, præludium non tribus, sex, aut decem diebus, sed integro mense, quin & ampliùs, si id magistro novitiorũ videbitur, exercendum.

5. Sapienter ideò felicis recordationis Venerabilis Patriarcha noster P. Joseph à Matre Dei, pro cujus apotheosi, seu beatificatione processus, qui per id tempus hucusq; formabantur, jam approbati sunt, mediocritati prospiciens, præscripsit tyronibus nostris nec longum nimis ad tædium, nec breve nimis ad tanti momenti negotiũ, indulgendum tempus; sed mensem unum, vel ampliùs, ad arbitrium magistri novitiorum. Habetur itaq; constitutionum parte primâ,

a Ios. 5. 4.
b S. Bernard. serm. 58. in Cant.

mâ, capite secundo: [a] *Primò illis exercitia spiritualia tradantur, saltem per mensem, & ampliùs; si id expediens Magistro novitiorum videbitur*. Ubi advertendum benè, clausulam istam: *Si id expediens Magistro novitiorum videbitur*, sic intelligendam esse, ut Magistri novitiorū arbitrio stet, ultra mensem exercitia spiritualia prorogare, non autem ad brevius, quàm sit mensis unus, v. g. ad octo tantùm, vel decem dies, contrahere tempus. Non enim frustrà præmissum est vocabulum hoc, *saltem*. Idem enim innuit ista particula, quod dicere: *Si non diutiùs, hoc saltem servetur tempus, idq; diligenter, ut per unum mensem Novitijs exercitia spiritualia tradantur*. Nempè superiorem, aut Magistrū Novitiorum adeò spirituali cōmodo Novitij pronum, & addictum esse debere, ut mensis unius spatiū tyroni, animæ suæ in totam vitam prospectura, non invideat; nec aliquid de uno mense ipsi adimat; multò minùs ipsum pigeat curæ, studijq; impendendi neoptolemo salutis suæ principia ponenti.

[a] *Constit. P. 1. c. 2. circa finem.*

Nam tempus illud à Venerab. Patriarcha nostro præscriptum est instinctu Spiritûs Sancti; cujus infinitam sapientiam velle corrigere, videat unusquisque, quàm sit consultum.

§. III.

A primo spiritualium exercitiorum impendio pendet tyrocinij compendium, & profectus.

1. Cùm in omni ferè statu cōmune sit bono Christiano (Religioso multò magis) negotijs distento, semel saltem in anno colligere se, conscientiæ suæ scrutari latebras; affectus animi, propensionesq; penitùs inspicere, eosq; sæpiùs ob naturæ humanæ imbecillitatem exorbitantes, in meliorem orbitam flectere, ac reducere; eò nimirùm proposito, reliquum vitæ cursum ut acriore studio tàm animæ fructui, quàm Divinæ gloriæ (nisi prorsùs creationis suæ finem pensi non habeat) impendat circumspectiùs; ab eaq; vel horâ, vel die, vel triduo, quod tribuit ejusmodi recollectioni, sepositis alijs,

alijs, quantũ patitur ejus conditio, vel ſtatus, negotijs, & curis, ſperat non modicã Chriſtianæ ſuæ profeſſionis acceſſionem, eſto non tàm rigidè (niſi quòd tàm legi Divinæ, quàm Eccleſiæ præceptis adſtrictus ſit ſervandis) incũbere debeat perfectioni, ſicut Religioſus. Cùm, inquam, in omni ferè ſtatu commune ſit bono Chriſtiano ſubinde tempus aliquod examinandæ vitæ ſuæ, moribuſq; in meliùs reformãdis impendere, per accuratiorem inſpectionem conſcientiæ: tùm præcipuè religioſam viã, & vitã ingredienti negotium hoc incumbit; quòd ad Divinæ legis accuratam cuſtodiam magis jam ſit obligatus, quàm ſæcularis, etſi nec huic liceat eam infringere: ſed etiã quòd ad Evangelica conſilia, quæ Chriſtus ipſe propoſuit, ſedulò ſervanda, & ad vota religioſa nuncupanda, per religioſi ſuſceptionem habitûs ſe diſponat, viamq; perfectionis ingreſſus omni ſtudio pergat, animum ſuum ad vitam novam, & ad virtutum exercitia, formare; ut ità tyrocinio ſuo, ac demùm, ubi Deus ad votorum nuncupationem ſanctum ejus promoverit deſiderium, toti vitæ ſuæ tempori proſpiciat benè.

2. In quo cogitare ipſum neceſſe eſt, non aliud ſe vel aggredi, vel facere debere; quã quod ille, qui ſeu vaſtũ, longumq; mare ſit navigaturus, vel longiſſimum terrâ peregrè peragraturus iter. Proſpiciendum eſt in eo caſu cõmeatui, qui ſufficiat itineri ſpatioſiſſimo: ne poſtmodùm annonâ deficiente, vitæ diſcrimen ſit ſubeundum; ſicut contigit Agari matri Iſmaëlis; cui tenuiter nimis in viam expeditæ, perq; Barſabeæ deſertũ erranti cum aqua deficeret in utre, tantum abfuit, ut filij ſui præ ſitis ariditate jam ferè animam agentis infelix deploraret mortem, ut abjecerit puerum, ſeq; deſolatam, & omne ſubſidium è regione prolis deſperantem è regione prolis abjectæ totam in lacrymas effuderit - [a] *Abjecit puerum ſubter unam arborem, quæ ibi erant; & abijt, ſeditq; è regione procul*, ne morientem illum videre cogeretur. Ità diuturnum (ſi qui-

[a] *Ge.* 21. 16.

 dem

dem omnes, a *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*) religiosæ professionis acturus iter haud equidem ad solum peragendi, tyrocinij tempus; verùm ad totam vitam, ad ultimum usq; vitæ punctum benè sibi prospiciat, oportet, per exercitia spiritualia, à quorum accurato impendio totus in reliquam vitam pẽdet profectus. In quibus exercitijs si nauseare cœperis ea, quæ sunt spiritûs, & nauseabundus, oscitanter, ac perfunctoriè illa peregeris, nec studueris hunc veternum partim carnis, ac sensuum propensione, partim diaboli machinatione propositum tuum infringere conantis, invalescẽtem excutere, timendum est vehementer, non tantùm ut bonus futurus sis Religiosus; sed etiam ut in vocatione suscepta perseveres: imò dico ampliùs; etiam postquam religiosa vota nuncupaveris, ut ad ignominiosam electi statûs abjectionẽ, desertionemq; non descendas.

3. Enim verò sicut fabrica quantumvis ex solido marmore constructa, sed malo fundamento locata; semper est obnoxia certæ ruinæ: sic vitæ spiritualis ædificium, persvade tibi, minimè duraturum est ad propositum finem, si principio, quod religiosæ vitæ, professionisq; basis est, non sedulò prospectum eas: id quod totum nititur primis exercitijs spiritualibus, ut ea gnavo, ferventiq; studio peragantur. Aristoteles ut Philosophiæ suæ scita firmaret solidiùs, principia quædam, quas & maximas vocamus, constituit æternæ cujusdam veritatis, & immutabilis; à quibus recedere, vel ea non admittere, non tantùm nefas sit, & absurdum in Aristotelica schola; verùm etiã ipsa nobilissimæ scientiæ moles pulcherrima debilitetur, & corruat. Hoc ipsum de spiritualium exercitiorum in tyrocinio primordio censendum est usu. Sunt hæc exercitia prima, ceu primum quoddã cœlestis Philosophiæ, quam professurus es, principium; quod si langvidè, parùm constanter, vel tanquã minùs necessarium apprehendas, & agnoscas; nec illud admittas, idem prorsùs fuerit,

a 2. Cor. 5. 6.

quod gratiam vocationis, & religiosæ vitæ progressum flocci facere, minusq; pensi divinam Deo placendi scientiam, quæ scientia Sanctorum est, habere.

4. Hâc scientiâ Deus erudíturus Patriarchã Jacob, quid fecit? Primâ peregrinationis ejus in Mesopotamiam nocte statim apparuit ipsi, [a] *Et ostendit illi regnum Dei* (sicut describit sapiens) *& dedit illi scientiam Sanctorum*. Quid opus erat, primâ statim abitûs è paternâ domo nocte Patriarcham tantâ regni cœlestis, & Sanctorum scientiæ instruere disciplinâ, tamq; sublimibus divinitatis suæ mysterijs instruere? Nam ibi Majestatis suæ dignatus est ipsum aspectu; ibi administrorum Dei spirituum ascendentium, & ante Dei conspectum desideria, preces, & merita piorum hominũ offerentium; ac descendẽtium, auxilia, gratias, & dona Dei mortalibus è cœlo adferentium ministeria vidit: ibi salutiferæ Crucis, in quâ futuris sæculis ipse Dei Filius æterno Patri semetipsum pro generis humani salute sacrificium oblaturus erat, in scalæ typo mysterium contemplatus est: ibi Dominus infudit, ac *Dedit illi scientiam*, seu cognitionem, *Sanctorum*; videlicet, ut sciret, [b] *Quæ res ad sanctitatem animi sui* (doctissimè Pererius ait) *& cultûs divini pertinerent*; quomodò virtutum, honestatis, ac rectèfactorũ instructus satellitio ad Deo placendum incedere, Deum Creatorem suum amare; benefico Domino gratum exhibere se; tantam majestatem colere, venerari, semper honoris ejus habere curam deberet, ipso Deo docente didicit: ibi deniq; Dominum Deum erga se munificum, prouidum, liberalemq; vidit; consolantem audivit; omnium tribuum terræ benedictionem in se, & in semine suo firmatam accepit; inter Christi, veri Messiæ, majores se præcipuè numerandum divinâ pollicitatione confirmatus est: [c] *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*. O! incomprehensa Divinæ dispositionis ad omniũ hominum salutem mysteria! ô liberalis-

a Sap. 10. 10.

b Perer. Comm. in Ge. c. 28.

c Ge. 28. 14.

ſimam Dei erga Patriarchã peregrinationi accinctum munificentiam! ô ſcientiæ Sanctorũ ad Dei cultũ, animiq; ſui ſanctimoniam communicatæ ſibi divinitùs amplitudinem unâ, eâq; primâ ſuſceptæ peregrinationis nocte cumulatiſſimè collatam! At quare ſtatim ad ea principia tam liberalem illi ſe Deus exhibuit? Dicam. Ne Patriarchæ virtus in Meſopotamia viginti annos apud ſocerum ſuum Laban idola colentem habitaturi, poſtmodùm in terrâ Chanaan; ad extremũ in Ægypto ad mortem uſq; inter idololatras, inter innumera vitæ præſentis adverſa exercitandi vacillare, aut quocũq; modo vel modicùm infringi poſſet, neceſſum erat iſtis occurrere inter tot rerum humanarum viciſſitudines, in multiplici varietate verſandi principijs; & Patriarcham ad Abrahamicæ propagandæ proſapiæ ſtirpem perfectiſſimè jam tunc firmare; nec dubitaret Jacob ex cujus ſtirpe Chriſtus Dominus naſciturus erat, virtutis, ac perfectionis in ſtadio perſeverare, tantis undiq; promiſſis ad ſummi Dei gloriam circumvallatus; ut ità tàm ſe, quàm filios ſuos imbueret ſanctimoniâ, divinæ quondam claræ viſionis particeps, æternâ beatitudine fruiturus.

5. Hoc ipſum Spiritus Sãctus in tyrone, religioſæ vitæ ſtatum adeunte, videtur intendere. Vult in ipſo principio miris eum illuſtrationibus ad Divinorum cognitionem, ad anteactæ vitæ, cõmercijq; deteſtationẽ, faſtidium, & oblivionem; ad rerum cœleſtium amorem, ad ſtatûs ſui jam ſuſcepti diligentẽ curam; ad virtutis, ac vitæ religioſæ cultũ, quo Dei gloria mirificè propagatur; ſuper omnia verò ad Dei ſolius amorem, & ad ſuimetipſius deſpicientiam excitare, erudire, in rerum ſpiritualium æconomia ſolidare. Per id tempus, & in hoc ſolitario receſſu docet Deus, & dat *Illi ſcientiam Sanctorum*, qualiter ad Divinum cultum corpus, & animam aptare, conſecrareq; debeat: hic orandi ſtudium, frequentes ad Deum aſpirationes ſeu voce, ſeu mente facere; Sanctorum, ac ſuper omnia amabiliſſimi JESU, Beatiſſimæ Virginis ejus Matris

Mariæ,

Mariæ, patroni, vel patronorum suorum tutelarium sibi jam electorum, vel exercitij tempore eligendorum vestigijs constanter insistere; Instituti, quod aggressus est olim professurus, regulam magnifacere, & accuratè servare discat, firmiter proponat, & svavi quadam animi voluptate illectus assvescat virtutum exercitia frequentare; sensus à temporaneorum illicio sensim submovere; sacrorum librorum lectionem; orationis tàm mentalis quàm vocalis usum, & frequentationem diligere; cætera, quæcunq; sæculum vel in minimo sapiunt, fastidire; Dei dona tàm in se, quàm in alijs amare, æstimare magni; Deum in his omnibus laudare; Deum esse omnia, seipsum nihil; alios, uti bonos Dei servos omni reverentiâ, & honore dignos; seipsum immunditiæ vas, & ignominiæ scopulum agnoscere jam assvescat.

7. Quæ omnia non unius, aut duarū hebdomadarum spatium; non (quod adhuc minus est duabus hebdomadis) decem dies; sed notabile tempus evidentissimo requirunt argumento. Nam etsi certum sit, quòd *a Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectum diem*; hoc est; illustrationes, admirandorum operum & virtutum exercitia magis ac magis in animis eorum proficiunt, & lucis instar majoribus ac majoribus incremētis assurgunt; donec perfectum illum contingant diem, quo corporis expediti exuvijs ad beatam migrent æternitatem: Hoc benè verum est de justis in gratiâ confirmatis; sed cùm id de se nemo sciat, nisi peculiari Dei revelatione certus, arreptumq; propositum semper obnoxium sit periculo, & ipse pariter animus ad vires corporis ingravescente sensim ætate soleat obtorpescere; *b Quoniam superveniet mansvetudo, & corripiemur*; qui Psalmi versiculus ad aliam quidem pertinet intelligentiam, sed potest non incongruè sic etiam accipi: quòd in ætatis anno v. g. sexagesimo, septuagesimo, vel octogesimo, de quo Psaltes hîc agit, *superveniet mansvetudo*, ità ut homo in frenandis sensibus

a Prov. 4. 18.
b Psal. 89. 10.

ſuis, in carne per varias affli- ctationes ad virtutis ſtadium alacriter currendum incitanda fiat manſvetior, ac remiſſior, etſi cœptum in juventute tramitem Inſtituti non deſerat; nihilominùs ob attritas laboribus, & ætate, vires aliquantum langvidior, fit ſaltem inſipientium [a] (*opprobrium inſipienti dediſti me*) cavillationi, quæ nomine correptionis hìc accipi poteſt, obnoxius; quã ob rem tantò majore ſtudio ſpiritualibus exercitijs probè ſunt munienda principia, tàm ad ſedulam ulteriori profectui proviſionem, quàm ad promerendũ majorem Dei gratiam; & hac auxiliante, ad vocationem ſolidiùs firmandam. [b] *Magis* ſatagite (Princeps Apoſtolorum hortatur) ut per bona opera certam veſtram *vocationem, & electionem faciatis*.

8. Jam ad illud quid dicam, quòd [c] *Juſtus morte præoccupatus in immatura ætate raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus?* Quia fieri poteſt, ut juvenis in viã Domini benè currentis animum malitia mutet ob faſcinationem quandam nugacitatis obſcurantem bona, & ob inconſtantiam concupiſcentiæ homini cognatæ tranſvertentẽ ſenſum, etiam malum aliquod hucuſq; non expertum: ideò Deus optimus ætatem ingraveſcentem prævenit, & cœleſtibus donis ampliſſimè cumulatam ante tẽpus coronare vult, & coronat. Beatus quidem Religioſus, quem hæc Dei miſericordia juvenem, ac tempeſtivè de tantis eripit malitiæ, faſcinationiſq; periculis: ideoq; per exercitia ſpiritualia bonũ pone principium; diuturnitate ſtabilire perge, ut propoſitum firmes, & finem optatum feliciùs aſſequaris.

a *Pſal.* 38. 9. b 2. *Pe.* 1. 10. c *Sap.* 4. 11.

CAPVT IV.

§. I.

Cellæ, ſeu ſolitudinis cultus, apprimè cuſtodit vocationem.

1. Religioſus ſivè tyro jam à ſpiritualibus exercitijs ad reliquorum tyrocinij commilitonũ conſortium adlectus, ſivè per votorum nuncupationem, exacto tyrocinio, in commune profeſſorũ commercium admiſſus, ſolitudinem præci-

puum ſtatûs à ſe ſuſcepti cuſtodem eſſe perſvaſum habeat; modò ſemper, & in omnibus, omni privato negotio, vel occupationi, vel deſiderio quantumvis utili, bono, & ſancto præponat virtutem obedientiæ tàm arctè, ſeduloq; cuſtodiendam, ut ne in minimo quidem violetur. Jam quod ad ſolitudinem ſpectat; eam ſibi duplicem, utramq; verò maximè neceſſariam, unuſquiſq; poteſt ædificare. *Prima* ſit in corde; in quo ſivè domi, ſivè foris, in cella, in templo, ſivè ſolus, ſivè cum alijs occupatus ſit, ſemper habet Deum intimè reſidentem, cum quo converſari, ſvaviter occupari, nec unquam latum ungvem ab ipſo recedere cupiat, ſed & ſtudeat. Eſt enim cor, ille nidulus; in quo magnus olim Patriarcha Job mori conſtituerat, & inſtar palmæ dies multiplicare: [a] *In nidulo meo moriar* (dicebat) *& ſicut palma multiplicabo dies.* Eſt cor, [b] *velut caverna maceriæ* (locum hunc interpretatus Corderius ait) *ad quam dovolet. è cœlo columba, ut Divini Spiritûs nidum, & diverſorium opportunum.* In hoc nidulo non ſecùs, ac hirundines, aut aviculæ, ab omni rapaciũ avium, aut beſtiarum rapina ſecuriſſimè fideles animæ requieſcunt. *Extra nidum autem* (idẽ author proſequitur) *prædæ expoſitæ ſunt, & cupiditati.* O quoties extra nidum hunc ad modicum in mundi vanitates evagata ſpatium anima religioſa, ſtatim aliam ſe experitur, quàm optârat, & optat! ſequitur eo caſu curioſam, vanamq; cogitationem cor, & animus; & jam pediolus inhæſit vanitatis alicujus viſco, à quo expedire ſe adnitenti negotium intercedit non mediocre.

2. Non tamen adeò ſit ſemper intenta mens, ut nihil niſi Deum intimè cordi præſentem contempletur. Hoc enim nec imbecillitas humana ſuſtinet in hac mortali vita, quantumcunq; foret hoc optabile; nec conſultum valetudini judicatur, ut forti quadam imaginatione Deum vel in corde, vel hîc, aut ibi, ubi quis verſatur, ſemper contueatur præſentem. Sed ſvaviter, ac ſine omni imaginativæ potentiæ violentia,

a *Iob. 29. 18.* b *Corder. hic*

tia, quidquid occurrat menti, instar ignis in cōtinuo quodam versanti motu, nec unquam à cogitatione, vel rei cujuspiam consideratione vacanti, semper ad Deum omnium fontem, & ut talem intimè præsentem tàm sibi, quàm rebus omnibus, omnia referat. Ut, si de cœlo, de Paradiso, de Angelis, de astris, & alijs rebus creatis (quæ quodammodò sunt infinitæ) suboriatur cogitatio, ad Deum tàm admirabiliū rerum, & humanis ingenijs haud equidem comprehensarum, Creatorem adspiret; ipsum laudet, admiretur; imò & gratuletur tàm ipsi opifici maximo, qui ad gloriæ suæ amplitudinem ab infimis nobis homulis contemplandam ea creavit; quàm ipsis operibus tàm pulchrè, tàm speciosè, tàm mirū in modum & ordinem ad Dei gustū creatis. Si de astrorum, ac siderum, aut terræ situ; de maris elemēti liquidi continuo fluxu, & refluxu, de plantarum, & arborum qualitate, decore, venustate, fructificandi indole; de radicum, herbarū, frugum, & aliorum, quæ Deus in hominum, jumentorum, animalium, volatilium, & reptilium, omnium deniq; viventium usum, alimentum, & vitam liberalissimè ordinavit, utilitate, & usu. De toto terraqueo globo tàm mirabiter sibi cohærente si cogitatio mentem subeat: etiam in his omnibus ac singulis Deum factorem humiliter adoret; ac partim in immensæ sapientiæ divinæ defixus admirationem, partim infinitæ thesauro bonitatis delectatus, exclamet cum Apostolo: a *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus*, in ijs ad pulcherrimum universi totius ordinē, & harmoniam conservandis; *& investigabiles viæ ejus* in ijs ordinatissimè gubernandis!

3. Si de ipsius Sanctissimæ Trinitatis immensâ gloria, sapientia, majestate, æternitate, providentia; vel de quocunq; sapientiæ Divinæ mysterio, si de beatarum mentium in cœlo felicitate, gloriâ, inexplicabili gaudio offerat se cogitatio; ibi quidem cum omni veneratione in sui nihilum se recipiens obstupescat, & cū regio Psalte

a *Ro.* 11. 33.

succlamet: Ah! [a] *Domine Deus virtutum! quis similis tibi? Potens es, Domine; & veritas tua in circuitu tuo. Quis Deus magnus, sicut Deus noster?* [b] *Tu es Deus, qui facis mirabilia:* facis, inquã, [c] *Magna & inscrutabilia, & mirabilia absq; numero.* Hìc autem gratulari potes etiam electorum in cœlo felicitati, totoq; cordis affectu ad eorum aspirare consortium, ac dicere: ô sanctæ vos, & electæ mentes! [d] *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam* unà vobiscum in laude, continuâ, & amore [e] *Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto?* Si inferorum locus, si piaculares animarum ignes; si persona quæpiam, si homines vel olim tibi visi, vel quibuscum nunc tibi consortium, & commercium intercedit; si locus, si campus, hortus, & aliarum rerum, quæ prorsùs innumeræ sunt, occurrant species; in his omnibus & singulis, si bonæ sunt bonitate seu physicâ, seu morali, Deum laudabis; & tamen super hæc omnia in Deo conquiesces: si malæ, & aliis noxiæ, pro ratione præditis, ad Deum suspirabis, & ipsis implorabis gratiã, ut ad optimi Dei Creatoris sui, ejusq; bonitatis & misericordiæ cognitionẽ veniant; ipsum solũ ut ament, timeãt, eiq; serviant; maleficia sua detestentur, & ad viam, veritatem, ac vitam, quæ amabilissimus JESUS est, pervenire contendant. In brutis autem animantibus, aut in rebus inanimatis, hominum tamen usui, sanitatiq; perniciosis, etiam humiliter admiraberis Divinam providentiam, quæ plerumq; dispositione mirabili per hæc aut hominum peccata castigat; aut virtutem exercet, & acuit: & tamen in bonum omnia dirigit finem, cognitum sibi soli. Deniq; sicut divinorum operum, & rerum creatarum infinitus est numerus; ipsa quoq; mens hominis omnium, quæcunq; per sensus aliquando percepit, capax est, & perpetuâ mobilitate veluti mola circa ea versatur; sic in omnia, & singula, quæcunq; tandem ea sint, dum, & quandocunq; incurrit cogitatio, semper ad Deum, cum quo in corde

[a] *Psal.* 88. 9. [b] *Psal.* 76. 14. [c] *Iob.* 5. 9. [d] *Psal.* 54. 7. [e] *Psal.* 76, 25.

corde nidulum suum habet anima, omnia referre studeat, & pro temporis, ac rei opportunitate noverit aspirationem facere; cum Deo, & in Deo statum, conditionem, negotia, ministeriaq; sua reputare; meditari quatuor novissima; fallaciam, & vanitatem mundi; vitæ mortalis infirmam basim; rerum humanarum vicissitudines, & inconstantiam, finem, & alia his similia considerare. Hic status est solitudinis, & niduli in corde ædificati.

4. *Alteram* solitudinem anima religiosa constituere sibi debet in cella. In hac Religiosus nunquã solus est, quantumcunq; solus, ac solitarius alijs videatur. Undè S. Ambrosius ad Sabinum scribens: *a Nunquam*, ait, *minùs solus sum, quàm cùm solus ipse videor.* In cella sanctissimus hic Præsul Deum, & paradisum habuit, ab omnibus hujus mundi rebus, & extraneis (quantum videlicet ejus patiebatur officiũ) alienus. Sed & Venerabilis ille Thomas à Kempis non alibi, quàm in solitaria cella reperit animæ suæ requiem, ait enim: *b In omnibus requiem quæsivi; & non inveni, nisi in angello cum libello.* Cellam igitur unicè Religiosus amet; eam sibi per continuam habitationem (nisi cùm devotio in templum, in oratorium, in aliquem alium locum, & angellum, in quo sit vel Christi in Crucem acti effigies, vel Beatissimæ Virginis Mariæ, vel peculiaris alicuius sancti Jcon, amabiliter trahit; vel cùm ministerium, aut commune cum alijs officium aliquod avocat aliò) per continuam, inquam, habitationem cellam sibi reddat familiarem, eamq; sibi dulcem reddere studeat, sicut idẽ religiosissimus asceta monet, cùm ait: *c Cella continuata dulcescit; malè custodita tædium generat. Si in principio conversionis tuæ* (notet hîc novitius, quale conversionis suæ principiũ ponere debeat) si, inquam, *in principio conversionis tuæ benè eam incolueris, & custodieris; erit tibi posteà*, quamdiu vixeris, *dilecta amica, & gratissimum solatium:* non tamen in eâ dormitans, aut dormiens, nisi cùm tempus ex cõmuni regulæ præscripto

a S. Ambr. to. 3. ep. 41. ad Sabin.

b Thom. Camp. c Idem lib. 1. c. 20. de imitat. Christi.

pto moderatam aliquam misero corpori quietem permiserit: nec deses, & otiosus; sed semper honestè juxta instituti, vel impositi muneris, ac ministerij necessitatem occupatus. In cella cum Apostolo nunc *a oret spiritu, oret & mente*: nunc *psallat spiritu, psallat & mente*, & ore: nunc precationes suas cum divinæ præsentiæ preces excipientis adoratione persolvat: nunc libros spirituales, Sanctorum vitas, & sacras historias legat; nunc literis, quibus incubuit olim, vel adhuc incumbit, studeat; Theologiam, Sacram Scripturam, scripta Sanctorum Patrum evolvat, ut ità scientiam comparatam servet in se, provehatq; : jam scribat, vel scripta sua recognoscat; aliena (modò procul absint à curiositate mundana; vel non sint parùm honesta) transcribat, vel in compendium redigat; inter quæ tamen, ac præsertim sacrum codicem cùm legit, Deum semper præsentem, occupationis suæ speculatorem, seu spectatorem intuebitur, & quodammodò sentiat tanquam in Paradiso deambulantem. Hinc iterùm S. Ambrosius: *b Et nunc*, inquit, *deambulat Deus in paradiso, quando Divinas scripturas lego*. O beatum Religiosum illum! quem sic occupatum etiam ipsa mors inopinata (quamquam bono, veròq; Dei servo nunquam inexpectata mors est) deprehendit. Non enim illum fallet æternæ veritatis Christi Domini promissum dicentis: *c Beatus ille servus; quem, cùm venerit ejus, invenerit sic facientem*. Quid autem ipsi faciet? Audi: *Super omnia bona sua constituet eum*. Id est: *In Dei gloria collocabitur*, S. Hilarius ait: *d quia nihil sit ultra, quod melius sit*. Videlicet in illa claræ visionis omne bonum aliud superantis felicitate. Hic est fructus solitudinis in corde, & cella sedulò cultæ, & habitatæ.

a 1. Cor. 14. 15.

§. II.

In hoc solitudinis diligenti cultu secum quoq; Religiosus habitare,

b S. Ambr. ut sup. c Matth. 24. 46. d S. Hilar. comm. in c. 26. Matth.

bitare, loqui, & agere, non intermittat.

I. ETsi superiore paragrapho pertractata probo Religioso sufficiens sint occupatio, præsertim quia [a] *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; dantq; materiã continuè seipsum inspiciendi, suum nihilum considerandi; affectum, & spiritum ad Deum elevandi: tamen peculiarem prætereà ratiocinationem super suimetipsius frequenti contemplatione, vocationem mirum in modum promovente, stabiliente, & ad Deum super omnia diligendum, seipsum verò contemnendum inflammante, hîc instituemus. Igitur illa superiora mentem suaviter ab omni parte delectant, & quendam in cordis intimo, & in cellæ diligenti cultu paradisum constituunt ità, ut illis assvetum Religiosum vel rarò, vel difficilè mundi vanitates, & illecebræ possint, aut soleant in sui desiderium aliquod allicere; imò, ut nec videre, nec de ipsis audire, nec scire velit, contentus interim hoc quodam terrestri cœlo, & beatitudinis illius, ac beatæ visionis in cœlo vero promulside; quam intra semetipsum in corde, inq; cellæ suæ quatuor parietibus abundanter habet; donec in illam evocetur patriam, & in consortium beatorum, ubi jam extra corpus, post œcumenicam autem anastasim etiam in corpore clarificato, nihil ampliùs humani, totus in eâ viva, veraq; contemplatione non jam per speciem, & in ænigmate; sed (sicut magister gentiũ ait) [b] *Facie ad faciem*, vel sicut dilectus Christo discipulus; [c] *cùm apparuerit in cœlo* Deus, similis ei futurus, ipsumq; clarè visurus, *sicuti est*, absorptus in claritate Divina, experietur. Jam autem cùm ea, quæ sunt dicta superiùs, occupatio sint homini satis ampla, non minor etiam ipse sibi magna est respublica; in qua secundum S. Ambrosium [d] *Solus sibi abundat; quia ipse sibi satis est: nec solus aliquando est, cui præsul Dominus est.* Nimirùm quantumcunq;

[a] *Ro.* 8. 28.

[b] 1. *Cor.* 13. 12. [c] 1. *Io.* 3. 2. [d] *S. Ambr. to.* 4. *lib. de Isaac. & anima c.* 3.

solus

solus esse videatur homo, nunquam solus est. Quia sibi præsidem, & præsentem habet Deum, sine quo nec vivere, nec moveri, nec esse potest. Habet inspectorem, & tutorem illum, qui regit, dirigit, & ad finem bonum omnes actiones ejus exteriores æquè, ac interiores promovet, ad exercendam virtutem excitat; à vitijs, & ab omni eo, quod divinis oculis illius displicet, dimovet, & avertit.

2. Sed ad propositum ut veniam, omittam autem alia; tria potissimùm Religiosus habet in uno se non perfunctoriè peragenda. *Primò*, plurimùm ut laboret in sui cognitione; quam magna quondam apud Græcos, & clarissima sapientiæ lumina brevi quidem, sed nervoso, magnaq; cum energia inculcaverunt Philosophi documento: *Nosce teipsum*. Hanc sui cognitionẽ Clemens Alexandrinus appellat [a] *Omnium disciplinarum maximam*. Et S. Dionysius eam vocat [b] *Primum sanctum munus*. Et verè cognitio sui *Primum*, ac præcipuum *sanctum munus* est à Deo singulariter infusum probo Religioso. Quia enim vocatus est ad Divinæ Majestatis obsequium, ut in eo constanter perseveret; in seipsum quàm profundissimè descendat, est necesse. Igitur in hac cognitione sui considerabit etiam quatuor. *Inprimis* quidem; secundum carnem se nihil aliud esse, quàm verè turpitudinis massam, & cum S. Francisca Romana loquendo, *Immunditiæ vas*; ut alia taceam ab alijs fusissimè, nec sine gravi emphasi, quæ & nauseam, abominationemq; movent, descripta. Deindè secundum spiritum, ex nihilo nihil, solâ Dei miseratione formatum ad imaginem Creatoris sui; sed, eheu! quantis vitijs imaginem deformatam! nec aliter, nisi Dei gratiâ denuò reformandam. Cui reformationi ut respondeas, & Divinæ gratiæ volenti reformare in novum hominem, [c] *Qui secundum Deum creatus est*, coopereris; inspice, & scrutarè benè vitia tua, miserias, affectiones, & inclinationem: vi-

[a] *Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 1.*
[b] *S. Dionys. cœlest. Hierar. c. 2.*
[c] *Ephes. 4. 24.*

tia quidem, ut emendes; miserias, & peccata defleas; affectiones, & inclinationem, homini veteri cognata ceu freno quodam ut coërceas. Quam in rem sapienter, ac rotundè Seneca: [a] *Deprehendas*, inquit, *te oportet, antequam emendes*. Deus enim ad hoc te vocavit, ipsoq; duce statum tibi religiosum elegisti, non ut perfectum te jam esse censeas, & in tranquillo quodam portu constitutum te putes, ubi nullam incursionem ampliùs, impetumquè sustineas: sed ut instar militis armati benè, semper hostem, quàmdiù vivis, è specula quadam circumspicientis paratus sis & pugnare, & vincere, Deo videlicet non tantùm spectatore, sed etiam auxiliatore. In hoc ergò labor non modicus sit, advertere, & videre vitia sua; è mentis edito carnis, & affectuum inclinationem, impetus, & motus inordinatos animadvertere. Nec enim incursiones ejusmodi retundere posses, & eliminare, nisi notum habeas; quid, ubi, quomodò, undè, te oppugnet. Hinc iterum alibi præclarè Seneca. [b] *Hoc*, inquit, *argumentum est in meliùs translati animi, quòd vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt*. In hac republica sua vitijs insurgentibus imperet, ea frenet, & opprimat Religiosus; uti sanctiùs Mediolanensium Præsul Divus Ambrosius ait: [c] *Præsidet unusquisq; sibi quadam potestate regali; si coërceat in se corporis luxus, & servituti redigat carnem suam*.

3. *Præterea* ex hac cognitione sui dum causam arripiet humiliandi se profundissimè, seq; despiciendi; tunc majorem habebit ansam ex considerată anteacta vita sua, ex peccatis, & iniquitatibus olim à se patratis, usq; ad inferni profundum se se abijciendi; quando, tanquam si Deus non esset, licentiosissimè ruebat de scelere in scelus, & summam illam bonitatem Dei non mente quidem, aut verbo; hoc enim extremæ fuisset genus impudentiæ, & impietatis: sed ipso quodam pravorum operum clamore contemptum, & offensum ibat; iniquitates suas videns, videre noluit; Dei vo-

a *Sen. ep. 24.*

b *ep. 6.* c *S. Ambr. lib. de Isaac. & anima. c. 4.*

cem, vel instinctum suaviter monentem interiùs, & à peccato dehortantem, aut etiam deterrentem audiens audire contempsit, & minimè licitum, imò illicitissimum, titulo fragilitatis aliquam necessitatem, quæ tamen nonnisi turpis erat, eaq; momentanea voluptas, ipse tibi licentiosus magister, nequidquam reclamante conscientiâ, voluntariâ cœcitate, cœcâq; contumaciâ, interpretatus. O quantâ per fas, & nefas impudentiâ non jam ibatur, sed ruebatur impetu cœco in Dei contumeliam! sæpè quoq; cum alterius offendiculo, & ruinâ, sic, ut alter malum, quod ignorabat, didicerit te magistro. Mirùm certè, quomodò vel ipsa natura tanti contemptûs erga Creatorem vindex non undiq; in ultionem armaverit se; hostem, & inimicum Dei quòd terra non absorbuerit; cœlum fulmina quòd ejaculatum non sit; Angelus Custos ultor non oppresserit; ferocissimæ belluæ, venenosissimæ bestiæ non extinxerint; ipsi spiritus infernales ad inextingvibiles ignes non rapuerint. Sed ea fuit Dei benignissimi patientia, & mansvetudo; ut conversionem & pœnitentiam tuam præstolaretur; paternè semper moneret, excitaret, & duceret ad frugē. Horum, & his similium, non oportet immemorem vivere, quantumcunq; jam Dei miserentis auxilio, gratiâq; conversum: sed cum regio Psalte dicat, & occinat sibi crebriùs, ex una quidem parte. [a] *Cogitavi dies antiquos* vitæ meæ pessimè transactos; ex altera verò *Annos æternos in mente habui*, illos, inquam, annos, alios, qui sine mensura, sine omni termino puniunt, torquent, & examinant improborum scelera; alios, qui sine fine, sine mensura, veram pœnitentiam, virtutem, & probitatem remunerantur, & coronant. Igitur æternos illos tormentorum annos ut evaderem, misericordissimus Deus ex infinita bonitate sua convertit me; viam ad probitatem ostendit; ipse quodammodò manu prehensum in viam rectam, & bonam deduxit me: [b] *Eduxit me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi*

[a] *Psal.* 76. 6. [b] *Psal.* 30. 5.

hostes animæ meæ; liberavit, & extraxit me [a] *De profundis aquarum*. Quid igitur ad hæc ego? Ah! Deus meus! facio, & faciam, quamdiù vixero, quod idem bonus ille pœnitens de se testatur: [b] *Meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum*. Exardesce contra te, peccatrix olim anima; sed jam Dei gratiâ de peccatorum tenebris *In Dei lumen, & regnum* vocata apprehende disciplinam; exerce, purga, & veluti scopis expurga non solùm carnem ab immunditijs concupiscentiæ tuæ, sed & spiritum ab iniquitatum sordibus, abnegatione propriæ voluntatis emunda; diligenti in conscientiam inquisitione, sincerâ peccatorum confessione, seriâ pœnitentiâ, quidquid immundi reperis, elue, & deterge.

4. *Postremò*; considerabit imbecillitatem suam in hac sui cognitione: se videlicet naturæ viribus adversus vitia, sicut & in virtutum profectu, nihil posse; nisi purè Dei gratià (quâ se reputet indignissimū) excitante, auxiliante, comitante, & protegente. Et hanc notitiam, cognitionem, ac scientiam Divus Augustinus anteposuit omni rerum aliarum scientiæ; sicut ipse de viro probo testatus, ait: [c] *Præposuit scire infirmitatem suam magis, quàm scire mundi mœnia, fundamenta terræ, & fastigia cœlorum*. Huc etiam collineare videtur religiosissimus ille spiritûs magister Thomas à Kempis, ubi dicit: [d] *Hæc est altissimà, & utilissima lectio*, & scientia, *sui ipsius vera cognitio, & despectio*. Dum enim homo seipsum cognoscit integrè, non potest etiam non statim semetipsum despicere: cognoscere verò, solum Deum esse omnia, super omnia; per ipsum, & propter ipsum esse omnia; propter ipsum, inquam; non quòd Deus his omnibus, imò vel minimo istorum, opus habeat: Deus enim seipso totus est gloriosus, nullius indigens, ipsi sibi per omnia sufficientissimus, uti benè divinus Psaltes ait: [e] *Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges*.

a Psal. 68. 14. b Psal. 76. 7.

c S. Aug. lib. 4. de Trinit. in Prœmio. d Tho. Camp. de imit. Christi lib. 1. cap. 2. nu. 4. e Psal. 15. 2.

Sed

Sed alia quidem, puta Angeli, & homines, ipsum & cognoscerent, amarent, & in ipso beati essent. alia verò, uti brutæ animantes, & res inanimæ; ut ex admirando ad totius universi pulchritudinem opificio, & ordine, creatoris sapientia, providentia, ars, & artificium commendaretur, atq; prædicaretur. Atq; hæc de cognitione sui, primâ solitarij occupatione.

5. *Alterum*, quod in cordis, & cellæ solitudine contempletur Religiosus, est: Dei beneficia, dona, & gratias in se collatas ut expendat; non ad superbiam, & aliquem animi fastum; sed magis erga Deum munificentissimum largitorem ut accendatur, & ardeat amore, seq; profundiùs, quàm aliàs unquam humiliet, atq; tàm benefico datori suo continuè gratias agat. Non est hîc mei propositi vel in genere omnia, vel in specie singula recensere, pro quibus agendæ sint gratiæ. Nam res in immensum excresceret; & ab alijs habentur alibi fusissimè recensita. Sed unusquisq; seipsum, conscientiamq; suam conveniat, deprehendet certè omnia, & singula magna esse; si Deum largientem, & se beneficiarium in comparatione tanti datoris, omnium indignissimum accuratè dispiciat, & consideret. Quantis periculis tam animæ, quàm corporis, & quoties ereptus sit hucusq;, Deo videlicet semper auxiliarem manum porrigente; quàm malèmeritum, & ab omni parte vilissimum terræ filium, incolumem ad hæc usq; tempora servârit Deus. Quid dicam de vocationis ad fidem, ad Sacramentorum usum, ad pœnitentiam, ad Religionem, gratia? Quid de dotibus, & qualitatibus animi, de ingenio, de scientia, de doctrina, de optimi Dei qualiquali cognitione, de ipsis etiam honorificis in Religione (non enim hîc ad solum tyronem sermo est) ministeriis, quibus nunquam dignus eras, ob inordinatissimam vitam tuam? Invenies & alia plura, quæ hîc enumerandi nec locus, nec tempus est. Pro quibus omnibus nusquam opportuniùs, quàm in cella solitaria humili-

are te, & Deo gratias agere potes, & debes; & crebrò per suspirium in hæc erumpere verba: a *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.* Vel: b *O Domine! Quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Vel; c *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ah, Deus meus! non meis ego cõfisus viribus, sed tuo nixus auxilio, & gratiâ, d *Calicem salutaris accipiam*: libenter, inquã, alacriter, & cum omni patientia Instituti suscepti rigorem tolerabo, sed & alijs supererogatorijs carnem macerabo; aut quæcunq; supervenerint sensui meo contraria, adversa, & ærumnæ, promptus accipiam omnia toleranda. Subindè poterit etiam tardum suum ad conversionem consensum reprehendere, ac dicere cum S. Augustino: *Serò nimis amavi te, lux mea: serò nimis cognovi te.* Plura docebit Spiritus Sanctus, cujus dona non possunt unquam omnia enumerari. Jam verò Divinæ Majestati innumeris titulis obligatus homo, Deoq; afflatus facilè reperiet, quid dicat, quid confiteatur, & quid ad Dei laudem, gratiarum actionem, sui verò contemptum,, ac despicientiam ex cordis intimo depromat.

6. *Tertium*, quod in hac solitudine pariter non intermittatur, considerandum venit; videlicet Christi Domini servatoris nostri, Beatissimæ Virginis Mariæ, Electorum quoq; tàm eorum, quorum animæ jam in cœlo sunt, quàm eorum, qui nobis ignoti, soli Deo cogniti, vivunt in terris, virtutes, heroica opera, perpessiones, merita, & gloriam, meditari, imitari, ipsi amabilissimo JESU, ejusq; Sanctis omnibus, ac præcipuè Beatissimæ Virgini Mariæ gratulari, & gaudere de tantis eorum bonis: sicut & de ipsius æterni Dei incomprehensibili sapientia, omnipotentia, providentia, incomprehensibilitate, alijsq; bonis, & (sicut vocamus) attributis, ac perfectionibus, voluptatem in animo excitare: vel aliàs conceptam voluptatem crebriùs renovare; omni

a Psal. 61. 1. b Psal. 115. 16. c v. 12. d v. 13.

studio

ſtudio per intenta ſuſpiria in ſe accendere; ſemper autem cum ſumma quadam animi ſubmiſſione, ità, ut ne oculos quidem in cœlum audeat elevare. Hæc tàm paragrapho præſenti propoſita, quàm his alia ſimilia plurima ſolitudinem in cella mirificè conſolantur, & recreant; intellectum ſemper magis illuminant; affectum, & voluntatem ad virtutis, ac ſuper omnia ad Dei amorem excitant, accendunt, & inflammant; vocationem, & ſtatum electum in Religione reddunt amabilem; Deum ad dandum perſeverantiæ donum, ad dandas & iam alias ex liberalitate ſua gratias ſuſcepto ſtatui neceſſarias, opportunas, copioſas, & efficaces, atq; alia præſtanda beneficia, provocant; & datur ſenſim quidam aditus ad impetrandam à Domino Deo, *Cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus*, in gratia confirmationem.

CAPUT V.

§. I.

Religioſo ſemper occupato ſecura manet vocatio.

I. EX hoc ſuperiori Capite ſatis conſtat; Religioſum verum vocationis ſuæ cuſtodem otiari debere nunquam, adeò quidem, ut aſſiduâ jam lectionis (ſed utilis, & quæ deceat ſtatum ipſius) jam ſcriptionis, jam piæ meditationis alicujus, aut cujuſcunq; tandem operis honeſti occupatione diſtineatur; ſciatq; vocationis ſuæ negotium non in eo conſiſtere, quòd inchoaverit benè; ſed ut aſſiduitate quadam continuet ſemper. cùm illud Apocalypſeos: *Tene, quod habes*, ſignificet (uti jam alibi dictum eſt) *Actum non inchoatum, ſed continuatum*, ſivè perpetuò continuandum. Unde S. Hieronymus ad Ruſticum ſcribens ſapienter ait: [a] *Semper aliquid boni facito; ut te diabolus inveniat occupatum*. Quia enim omnis boni, ſed præcipuè religioſæ vocationis inimicus diabolus nullum intermittit momētum, quo Religioſos infeſtet; ideò tunc illum impugnat vel maximè, quando nec corpore, nec animo benè reperit occupatum. Non ſine cauſa Doctor maximus hac uſus eſt phraſi:

[a] *S. Hieron.*

Semper

Semper aliquid boni facito. Non simpliciter dicit: *Aliquid facito*; sed, *semper aliquid boni facito*. Nam aliquid facere, quod bonum non est, perindè est, ac otiari, & nihil facere: & hoc est verè solum, & solitarium esse, nullâ scilicet bonâ re occupari; sine bono opere, nec sibi, nec alijs utili, vitam agere.

2. Nunc primùm intelligo meliùs, quod olim sæcularis adhuc annis ab hinc octo supra quadraginta memini me non sine admiratione mea, quoties illac transire me contigerat, in templi cuiusdam pariete lectitasse scriptum: *Homo solitarius. aut Angelus, aut diabolus*. Putabam ego tunc, insignem hanc esse blasphemiam, vel saltem politicorum in Sacerdotes, eremicolas, & Religiosos solitarios sarcasmum: hominem habitantem solum, uti curatum in parochiæ suæ ædicula, vel tenui cubiculo in pagis, aut villis; eremitam in silvarum, aut montium deserto; Religiosum intra quatuor angulos habitantem, diabolum (quando non potiùs Angelum) appellari. Posteà Divinâ miseratione Religionem ingressus, veritatem ejus sententiæ tanquam in umbra quapiam animadverti; nunc in ejusdem consideratione dicti clarum mihi fit, in veritate rei sic esse; quòd *Homo solitarius, aut Angelus, aut diabolus est*. Nam si corpore solus, at non solus animo, sit in cella, sit occupatus benè, semper aliquid boni faciat; oret, meditetur, legat, scribat, exscribat, opus aliquod honestum faciat, verè Angelus est: quia ministerium, & negotium cum Deo, cum Angelis, cum justis exercet. Si verò non agat aliquid boni; si actiones suas etiã indifferentes non ad Dei gloriã & honorem; sed ad sensuum suorum geniũ convertat; si (quod foret pejus) aliquid perperam, ac perversũ cogitet, agat, & exerceat: jam iste sicut agendo malè, nihil agit, & totus otiosus est; sic & talis solitarius, quia non cum Deo, nec cum ejus Divina gratia agit, non jam homo, non Angelus, sed diabolus est.

3. Itaq; boni Religiosi studium esse debet, actiones etiam adiaphoras in bonum per intentionem, quæ sola judicat actus

actus, convertere: id est; in cella dum scribit, legit, deambulat, etiam ab opere nonnihil respirat, & quiescit; & dum id vel necessitas, vel tempus exigit, jacet, aut dormit; vel quodcunq; tandem impositum sibi negotium exequitur seu privatim, seu publicè, ita ad Deum Creatorem suum, & ad ejus gloriam singula referat, ut ex indifferentibus, & aliàs vix aliquod meritum habituris actionibus, reputentur bonæ, laudabiles, & Deo gratæ. Atq; hoc erit *semper aliquid boni* facere. Super omnia verò, dum omni occupatione vacat exteriore, negotium ipsi præcipuum sit illud, à quo sapientissimus Salomon fortem mulierem commendat. Nimirùm quòd [a] *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Quam sententiam Interpretes sacri tropologicè referunt alij quidem ad conscientiam; eò quòd hæc sit certa quædam animæ domus, quam ipsa speculetur non per otium, & perfunctoriè; sed seriò per assiduum studium omnes ejus inspiciat latebras, exploret, ac perscrutetur. Alij verò ad ipsam animam, seu mentem; quæ pariter domus quædam est hominis, assiduâ consideratione diligenter pervestigandam. Jam quod ad primam hujus sententiæ pertinet intelligentiam; Vatablus eam sic exponit: [b] *Speculatur statum domûs suæ, & panem ignaviæ non edit:* tanquam velit innuere Spiritus Sanctus; animam fidelem adeò sedulam esse debere in perscrutanda conscientia sua, ut vel etiam tunc, dum panem comedit, ab inspectione sui minimè ferietur; vel in semetipsam tàm anxiè semper inquirat, ut ne cibus ille, quo corpus vescitur, sit otio, seu non suo, sed alieno labore, comparatus; ità ut de Religioso dici possit: [c] *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & benè tibi erit.* Hoc autem est labores manuum suarum manducare, occupatione continuâ in obsequio Divino, etiam tunc, dum manducat, honestè distineri.

4. Nervosiùs hoc ipsum comprehendere videtur San-

a *Prov.* 31. 27.

b *Vatablus.*

c *Psal.* 127. 2.

ctus Augustinus, ubi sententiam superiorem exponens, ità dicit: a *Severæ conversationes domûs ejus: cibos autem pigros non comedit. Severæ, inquam, fortes; & districtæ. non est, ubi diffluatur; non amat dissolutionem. Et meritò tantum acquisivit; quia cibos pigros non comedit.* Quasi velit hoc inculcare flagrantissimus amore Divino Doctor: Animam fidelem, ac præcipuè religiosæ suæ vocationis studiosam, severum semper, & rigidum esse debere conscientiæ suæ judicem, ac censorem ità, ut nunquam permittat ipsam in aliquam dissolutionem, ne tunc quidem, cùm manducat, diffluere; nec patiatur eam in aliquam consentire licentiam, aut indulgentiam; & jam huc, jam illuc in sensum aliquem, aut affectum inordinatum, vel pravum distrahi; sed semper ipsam gravi severitate sub ferula teneat. Quæ sanè cùm salutaris, tùm ad Divinæ legis, ac voluntatis regulam est digna religiosâ mente occupatio, per quam actiones suas ad ultimum, qui Deus est, dirigit finem. Quam in rem præclarè S. Gregorius, aut ejus verbis Venerabilis Beda: b *Semitas, inquit, domûs suæ considerat; quia cunctas suæ conscientiæ cogitationes subtiliter investigat. Panem otiosa non comedit: quia hoc, quod de sacro eloquio intelligendo perceperat, ante æterni judicis oculos exhibendo operibus ostendit.* Et post pauca: *Quas profectò semitas anima benè considerat, cùm & diligenter; quibus actibus ad superna pervenire debeat, inspicit; &, quæ agenda didicit, sedula exercere non desinit.* Itaq; Religiosus etiam tunc, dum nihil videtur agere, abundè satis occupatur; quando conscientiæ suæ speculatur, & explorat omnes semitas, easq; diligenti pervestigat indagine; quatenus, quod minùs rectum, & corrigendum advertit, illud corrigere non intermittat; quod inordinatè per pravos affectus in quosdam veluti colles assurgit, certa nimirùm conscientiæ rectè dirigendæ impedimenta; id totum, tanquàm semitarum aspera, mortificationis sarculo complanet.

5. Ad sententiæ superioris alterum sensum quod attinet; nempè

a S. Aug. serm. 45. de diversis.

b S. Greg. lib. 35. moral. c. 15.

nempè quòd anima, seu mens ipsa, sit hominis quædam domus, cujus semitæ debeant considerari; habet similiter in hac domo Religiosus sufficientem occupandi se materiam; dum in ea tanquam in speculo quotidie cõsiderat semetipsum, in eaq; consideratione sedulus operator, animæ statum diligenter explorat, eam exercet, purgat, virtutes inserit, extirpat vitia, & ipsam ità formare studet, ut ad finem suum, id est, ad Deum, ipsam dirigat. Quam quidem animæ considerationem S. Bernardus alicubi graphicè describens ità commendat: [a] *Et primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Postremo divinarum pariter, & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat; hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, veri similia examinat; ficta, & fucata explorat. hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat a-*

[a] *S. Bern. de considerat. lib.* 1. *ante finem*

ut incorrectum, aut correctione egens &c. Hucusq; S. Bernardus. Subdit deindè, ab hac consideratione pendere omnes virtutes, earumq; concentum; & pervideri clarum in anima: quomodò singula sese complectantur invicem, sibiq; conveniant. Pulchra videlicet, quãvis irrequieta, sed religioso viro digna, in solitudine occupatio; quæ minimè fatigat, etsi continuè verset, utiliter exercet, in opus ex opere ducit, benè semper ad Dei gloriam occupatum.

6. Illa quatuor Apocalypseos animalia licèt [b] *In medio sedis, & in circuitu sedis* immẽsæ majestatis ambirent thronum; nihilominùs *Et in circuitu, & intùs plena sunt oculis*, ideò, ut ab incomprehensi Dei constituta ministerio circumspicerent ad amussim, ac viderent omnia, & in omnes ad tàm sublimis obsequium ministerij partes obversis, neq; die, neq; nocte requiem sibi permitterent ullam; sed continuè laudarent viventem in sæcula sæculorum: *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus,*

[b] *Apoc.* 4. 6.

Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Jam autem hìc quæri potest. In cœlo cùm summa sit requies, illa tamen animalia cur nec die, nec nocte requiem habuerunt? Responderi quidem posset: sicut animalium illorum, quæ typus erant obsequentium Deo, sic & omnium beatarum in cœlo mentium, sed & omnium Electorum, servorum Dei adhuc in terra commorantium, quantumcunq; Dei laudibus insistant tàm in cœlo, quàm hìc in terra similiter in Divinis laudibus, & in omnibus alijs actionibus suis ad honorem & gloriam Dei exhibitis ambulent, laborent, & occupentur, eam tamen occupationem, & laborem, veram esse quietem; eò quòd in Deo solo toti conquiescant, & in ipso solo beatitudinem suam omnẽ collocent; omnes etiam labores, perpessiones, & miserias, quas in hac mortali vita sustinent Electi, quin & prosperos successus, ac solatia, quibus ipsos Divina gratia dignatur, ad Deum referunt. Intereà S. Augustini responsio plus hìc habeat authoritatis, propositam quæstionem ità solventis: Esse quidẽ Sanctis in cœlo requiem summam; sed nullam prorsùs à Divinis laudibus, in quas ijdem Sancti decantandas excurrunt assiduè. Do Sancti Doctoris verba: [a] *De Sanctis*, ait ille, *animalibus dicitur; & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, id est: Non cessabant hæc semper decantare. In cœlis namq; requies est maxima Sanctis.*

7. Hanc verò Sanctorum animalium, Angelorum, omniumq; beatarum mentium in cœlo sine cessatione Deum laudantium assiduitatem æmulantur etiam in terra omnes boni Christiani, sed præcipuè Religiosi in spiritu exercitati, & (verbis utar Cornelij à lapide) [b] *Pij, & Sancti; qui semper corde, & ore canunt: Benedicam Dominum in omni tempore. quorum vita est continua Dei laus.* Sed & S. Basilius idipsum expressit graphicè, dum explicans illum Psalmi versiculum, *semper laus ejus in ore meo*, quærit:

[a] *S. Aug. super illud Ge. 2. Et requievit Deus die septimo.*

[b] *Cornel. comm. in Apoc. c. 4. v. 8.*

Quanam

Quanam ratione fieri possit, ut Deum semper homo laudet, in somno, in cibo, in omni alio opere, ad humanam vitam, & officium necessario? Et respondet; duobus id fieri posse modis: [a] *Primò: Cogitatio, inquit, quæ de Deo semel impressa est, & velut sigillo obsignata in præcipua animæ parte, nimirùm in mente, potest laus Dei rectè appellari, semper in anima existens. Secundò*; si cuncta faciat ad Dei gloriam ità, ut facta, dictaq; hominis omnia; omnisq; spiritualis operatio vim laudis habeant. Itaq; Religiosus sic occupatus, etiamsi dormiat, cùm id necessitas, & ratio temporis exigit; scribat, legat, deambulet, semper Deum laudat. Nam ejus *Vita est continua Dei laus*. Facit enim secundum Apostoli doctrinam: [b] *Sivè ergò manducatis, sivè bibitis, sivè aliud quidpiam facitis: omnia ad Dei gloriam facite.* Et hoc est, quod superiùs inculcat Divus Hieronymus: *Semper aliquid boni facito.* Sic etenim occupato Religioso nec otij tinea vocationem, & institutum susceptum demoliri poterit; nec facilè tentare diabolus; imò nec tentatum vincere. Quia talis hæc assidua Dei laus, & ad Dei gloriam operatio, validissima sunt arma; quibus hostis iniquissimi retunduntur, & eluduntur tela; & vocatio Religiosa tanquam in præsidio inexpugnabili protectionis Divinæ manet secura.

a S. Basilius.
b 1. Cor. 10. 31.

§. II.

Occupatio continua, seu labor, est certus vocationis custos.

I. Asserit S. Ambrosius, homini soli non sine causa præceptum esse laborem, & quasi continuam quandam occupationem, non autem belluis, & ratione carentibus animalibus. Hæc enim contenta ministrato sibi de terra pabulo, vitam sustentant suam: at homini labor impositus est, non tantùm propterea, quòd non possit esse contentus eàdem ultroneâ, quam terra producit, in animalium nutrimentum escâ; sed etiam, quòd industriâ, labore, & in sudore vultûs comparato pane debeat ità sustentare se, ut laborando non solùm

ſolùm corpus in vitam hanc enutriat caducã, ſed etiam eam alat in æternam vitam; uti benè Chriſtus Dominus ex Deutoronomio repoſuit tentanti diabolo: [a] *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quaſi diceret eſuriens Dominus: Apage tentator nequam. Non panem ſeu verbo meo de lapidibus iſtis, ſeu manibus humanis, aut labore quocunq; factum, mihi obtrudas. Illo pane vivere debet homo, quem ipſi Deus ordinavit: & ego panem comedam illum, quem mihi Pater meus mandaverit manducandum, facturus juxta mandatum, & voluntatem illius. Et hæc ad Dei nutum obtemperatio nutrit, non ſolùm corpus, verùm & animam: Et quidem diabolo reſponſum hoc fuit perobſcurum. non enim intelligere potuit, quorsùm Dominus his collinearet verbis; multò minùs & conjectare potuit, an eſſet ipſe Filius Dei; secùs à tentando ceſsâſſet. Cæterùm incarnata Dei ſapientia ſatis indicavit illâ reſponſione: Dominum Deum quidem ſic ordinâſſe vitam hominis, non ut viveret communi belluarum eſcâ, quod eſt gramen, & herbæ, ſed ut compararet ſibi panem labore. Nam panis ſuſtentat corporis vitam temporaneam; ſed labor ex Dei ſuſceptus ordinatione, dum obedit homo voci Dei, nutrit animam in vitam æternam.

2. Sed jam S. Ambroſium audiamus: [b] *Animalibus*, ait ille, *quæ naturâ irrationabilia ſunt, juſſu Dei terra pabulum miniſtrare præcepta eſt, ſoli autem homini, ut rationabile, quod accepit, exerceat, vitæ curſus in labore præſcribitur. Qui enim non eſt contentus animalium pabulo cæterorum, recuſare non debet, qui labore victum requirit brevem, ſi laborem pro vita ſubeat æterna.* Tanquam aliâ re non pateat aditus (ſicut verè non patet) in æternam vitam homini, niſi labore; qui ſolus exturbator otij virtutes inſerit; animam ad diſciplinam erudit; mentem ad in bono perſeverandi ſtudium exercet; virtutes immortali fructu nobilitat, & coronat; ut rectè Sanctus idem Ambroſius:

[a] *Matth.* 4. 4.

[b] *S. Ambroſ. to.* 5. *Præfat. in explanat. Evang. Lucæ.*

sius: *Bonorum*, ait, *laborum nobilis fructus est; & quantò plura certamina, tantò præcellentior corona virtutum.* Et premendum hîc est benè, quod dicitur: *Quantò plura certamina, tantò præcellentior corona virtutū.* Quia quò est quis plus occupatus, & pro virium facultate laborat in studio religiosæ disciplinæ; eò major ipsum, & illustrior, expectat merces. Qui plus in hoc agone certat per occupationes honestas, & religiosà professione digna; illum præcellentior virtutum ornat corona. qui nullum diem, nec horam ullam permittit effluere vacuam; ille profectò plus etiam certat: quem semper Dominus honesto labore invenit occupatum; illum pluribus inundat gratijs, virtutum decorat ornamentis, majori beatitudinis æternæ destinat præmio; paratur ei præcellentior pro virtutum exercitio corona. Religiosus, alius à choro ad exercitia domestica; in ordine, & Instituto nostro, ab oratione mentali matutina ad studium alij, alij (ut in tyrocinio) ad officij divini pensum, alij professi ad exercitium aliquod scholasticū formandum; hinc ad gymnasium; alij ad sacri codicis, aut Sanctorum Patrum, aut alterius historici Sacri, vel etiam pro scholastici ministerij necessitate profani lectionem; ab hac ad scriptionem alij, deniq; ad opus aliud alij vocantur; & beatior ille, cui semper hîc occupato tempus non suppetit otiandi. Nam ità spiritus ad exercendam virtutum disciplinam, & ad vocationi suæ diligentiùs advigilandum aptior, & alacrior est, & Deus assiduo labori semper est inclinatior. Quia *Quantò plura certamina, tantò præcellentior corona virtutum.*

3. Qui labor assiduus, & exercitatio sicut disciplinæ frequentationem magis acuit; ità spiritum quoq; ad Deum studiosiùs inquirendum impellit; &, quod religiosæ vocationi maximè necessarium est, Divinam opem experitur præsentiorem, quàm aliàs otiosi vel difficile, vel minimè experiuntur id, quod in Israëlitico populo satis compertum constat. Nam a *Cùm deprimerent Ægy-*

a *S. Ambr. to. 4. de Cain & Abel lib. 2. c. 3. ad initium.*

ptij *Iudæorum populum* (ait iterùm S. Ambrosius) *in operibus varijs, & luto ac lapide, ingemuerunt filij Iſraël, & Domini provocaverunt in ſe miſericordiam.* Et paucis interpoſitis: *Ecce, quomodò*, inquit, *populus Hebræorum fructu mutavit laborem; ut, qui luto operabatur, ſpe regni operaretur æterni.* Quaſi diceret: Quamdiù populus ille Pharaonis anteceſſorem habuit addictum ſibi, & otioſus in optima terra Geſſen manebat; tamdiù parùm, aut nihil, memor æterni regni, nihil etiam videbatur ejusdem regni ſpe operari. Sed ubi ſucceſſor alius Pharao cœpit populum opprimere; per præpoſitos operum magiſtros ad aſſiduum laborem adigere; graviſſimis eos oneribus affligere; [a] *Vitam eorum operibus duris, omniq; famulatu, quo in terræ operibus premebantur, ad amaritudinem perducere*; ô quàm illi ſtatim ingemuerunt, & Dominum, ejus implorantes miſericordiam, quæſierunt! Initio tanquam Divinæ miſericordiæ minùs indigi ſiluerunt Iudæi: ſed laboribus, & oneribus preſſi, ô quàm ſedulò Deum requiſiverunt! quantis ſuſpirijs ad Deum ingemuerunt, orârunt, & clamârunt! [b] *Clamor filiorum Iſraël venit ad me* (Deus ad Moyſen ait) *vidiq; afflictionem eorum, quâ ab Ægyptijs opprimuntur.* Non audivit Deus, nec vidit otium eorum: ſed laborem, & afflictionem audivit, & vidit. Labor enim *ſpe regni operabatur æterni*: otium autem in Ægypti delicijs vix ad ſuſpirium unum gratiarum actionis etiam pro temporarijs commodis, ac beneficijs excitavit. Habet itaq; labor aſſiduus, & occupatio peculiare privilegium; quòd mentem in cœlum erigat; memoriam conditionis, in qua quis verſatur, refricet; Deum veſtigare doceat; animam religioſam in ſuæ vocationis ſtudio faciat exercitatam; ad conſtanter in propoſito perſiſtendum inflammet. Quod otium, niſi potiùs inſtillet ſegnitiem, inconſtantiam, & omnia vitia, nunquam præſtat.

4. Eſt autem adhuc ampliùs, & propoſito noſtro accomodatius; quod in labore venit conſiderandum. Deus non

a *Exo.* 1. 14.

b *Exo.* 3. 9.

anim a-

animalibus (uti jam dictum) ſed tantùm hominibus laborem præcepit; ùt aſſiduus labor, & occupatio, quidam eſſet hominis cuſtos, inſpector, & excubitor, qui mentem illius vellicaret; eumq; Creatoris ſui, ſed & ſervitij, quod eidem optimo Deo ſuo debet, admoneret. Hinc illa Jobi verba: [a] Numquid mare ego ſum, aut cetus; quià circumdediſti me carcere? ſeptuaginta ſic exponunt: *Quia ſtatuiſti ſuper me cuſtodiam?* Quaſi Deus non tantùm Iobo, ſed etiam unicuique Viro iuſto, cuius ille perſonam referebat, præſertim Religioſo, profeſſionis ſuæ, ſeu votorum ſuorum, obligatione quodammodò compedito, cuſtodes, & ſatellites addat, qui ipſum cuſtodiant, ne perfoſſis parietibus elabi poſſit è carcere. Et licèt hæc expoſitio nihil inferre videatur ad id, quod intendimus; infert tamen plurimum, ſi mentem ad Olympiodori verſionem applicemus. Hæc pro *Cuſtodia*, habet, *labores*. tanquam labores ſint cuſtodes, & excubitores, qui non permittunt virum iuſtum, ſicut & profeſſione Religioſum, extra vocationis ſuæ terminos excurrere, & evagari; ſed ipſum ex opere in opus, ex una occupatione in aliam vocant, & impellunt, ac intrà profeſſionis, & inſtituti ſphæram, continent, non ſecùs ac ipſum mare, quod intra littoris terminos concluſum non poteſt ultrà proferre tumentes fluctus ſuos, quàm ſicut ipſi Deus præſtituit: [b] *Circumdedi illud terminis meis* (ait Dominus ad Iob) *& poſui vectem, & oſtia, & dixi: uſque huc venies, & non procedes ampliùs: & hic confringes tumentes fluctus tuos:* ità labores à Religioſis exhiberi ſoliti, & occupationes, continent ipſos in ſuæ vocationis terminis, & cuſtodiunt eorum ſpiritum ad perſeverantem in Dei obſequio voluntatem. Quod otium (ſicut iam diximus, & Deo ſi viſum fuerit, adhuc dicemus) haudquaquam præſtat. Quòd ſi nihil agat Religioſus aliud, quàm ut non ſolùm divinam legem, ſed etiam inſtituti ſui præſcripta, triumq;

a Iob: 8. 12.

b Iob. 38. 10.

votorum obſervantiam ſtudiosè cuſtodiat, & in iis religiosè meditetur die, ac nocte; hoc ipſum illi pro omni ſtat labore, diligenter vocationem eius cuſtodiente.

5. Enim verò non vocatur Religioſus ad ſtivam, aut ad aratrum, cui continuè manus admoveat, ac terram ſulcet; non ad flagellum, ut aſſiduè more mancipij frumentum tribulet, ut quidam auctoritatis equidem magnæ vir, cuius hìc & nomini, & dignitati parco, ſed in hoc genere parùm prudenter ad publicam menſam in ſtatum Religioſorum debacchatus eſt verbis; non ad incudem, ut totâ die ferro, vel chalybi malleo operoſas inducat formas. Sed labor illius eſt, ſub ſuavi Chriſti Domini iugo ſervire Deo; incedere [a] *In omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini* (ſicut de Sanctis illis coniugibus Zacharia, & Elizabeth ſacra teſtatur hiſtoria) *ſine querela*; vota, & Inſtituti ſui regulas integrè cuſtodire. Hoc opus illius, hic labor eſt, æternæ vitæ præmio deſtinatus. Labor, inquam, eſt; & quidem operoſus, & tamen amanti animæ nequaquam oneroſus. Quia Deus animum, vires, & gratiam ſuggerit, ac largitur; qui (ſicut divinus obſervat Pſaltes) [b] *Fingit laborem in præcepto*. id eſt: etſi [c] *Mandata eius gravia non ſunt*; invenit tamen Deus in illis homini laborem, & occupationem; per quæ cuſtodiat ea non in otio, ſed in perpetuo labore, ſine quo non datur merces operario; nec miles ſine certamine coronatur. [d] *Nemo dormiens* (ait ſuper recitatum hìc Pſalmi verſum Divus Hieronymus) *coronatur: nemo ſecurus poſſidet regna Cælorum: nemo referto ventre poteſt dignè de ieiuniis diſputare: ſed fingit* Dominus *laborem in præcepto. Omnia præcepta Domini*, addam ego; omnes Inſtituti religioſi leges, *laborem habent. Sine labore non poſſumus poſſidere Regna Cœlorum. Qui vult conſequi regna Cœlorum, diebus, ac noctibus oret, vigilet, ieiunet; iaceat in ſacco, non in*

a *Lu.* 1. 6.

b *Pſal.* 93. 20.
c 1. *Io:* 5. 3.
d *Hieron. S. in Pſal.* 93.

pluma

pluma, non in ſerico. Pœnitentia non amat delicias. Hucuſque S. Hieronymus. Igitur & vita religioſa, quia pœnitentia eſt; habet Religioſus in ea laborem ſufficientem; quo tamquam excubitorum ſtipatus ſatellitio firmiter in ſuæ vocationis permaneat domicilio.

6. Nec verò tantùm habet in labore cuſtodiam; ſed habet etiam certum ex eo lucrum, quo magis, ac magis illuſtratur mens eius, ad perſpiciendum ea, quæ ſequi debet, quæ fugere. ad pervidendum etiam, quid ſibi deſit, quid ſuperſit; quid, & quantum amet; quid oderit. In hoc labore. [a] *Cùm didicerit* (ait S. Bernardus) *quid interſit inter mundum, & immundum, redditur ſibi, & remittitur ad mundum cor, ad viſionem; ad aptandum animum ad ſimilitudinem: ut ſi aliquando rurſum admittatur, ſit purior adhuc ad videndum, & ſtabilior ad fruendum.* Quæ S. Doctoris verba, licèt in alio ſint prolata ſenſu, nimirùm de viſione ecſtatica; poſſunt tamen etiam ad laborioſam religioſæ vitæ referri profeſſionem, ſivè ad aſſiduum in Religione laborem, & occupationem, lumen ad virtutum certamina, & ad vitiorum propulſandos incurſus, ac pericula præferentem. Hinc quod de Deo ſapienter dixit Iobi amicus; quòd videlicet [b] *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rursùs adveniat*, de viro iuſto, deq; omni bono Religioſo, tropologicè poteſt accipi. Nempè iuſtos habere lucem in manibus ſuis, quam & abſcondere poſſunt, & proferre: abſcondere per intentionem, ne videantur ab hominibus, & laudentur, & recipiant hìc mercedem ſuam; proferre per charitatis ardorem, ad aliorum exemplum, iuxta Chriſti Domini hortationem dicentis: [c] *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Et diſertiùs alibi. [d] *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt.* Vbi certè lucernas, & lucem, ex ipſius Chriſti Domini mente non intelligitur aliud, quàm labor

[a] *S. Bernard. ad fratres demonte Dei.*

[b] *Iob.* 36. 32.
[c] *Lu.* 12. 35. [d] *Matth.* 5. 16.

labor in bonorum operum exercitatione susceptus; sivè ipsa opera bona, quæ sine labore non exercentur.

7. Iam quod lux est oculo corporis; hoc opera bona, labores, & occupationes in religiosa professione sunt oculo mentis: & sicut ad videndum opus est luce corporis oculo: sic mentis oculus opus habet labore, quo virtutum attingere possit actiones. Pulcherrimè Philo Iudæus id expressit, cùm ait: [a] *Labor inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum. Hunc enim omnis felicitatis, omnisq; virtutis principium* (Deus) *hominibus declaravit: sine quo nihil honestum apud mortales esse invenies. Nam sicut sine luce videre non possumus: quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt: eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, ceu luce, adiutus. Hactenus* elegantissimè Philo. Jgitur *homines in manibus suis lucem & abscondunt, & lucem ostendunt* (ait quidam Interpres in superiùs recitata scripturæ verba) *Tunc abscondunt lucem, cùm operantur quidem, sed labores suos tegunt, tegunt opera, nolunt videri.* Ostendunt autem *Et lucem in manibus habent laborantes: quia ipsi luce perfruuntur, dum laborant, & cæteros quoque luce perfundunt, dum videntur.*

8. Ex hac doctrina satis intelligi potest ille Psalmi versus, quem de se vel ipse David, vel Asaph de Davide populum Israël pascente, & gubernante sic cecinit: [b] *Pavit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Iam quis unquam diceret, intellectum in manibus, & non potius in capite, ubi mentis est sedes, illuminatorem animæ præsidere? Et tamen constanter asseritur: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Sanctus etiam Hieronymus hunc versum ex Hebræo sic exponit: *Pavit eos in simplicitate cordis sui, & in prudentia manuum suarum dux eorum fuit.* Quis intellectus, quæ prudentia, in manibus? sed ad propositum nostrum, aptissimè dictum. Quia enim

a. *Philo lib. de Sacrif. Abel & Cain*

b. *Psal. 77. 72.*

David, ſicut in corde, & intra conſcientiæ arcana gerebat ſimplicitatem, & cuſtodiebat innocentiam: ſic & ex intentiore bonæ conſcientiæ lumine prudenter operabatur foris, & laborabat pro Iſraëlitici populi ſalute: [a] *In omnibus vijs ſuis* (habet pro ſe teſtimonium David) *prudenter agebat*; *& Dominus erat cum eo*. Et alibi tribus Iſraël univerſa ſic ad Davidem: [b] *Sed & heri, & nudius tertius, cùm eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſraël*. Strenuus videlicet miles, ac poſteà Rex, & Paſtor populi diligens, non in otio, ſed in manuum pugnacium aſſiduo labore, qui fuit ipſi ad benè operandum lux, & intellectus, prælium Domini præliabatur; ducebat, & reducebat Iſraël non ſimpliciter in prælijs, ſed in prælijs prudenter, & cum innocentia cordis exercitatis ità, ut ſimul & cor ipſius à laborum aſſidua diſciplina illuminaretur; & ad maiorem erga Deum exardeſceret charitatem; & per eam ſui cordis innocentiam, operumq; bonorum exercitationem univerſo populo Rex præiret, ad Dei gloriam, eiuſq; cultum ſinceriorẽ, exemplum. Atque hoc erat, *in intellectibus, & in prudentia manuum ſuarum*, id eſt, bonorum operum, educere, & reducere, & deducere populum Iſraël. Nam innocentia cordis eius, & opera bona, lucebant in Davide tanquam lucernæ quædam lucem ad eruditionem populi manibus præferentibus. Lucernæ, inquam, quas ipſa divina lux Chriſtus Dominus ardere voluit in manibus Diſcipulorum: *Sint lucernæ ardentes in manibus veſtris*. In quæ Chriſti Domini verba S. Gregorius: [c] *Lucernas*, inquit, *ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus*. Opera bona, labor, & omnis otij propulſatio tam ipſi operanti lucem præbent in via ad perfectionem tendenti, atque ad cœleſtem patriam pergenti; quàm alijs videntibus quamdam quaſi facem præferunt, cuius luce ipſi quoque pervideant alij, qualiter ad be-

[a] 1. Reg. 18. 14.
[b] 2. Reg. 5. 2.
[c] S. Greg. homil. 13. in Evang.

atitudinis

atitudinis æternæ bravium progrediantur; ac demùm unusquisque in benè operando stabilis, Religiosus autem in vocatione quoque sua constans perseveret.

§. III.

Vocationi religiosæ vadimonium ad gratiam, & gloriam, est labor,

I. PRæter custodiam, & lucem, quam adfert labor, & occupatio continua in prosequenda feliciter vocatione, hoc etiam sequitur, quòd Religiosus impigrè labori occupationiq; perpetuæ insistendo, certum quoddam divinæ gratiæ, quâ summoperè semper indiget, & æternæ gloriæ, quam post mortalem vitam expectat, iam in manibus habeat pignus, & vadimonium. Certum enim est; Dominum Deum, quamvis in donis, & in gratia sua, dispertiendis liberalissimus sit, non tamen gratiam, præcipuè gratum facientem, dare; nisi dignis (ut docet [a] S. Thomas) id est, illis; quos Deus ipse priùs per gratiam suam primam dignos facit. Equidem non est huius loci, sed neque propositi mei, dissertationem ut instituam, quosnam Deus dignos faciat; mihi sufficit hìc, ad Divi Ambrosij me referre sensum, luculenter docentis; Gratiæ Cœlestis alimentum à Christo Domino impertiri, sed quibus? [b] *Non otiosis* (oraculum ait Mediolanense) *non in civitate, quasi in Synagoga, vel sæculari dignitate residentibus: sed inter deserta quærentibus Christum.* Quasi dicat Sanctus Antistes: Nemo Christi gratiâ dignus efficitur otiosus; nemo laboris impatiens, & occupationis fastidio torpidus, nemo inter civium, aut Synagogæ supervacuas, vanasq; de rebus sæcularibus, & inutilibus quæstiunculas intrincatus, gratiam sibi conciliat divinam: sed ille tantùm, qui semper occupatus honestè, vel laboriosâ virtutum exercitatione, vel rerum divinarum utili contemplatione, seu legendo, seu scribendo, seu quidpiam aliud, quod vel ad Dei gloriam, vel ad utilita-

[a] S. Tho. 1. 2. q. 114. a. 5. ad 2.

[b] S. Ambr. to. 5 lib. 6. in Lu. c. 9.

tem

tem proximi, vel ad honestam animi culturam faciat, exercendo, laborem non subterfugit. Hæc est divinæ gratiæ comparandæ via; imò hæc est instrumentum, quo divinæ gratiæ thesaurum fodit, & adit homo.

2. Quam in rem Sanctus idem Ambrosius, expendens Esau maioris natu pigritiam, quâ perdidit primogenita: minor autem natu Iacob diligens, sedulus, impigerq;, labori deditus eadem primogenita lucratus est, egregiè docet; ea iure cessisse minori natu: quòd hic non otiosus animi sui cultor, in continua se secum passionibus exercitaverit pugna: ille torpidus, ignavus, & illecebrarum in otio sectator à virtutum exercitatione vacuus delitescebat. Dicit igitur: [a] *Divina scriptura docet, Esau, cognomine stultitiæ virum, cessisse patienter primatus suos Fratri suo Iacob, ità, ut diceret: vt quid mihi primatus? sed quos iste posthabuit; hos vir, cognomento exercitationis præditus, quæsivit mereri.* Subdit proindè: *Nonné tibi videtur Esau tanquam in agone victus, & propriæ mentis infirmitate imparem se existimans, cessisse victori coronam, quem videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse pulverem sustinere non poterat?* Aptissimè profectò. Quia videlicet ignavorum, & otio deditorum, est; mentis infirmitate, scilicet pigritiâ, victos, cæteris impares se censere virtutum impigris quæsitoribus, & vel pulverem laboris exiguum pertimescere; gnavorum autem, & strenuorum, nulli parcere studio, & labori; quo passionũ expugnent & vincant, illecebras; ideò Deus his quidem gratiam libenter, & liberaliter impertit; ab illis autem etiam id modicum, quòd habent ad virtutis exercitationem, aufert mediũ, illudq; dat abundanti. Concludit ergò Sanctissimus Præsul: *Itaque sicut bellator sine armis esse non potest; ità nec sine exercitatione virtus.*

[a] *Idem. to. 4. lib. 1. de Cain. & Abel. c. 4.*

3. Iam sicut sine exercitatione non acquiritur virtus; ità nec virtutis exercitio gratia; cuius adipiscendæ labor indefessus interponit se quodammodo

dammodò, & intercedit vadimonium, & pignus. Hic autem labor non in laboriosa corporis, & virium defatigatione (quamvis etiam neque corpori, svavia semper & blanda, quietemq; sectanti par citur ob virtutis consecutionem, tutelam, & conservationem) non in assidua ponderis, & æstûs diei sustinenda molestia; non in perpetua cum immanibus belluis lucta; vel in arena cum robustissimis luctatoribus gravi certamine, consistit: sed in sedula virtutis adversùm vitia exercitatione. Hic labor, hæc occupatio religiosi viri debet esse continua; strenuè contra cognatos affectus, & vitia depugnare; virtutem animo inserere. Hinc iterùm Mediolanense lumen Divus Ambrosius, ubi disputat super illud Deutoronomij, quo præcipitur viro duas uxores habenti, unam sibi charam, alteram odiosam, si filius odiosæ fuerit primogenitus, hunc in divisione substantiæ ut præferat filio genito ex dilecta, illumq; agnoscat primogenitum, & ei det [a] *De his, quæ habuerit, cuncta duplicia*, docet allegoricè; duas istas mulieres intra unumquemque hominem tanquam in domo quadam habitare: videlicet; unam voluptatem; alteram, virtutem. hanc sensibus humanis odiosam, illam verò dilectam. Harum igitur causâ non deesse laborem, & luctam continuam. Siquidem hæ duæ perpetuis inter se rixis altercantur. Do Sanctissimi Doctoris verba: [b] *Quàm profunda latent*, inquit ille, *mysteriorum secreta in literis! Recognosce anima, partus tuos, & odibilis istius mulieris quære mysterium. Intra te ea invenies, si quæras. Repete cogitationes, relege sensus tuos; & cui primitiæ debeantur, agnoscès. Duæ enim mulieres unicuique nostrûm cohabitant, inimicitijs, ac discordijs dissidentes, velut quibusdam zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animæ domum. Vna earum nobis svavitati, & amori est, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas: hanc nobis opinamur sociam, & domesticam; illam alteram immitem, asperam, feram credimus, cui nomen virtus est.*

[a] *Deut.* 21. 17.

[b] *S. Ambr. ubi sup.*

Hucusque S. Ambrosius. Itaque sicut odiosæ mulieris filius gratiam meretur, & omnia substantiæ paternæ duplicia, quia primogenitus est; non item filius dilectæ, quia secundò genitus est: ità virtus etsi parùm mitis, severa, aspera, exercendo fera, duraq; sit, & adversa; tamen huic datur tantum, & est in lucro, & gratia, tanquam inter habitus animi primæ, & principi: non autem voluptati, instar blandæ mulieris, & domesticæ sociæ, svaviter adulanti. Virtuti, inquam, licèt asperæ, severæq; labor impensus ad consequendam gratiam interponit se vadimonium; non vitio, nec voluptati per sensuum illecebras lenocinans otium, omni primogenitorum gratiâ destitutum.

4. Enim verò nunquid gratiæ tantûm, non autem & gloriæ quoddam pignus, & arrhabo, labor est? Imò & gloriæ. tamquam cœlestem illam hæreditatem, vitam & gloriam non aliud promittere possit, quàm assidui certaminis exercitatio, quod Religiosi tanquam strenui milites Christi pro Dei gloria suscipiunt, & sustinent in religiosæ disciplinæ palæstra, vel potiùs in castris ipsius supremi ducis Christi Domini contra carnem, mundũ, & dæmonem; quamdiù sagum huius vitæ mortalis circumferunt. Nam etsi Deus ad gloriam illam beatitudinis æternæ non eligat quemquam, ac prædestinet ex meritis suis, ut potior pars Theologorum docet; eam tamen nequaquam confert adultis, nisi merentibus, & indefesso certamine coronam vitæ consectantibus, uti sensus est universalis Ecclesiæ, & Concilij Tridentini sessione 6. cap. 16. can. 26. & 32. [a] Unde Theologorum Angel9 Divus Thomas egregiè docet: Prædestinationem iuvari precibus tàm Sanctorum, quàm suis, & alijs bonis operibus, ut in prædestinato suum consequatur effectum; sicut etiam appositè princeps Apostolorum in secunda sua Canonica: [b] *Magis*, inquit *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Nec o-

a S. Tho. p. 1. q. 23. a. 8.
b 2. Pet. 1. 10.

H biter

biter prætereundum est, quod dicit: *Magis satagite*. Hæc namque phrasis, *Magis sagitte*, significat, & inculcat indefessum studium, quo Christianus homo, sed præcipuè Religiosus, qui iam vocationis, & electionis, consequenter etiam prædestinationis suæ quoddam in statu consectandæ perfectionis habet Symbolum, debeat allaborare pro certo prædestinationis effectu per opera bona, quæ profectò non per quietem, & otium; sed per occupationem, & laborem assiduum exercentur; ut sine intermissione semper ab uno opere bono laborem suum extendat in aliud; ab uno certamine protendat manus, & conserat in aliud; nec unquam locum det quieti, cuius occasione palmam referre possit inimicus. Atque hoc est, quod Apostolus urget: *Magis satagite*.

5. Hanc laboris assiduitatem quatuor illæ quadrigæ videntur figurâsse, quas Propheta Domini Zacharias in ecstasi vidit: [a] *conversus sum*, inquit, *& levavi oculos meos; & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium. In quadriga prima equi Rufi: in secunda, equi nigri; in tertia, equi valbi; in quarta, equi varij, & fortes*. Ostentum hoc diversa denotabat Sanctorum opera, quibus instar irrequietorum equorum adnituntut æternæ gloriæ metam contingere; nec unquam cessant ad propositum currere bravium, nisi cùm illud fuerint consecuti. Planè ad hoc propositum occurrit hìc S. Stephanus Abbas, & dicit: [b] *Equi quoslibet Sanctos designant; qui Christum in corpore suo circumferunt, & honorant. Siquidem unusquisque electus corpus suum divino mancipat officio, aut honore virginitatis candidum; aut triumpho Martyrij rubicundum; aut humilitatis exercitio nigrum; aut diversarum virtutum varietate decorum. Eques itaque Dei, animus est, devotè supernis intentus obsequijs; qui castra virtutum solicitis perlustrat excubijs, ut vitiorum ab eis retundat impetus, accessus propellat*. Quâ quidem sententiâ satis inculcare videtur Sanctus ille Pater idem ipsum, quod superiùs

a *Zach. 6. 1.*

b *Steph. Abb.*

urget Divus Petrus Apostolus: *Magis satagite.* Cùm enim animum *castra virtutum solicitis perlustrare* dicit excubijs, *ut vitiorum retundat impetus, accessus propellat*; certè nemo solicitam excubiarum perlustrationem expediverit benè; nisi qui quotidie, quinimò singulis horis, ac momentis, magis, ac magis satagat, & laboret assiduè; nec sibi quietem aliquam permittat vel otium; donec vocationem, & electionem suam in cœlesti patria consummet.

6. Nec aliò respexerit Magister gentium Divus Paulus ad Timotheum scribens, ubi militem Christianum comparans in agone certanti pyetæ, dixit: *a Qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitimè certaverit.* Certum est enim; nequaquam illum coronari luctatorem, qui non iuxta legem stadij, & agonis depugnaverit; cùm iubeat lex non solùm, ut athleta sit unctus oleo, certetq;: sed etiam constanter, heroicè, generoseq; depugnet, omnes ut antagonistas vincat, si coronâ, præmioq; potiri velit. Ità Religiosus est iam in arena; iam certamen suscepit; iam antagonistas habet in luctam provocatos; superest, ut certet legitimè, si coronam, & præmium discupit adipisci. Certaminis in palæstra spirituali susceptus labor, indefessus, nec ullo quopiam otio interruptus, hic solus promittit palmam, coronam, & gloriam. Non coronat certantem incepta pugna; sed constanter continuata, heroicè finita; sed sine quiete depugnata, sed victoriam feliciter consecuta. Nam, ut rectè apud S. Augustinum Auctor in quodam ad fratres in eremo sermone: *b Non est magnum*, inquit, *inchoare, quod bonum est; sed consummare; hoc solum perfectum est.* Et S. Hieronymus in epistola quadam ad Furiam: *c Non quæruntur*, ait, *in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit; sed benè finivit. Iudæ laudantur exordia; sed finis proditione damnatur.* Itaque præmium in Cœlo, corona in æterna beatitudine, triumphus in Beatorum consortio, paratus est; sed illis,

a 2. Tim. 2. 5.

b S. Aug. serm. 8.

c S. Hier. ad Furiam.

qui certamen non detrectârũt unquam; qui laborantes non defecerunt; qui nullum in religiosæ præsertim vitæ stadio sibi otium permiserunt; hi tantùm accipient coronam vitæ.

7. Ad hoc propositum nostrum Apostolus iterùm, ut doceat, quidnam huius vitæ labores in nobis operentur; & ut ostendat, quantum in his ad beatitudinis æternæ gloriam consequendam positum sit momenti, demonstretq; labores in spirituali vita susceptos ærumnis, & afflictationibus plenos, esse gloriæ cœlestis interpositũ quoddam pignus, cui beatitudo sempiterna destinata est, disertè sic ait: [a] *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* (hìc observa, *æternum gloriæ pondus, id est, vadimonium* quoddam & pignus) *operatur in nobis*. Quæ Divi Apostoli verba S. Bernardus expendens, Religiosum pigrum, deficientem, & otio volentem indulgere, sic perurget: [b] *Perge murmurare, & dicere: longum est; grave est; non possum tam immania, & tam diuturna portare. Apostolus momentaneum, & leve perhibet esse, quod tolerat. Et certè necdum à Iudæis quinquies quàdragenas unâ minùs accepisti; necdum plus omnibus laborâsti; postremò, necdum usque ad sanguinem restitisti. Vide ergo, quàm non sint condignæ passiones ad gloriam.* Sententiam hanc suam pergit mox à tribus præcipuè circumstantijs exaggerare. *Primò*, à rerum præsentanearum, quas hìc patimur, fluxa celeritate, à futurorum autem immutabili, & interminabili diuturnitate, cùm ait; *Quid in incertum dies, & horas numeras? Transit hora, transit & pœna; nec accedunt sibi, sed cedunt, potiùs, & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris. Nescit vicissitudinem; nescit finem; manet tota simul, & manet in æternum. Secundò* à passionum exilitate, & remunerationis abundantia, cùm ait: *Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur; per minutias transit. In remuneratione torrens est, voluptatis, & fluminis impetus;*

[a] *2. Cor. 4. 17.*
[b] *S. Bern. serm. 1. de Diversis.*

torrens inundans lætitiæ; flumen gloriæ, & flumen pacis. Tertiò denique, ab ipsius gloriæ magnitudine, totaq; substantia; cùm ait: *Non nobis gloriosa vestis, non gloriosa domus; sed ipsa gloria promittitur. Nam in veritate, iustorum expectatio non aliquod lætum, sed ipsa lætitia est.* Et dum ità recenset multa perfectæ voluptatis, ac lætitiæ bona, perfectissimum horum omnium complementum ipsum esse Deum, summam voluptatem, sicut est verissimè, concludit. *Et hæc*, inquiens, *omnia unum, ut sit participatio Ierusalem in idipsum. & hoc unum, & idipsum non nisi ipse* (Deus est noster) *dicente Apostolo: Quoniam erit Deus omnia in omnibus. Hæc merces nostra, hæc corona nostra, hoc bravium nostrum.* Ità S. Bernardus, certaminis, laboris, & exercitationum nostrarum finem, præmium, & bravium, quod ipse super omnia Deus est, graphicè describens.

8. Ex omnibus ergò, quæ iam dicta sunt, satis concludi potest, certaminis laborem, quem in religiosa professione suscipimus, esse certum quoddam non tantùm gratiæ, sed etiam gloriæ vadimonium, spondens nobis æternam, beatamq; vitam. Quod pignus sufficienter unicuique manet, in laborum assiduitate constanter perseveranti. Sed benè Divus Gregorius hæreditatis illius æternæ possessionem, ad quam tendit Religiosus, æquè nonnisi ad laboriosam certaminis exercitationem refert, docetq; non alio duce, viâ, & vade gloriam adiri cœlestem, quàm labore. Postquam enim exposuit, quàm inenarrabile sit illud in cœlesti patria præmium, gaudium, & voluptas, subdit deindè: [a] *Ad hæc audita inardescit animus; iamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Vndè & Paulus egregiùs prædicator dicit:* Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. *Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Quasi dicat unicuique nostrûm: Vis, ô Religiose, cum Christo regnare? *Non deterreat cer-*

a *S. Greg. hom. 37. in Evang.*

at certamen laborum. Vis in illa interminabili gloria *Angelorum choris interesse; cum Beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorrruptionis perpetuæ munere lætari? Non deterreat certamen laborum*. Denique vis in illa beatitudine felici vocationem, & electionem tuam perfectè consummare, & bonum illud immutabile, quod ipse Deus est, possidere? *Non deterreat certamen laborum*, nec unquam otium tibi permitte. Labor enim, non quies & otium, certanti tibi gratiam, & coronam conferet. Labor, inquam, & continuata certaminis exercitatio victoriam, præmium, & coronam parabit, non citiùs coronando, quàm post durum agonem victoriam consecuto.

9, Audi super hoc vetustissimum Tertulianum eleganter disserentem: [a] *Pyctes, inquit ille, post difficilia certamina consecutus victoriam, sævi doloris, iniuriarumq; non meminit: sed coronâ premit vulnera, palmâ sanguinem obscurat. Sed quid dicitur; Palmâ sanguinem obscurat?* imò potiùs ipsa dura, & aspera, quæ propter virtutis, & pietatis affectationem exantlavit, summæ lætitiæ materiam, & inexplicabilis claritatis serenitatem exhibent, ut rectè hanc Tertulliani sententiam paraphrasticè elucidans in commentario suo Corderius ait: [b] *Coronâ, & gloriæ sertis premet vulnera, & palmæ folio inaurato sudorem exterget; & in ægritudine aliquando fuisse molestiaq; lætabitur. Vix satis mirari poterit supereffluentem Dei bonitatem, atque magnificentiam in minimis compensandis, quorum vix habenda ratio videbatur.* Iure propterea Divus Paulus Apostolus, omne, quod hîc aut agimus, aut patimur in Christiana, sicut & in religiosa professione, *Momentaneum, & leve tribulationis* appellat, idq; in nobis *Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* operari. O momentaneum, & levem religiosæ professionis in claustro laborem, & asperitatem! ô æternum cælestis gloriæ pondus, & dulcedinem! ô finem, sine fine laborum felicissimũ!

a Tertulian.

b Corder, in Iob elucid. c. 11. 16.

Quid dies & horas numeras? *Transit hora, transit pœna, sed merces laboris & gloria, nescit vicissitudinem, nescit finem.*

CAPVT VI.

Vocationem mirificè fovet, exercitiorum spiritualium tam communium, quàm privatorum sedula frequentatio.

1. SAnctus Ambrosius expendens illud, quod de Christo Domino tradit Evangelij Scriptor S. Lucas, [a] *Et erat pernoctans in oratione Dei*, sic ait: *Pernoctabat Dominus in oratione, non ut sibimet prodesset, sed ut nos doceret.* Nimirùm ab oratione, meditatione cœlestium, alijsq; spiritualibus exercitijs adeò cessandum non est; ut ne noctem quidem ab ijs elabi vacuam permittat Religiosus; quantò magis & diem ipsum exercitijs ijsdem libenter impendat? Semper tamen intellige; nisi ad aliud obedientia vocet: secùs nullâ ratione prætermittat ea, quæ semel partim instituti regula, partim Spiritûs sancti ductus ipsum edocuit. Imò quantum fieri potest; viribus, & occupationibus alijs ex Instituti ratione sibi incumbentibus prudenter expensis, commensisq; etiam augeat: ut ità consequatur, quod idem S. Ambrosius addit: *Frequens enim oratio quamdam operatur disciplinam orandi. Quia ipse usus docibiles Dei facit, indocibiles negli entia.* Et brevi denique concludit epiphonemate: *Bona igitur* exercitatio. Tamquam tota boni Religiosi rectè vivendi ratio, cumq; Deo se se coniungendi stylus in eo consistat; ut continuè exerceatur, & de opere ad opus ab una spirituali occupatione ad aliam procedens, animam quodammodò Spiritûs ardore, & pingvedine continuè saginet, semperq; vividam in obsequio Dei conservet. Siquidem *Animæ fortitudo* (rursùm addit Divus Ambrosius) *exercitationis assiduitate solidatur, ut labor ipse & disciplina sit non oneri futurus, sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multâ attritus*

[a] *Lu. 6. 12.* [b] *S. Ambr. to. 4. lib. 2. c. 6. de Cain. & Abel.*

attritus meditatione, ac politus, cor hominis, sicut illud cœleste manna, confirmat.

2. Hæc & alia plura prorsùs in rem nostram diviniſſimè Sanctus Præsul. Nimirùm tam vocalis, quàm mentalis orationis, meditationis, examinationis conscientiæ, privatarum quoque devotionum, mentis ad Deum per Sancta suspiria elevationum, quæ omnia nomine spiritualium exercitationum veniunt, frequentatio, est certa disciplina precandi; per quam animus exercetur in divinis illustrationibus; in religiosæ vitæ vivido profectu, in Scientia Sanctorum practica, quâ mens, & totus homo discit, discendoq; se perficit in Dei amore, timore, omniq; cultu, & veneratione; Sicq; *Ipse usus docibilem Dei facit.* Hinc in singulis religiosis Ordinibus, etsi variæ sint in unoquoque exercitationes, etiam ad officia temporanea exhibendæ, tamen omnis eorum in eo cura est, ut spirituales ipsis sint, & habeantur præcipuæ; quibus animam per usum quemdam continuum exerceant, & tanquam disciplinæ labore svaviter ad in divino perseverandum obsequio reddant facilem, & assvetam. Est igitur frequentatio spiritualium exercitiorum, quæ vel ex instituti. vel ex privatæ devotionis usu, animus in primordijs imbibit religiosi statûs assidua disciplina, & nutrimentum.

3. Nec aliundè spiritualibus exercitijs est sua (persvadeo mihi) nomenclatio, quàm quòd vel spiritui, in quem formare se studet homo religiosus, & per quem cum Deo conatur unus effici, fovendo, vegetandóq; serviant; vel quòd gratiam Dei gratum facientem, cui nonnisi cum hominis anima communicatio est, exercitationes eiusmodi concilient; ipsa vicissim gratia spiritum hominis, seu animam, libenter inhabitet, foveat, vegetet, solidet, atque conservet in finem perfectum. Opportunè occurrit hîc expendendum quod patiens ille Iob, de exercitationis suæ theatro, Deo collocutus ità deprompsit. [a] *Vitam, & misericordiam tribu-*

a Iob. 10. 12.

isti mihi

isti mihi; *& visitatio tua custodivit spiritum meum.* In qua sententia, tria veniunt consideranda, quæ Iob clementissimo Deo confitetur se accepisse: *Vitam*, *misericordiam*, *& visitationem*. Quamvis autem tres hi divinæ beneficentiæ gradus in literali sensu pertineant magis ad vitæ naturalis peculiare quoddam ornamentum, quo Deus Patriarcham suum dignatus est, ipsi tribuendo vitæ, quæ communis omnibus est, principium: sed alterum ei gradum largitus est, solis iustis, electisq; tribui solitum; qui est, *misericordia*, liberalitas, & largitio. Tertium, *Visitationem*; id est, prosperitatem, quæ describitur alibi, & clauditur illo prosperitatum compendio: [a] *Eratq; Vir ille magnus inter omnes orientales*. Fæcunditatem, quia *Nati sunt ei septem filij, & tres filiæ. Felicitatem*, quæ erat in liberorum stabili concordia, nulli patriarcharum, quantum lectione divini codicis assequi possum, concessam tam perfecta, firmaq; ; ut Origenes ad hunc locum scribens idem audeat de ipsis affirmare, quod de credentibus in Ecclesiæ primordio, spiritu sancto afflatis, scribit historia: [b] *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Dicit enim vetustissimus ille pater: [c] *Fuerunt Iobo septem filij, & tres filiæ, numero decem, animo verò unus erant. Numero plurimi erant; consensu & concordiâ quasi unus.* Quamvis, inquam, tres hi divinæ beneficentiæ gradus ad vitæ naturalis peculiare pertineant subsidium, & ornamentum in sensu literali; tamen etiam in sensu mystyco referri possunt optimè ad vitam spiritualem, & omissis alijs, solam hìc expendo *visitationem*; de qua dicit Patriarcha: *Visitatio tua custodivit spiritum meum*; id est, assidua inspirátio tua spiritum mihi infusum, & à te donatum custodivit: spiritum, dico, amandi te, timendi te, colendi, & honorandi. Nisi enim instar avis, aut, gallinæ (Corderius hìc ait) [d] *Mihi incubares, intellectum edoceres, voluntatem afficeres*;

[a] Iob. 1. 3. v. 2.

[b] Act. 4. 32.

[c] Origen.

[d] Corder. in Iob. c. 10. 12.

ficeres; & ad opus roborares; iam pridem vitam spiritualem perdidissem. Ità planè Religiosi quoque vitam nisi misericordissimus Deus assiduâ gratiâ suâ mirabiliter irroraret, oratione, cæterisq; spiritualibus exercitationibus invitatus, ô quàm langvidus, quàm flaccidus, quàm remissus ageret vocationem suam! verè, ô Deus meus! *Visitatio tua custodivit spiritum meum*.

4. Est igitur Dei Visitatio, id est, continua gratiæ divinæ infusio, perpetuum spiritûs, ac vitæ spiritualis quoddam vehiculum, quo Deus hominis ad Religionem vocati spiritum svaviter provehit, perficitq;, sicut benè S. Augustinus: [a] *Gratia est*, inquit, *quæ ipsam animæ naturam perficiens, eam facit veluti Deiferam, participemq; & consortem Diuinæ naturæ*. Et paucis interiectis: *Hæc est, cuius præsidio iustificamur, & Deo grati, accepti, & amici reddimur*. Iam verò bonum hoc tam excellens, uti est gratia, vicissim ut teneat in anima sedem suam, foveri debet continuâ spiritualium exercitiorum ad hoc peculiariter ordinatorum frequentatione, non secùs, atque lumen in facula, candela, vel lampade fovetur materiâ & ellychnio; sic divina gratia, quæ lumen est animæ divinitùs inditum, ([b] *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine*) foveri, nutririq; debet, ac veluti materiâ quâdam ad ardendum, lucemq; suam diffundendam apta, sanctis precibus, meditatione, cæterarumq; spiritualiũ frequentatione, quam Religiosus in primordijs imbibit [c] (*si tamen gustavit, quoniam dulcis est Dominus*) custodiri, & conservari.

5. Non aliò spectare videtur illa Venerabilis Patriarchæ nostri Iosephi à Matre Dei cautio; quâ *in primis* illud constitutione firmavit; ut [d] *Si quis de licentia superioris orationi mentali non interfuerit, eam tempore opportuno persolvat*. Quia enim bis singulis diebus, manè videlicet semel, ac iterùm ante refectionem vesperi, solent ad eam omnes Religiosi nostri convenire, nec ulli sine superioris facultate licitum est

a S. Aug. in Psalm. 30.

b Psal. 4. 7. c 1. Pe. 2. 3.
d Constit. P. 1. c. 5.

ab ea

ab ea mentaliter orandi, seu meditationem faciendi (sicut nec ab alijs exercitijs spiritualibus) horâ, & tempore abesse; ideò si contingat casus, ut quis adesse nequeat; id, sicut sine superioris facultate noluit Venerabilis Pater fieri, ità nec voluit intermitti; sed opportuno tempore tanquam divinæ gratiæ sibi demerendæ tributum omninò pendendum esse. Quia sancti spiritûs edoctus instinctu scivit benè, quantum momenti positum sit in eiusmodi spiritualis exercitij, sicut & in aliorum, frequentatione sedula, vel temeraria intermissione. *Deinde*, Religiosos nostros ut magis ad spiritualis exercitationis assiduitatem excitaret, omnes hortatur seriò; [a] *Vt quoties eis in cella permanere licuerit, ibidem nonnullos actus, tàm externos, quàm internos, humilitatis, gratiarum actionis, & alios, prout spiritus sanctus dictaverit, exercere nitantur*, continuum hac ratione quemdam inculcans orandi, gratias agendi, mentem ad Deum elevandi, per varios virtutum actus externos, & internos, usum; quo sensim *Ad solidarum virtutum perfectionem* exaltentur. Sic enim *Ipse usus docibiles Dei facit*. *Postremò*, Superiori domûs, in qua studium est pro nostris, vehementer commendat vigilantiam super ijs, qui studijs operam navant; [b] *Ne tempus aliquod extra recreationes ordinarias, otio absumant; nevé orationis assiduitatem, & animi modestiam negligant. Verùm ità studia cum pietatis ardore conjungant, ut alterum alteri emolumento esse possit.* Ex quo satis est colligere; quanto studio, fervoreq; spiritum exercendi per orationis assiduitarem religiosissimus Pater voluerit esse commendatam, ut hac ratione tamquam exercitationis perpetuâ disciplinâ excitatus animus, divinis illustrationibus, & perenni quodam gratiæ fluxu svaviter animam irriganti (modò nullum sit obstaculum) sit apertus; & ità vocatio religiosa seduliore studio, custodiâq; nutriatur.

§. II.

*Exercitiorum spiritualium fre*quen-

[a] *Ibid in fine.*

[b] *Par. 2. c. 10. ante finem.*

quentatio, est vocationis, & vitae religiosae incrementum.

1 EX hactenus dictis abundè satis intelligitur, quantum ad vitae spiritualis, quae per gratiam habetur, conferat nutrimentum sedula tàm communium, quàm privatorum exercitiorum spiritualium frequentatio. Hìc autem peculiariùs ostẽdendum est: exercitationum spiritualium, quibus animus, aspirante Deo, sensim imbutus aliquem huius disciplinae contrahit usum, frequentationem, esse religiosae vocationis, & spiritûs, incrementum. Cuius rei typum Divus Ambrosius observat diligenter in Abraham Patriarcha: quem Deus abundantissimâ benedictione cumulaturus, ex Haran terrâ patriâ, vocavit in terram Chanaan, processu temporis eius semini dandam in possessionem. Igitur in regionem postquam pervenit peregrinam, divinis illustrationibus aptiùs, quàm in patria, erudiendus, a *Pertransivit Abram* (Sacer historicus ait) *terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem.* Quod expendens Mediolanensium lumen S. Ambrosius, pro, *Ad convallem illustrem*, legit, *Ad quercum altam.* Et ex loci Sichem nomenclatura, tùm & ex quercûs altitudine ratiocinando dicit: Neutrum in sacro codice poni sine mysterio. Nam b *Sichem* inquit, *vel humerus, vel cervix, significatur, quod est laboris, vel exercitationis indicium.* Ex quo manifestum sit; Patriarcham ad quercum altam nonnisi exercitationis pervenire beneficio potuisse. Sic & virum iustum, (Religiosum, inquam) qui formatur ad imitationem Abrahae, labore, & exercitatione solidari, fieriq; excelsum, ut ad altitudinem divinae cognitionis elevetur. id quod ex ipsius S. Doctoris sententia, quam hìc totam profero, luculenter elicitur, ità dicentis: *Ergò quia neque sine dote naturae exercitatio ipsa per se perfectionem conferre potest; & naturae gratiâ destituitur, si desit exer-*

a Gen. 12. 6.

b Ambr. to. 4. lib. 2. de Abraham. c. 3. ad initium.

citatio

citatio (est enim ingeniosi adminiculum diligentia) inducitur is vir, ad cuius imitationem formaris, ad naturæ gratiam adiuncta exercitatione ità fundatior, & excelsior factus, ut usque ad quercum altam transiret. Quæ arbor ut alta, ità etiam robusta, indicio est! non facilè animam Abrahæ sæculi huius procellis esse curvatam: sed mansisse sublimem, ut se æternis inquisitionibus ad altitudinem divinæ cognitionis elevaret. Hucusque Divus Ambrosius. Quâ sententiâ confirmatur, quod est in proposito. Nimirùm sicut à Deo vocatum Abraham ad cognitionem sublimiorem, mysteriorum diligentia, & exercitatio robustiorem, & solidiorem effecit, ut iam nullis huius sæculi procellis curvari potuerit ad Chaldæorum, à quibus exiverat, falsas, & erroneas opiniones circa divinitatis cognitionem; ità religiosi viri (cui æquè dixit Deus, atque alteri Abrahæ: a *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui)* ità, inquam, religiosi viri vocatio totum haurit incrementum vitæ spiritualis à diligentia (*Est enim ingeniosi adminiculum diligentia)* & à frequentatione spiritualium exercitiorum; quorum sedula frequentatio quamdiù Religioso curæ est, tamdiù quoque statum suum habet ità solidatum, ut instar annosæ quercûs ad illicientis sæculi vanitates, illecebras, & nugas, nullis susurrantis dæmonis artibus, nullis carnis illectamentis inflecti possit.

2. Igitur ea sit oportet Religiosi circa spiritualium exercitiorum tàm communium, quàm privatorum frequentationem constantia; ut, quæ semel benè cœpit, non modò non intermittat; sed etiam, quantum stat per ipsum, adijciat plura, quò semper suum habeat electa semel vocatio nutrimentum, & incrementum. In quo genere quàm sedulus fuerit, diligensque divinus Psaltes, ne vel dies, vel illa diei pars, aut nox effluxerit ipsi sine spirituali exercitio, contestatus est egregiè, cùm dixit: b *Vespere manè, & meridie, narrabo, & annutiabo, laudes tuas,* ut addit Hugo Cardinalis.

a *Gen.* 12. 1.

b *Psal.* 54. 18.

Quod idem est, ac tota die divinis in laudibus, in eliciendis amoris erga Deum, timoris, humilitatis, aliarumq; virtutum externarum, & internarum actibus non cessare. Sicut & alibi protestatus idem Psaltes regius ait: [a] *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* In quæ verba scribens S. Ambrosius ait: [b] *Et numero quidem studium sanctæ devotionis, exprimitur: sed puto magis purus, & quietus, ac vacuus ab omni onere delictorum declaratur affectus.* Et paucis interpositis: *Non sit anceps* (inquit) *& dubia sententia, non discolor mentis intentio, non materialibus negotijs occupata à propositi spiritualis executione deflectat.* Quibus verbis innuitur animæ religiosæ; non ei cessandum esse ab occupatione spiritualium exercitiorum, propositum spirituale (quod est religiosa vocatio) vegetantium, eiq; vitam adaugentium. *septies* enim, id est, sæpiùs *in die* divinis laudibus applicandus est animus; ut ità frequentatum sanctæ devotionis studium solidet spirituale vocationis propositum, sivè professionis. A quo, licèt subindè materialibus occupatus negotijs, non tamen deflectat ab eiusdem sanctæ professionis executione, perpetuâ munitus custodiâ, *Non otio feriato.* Pulchrè & S. Hieronymus ad rem nostram versum eumdem explicans [c] *Septies*, inquit, *Deum per diem laudat. Quia mens eius in pleno splendore perdurans ad illum septimum diem, id est, Sabbatorum Sabbatum, qui est requies æterna, festinat.* Ad quod æternitatis beatæ Sabbatum non perduceretur anima, religiosa, nisi *Mens eius in pleno splendore*, id est, in exercitiorum spiritualium illustratione continua, quam adfert eorum sedula frequentatio, ad perfectum perducta diem, quo Deus illam ad Sabbatum Sabbatorum evocet, perduraret.

3. Ut autem ad propositum redeam, non satis erat sanctissimo regi sæpiùs in die divinas frequentâsse laudes; seq; ad Israëlitici populi salutem, ad regni sceptra electum, & vocatum, hoc frequenti devotionis exercitio Dei gratiâ stabili-

a Psal. 118. 164.
b S. Ambr. hic serm. 21.
c S. Hieron. com. in Psal. 118.

ſtabilivisse: noctem etiam ijsdem pijs impendebat exercitationibus, tempus aliàs quieti corporis destinatum: &, quod ampliùs est, tempus, quo principes in nocturna quiete vel regni, subditorumq; suorum accuratiùs examinant statum; vel hostium, & inimicorum improbitatem, malignitatemq; ponderant; vel vindictam, & ultionem machinantur, & parant; vel (quod peius, & perniciosius, ac principe quocunque indignissimum est,) corrogandis ad avaritiæ cumulum pecunijs inhiando, de subditorum accidendis fortunis, subtiles ad eorum oppressionem, ad deglubendum miserum gregem, modos, & rationes ineunt; vel denique, fugiente somno, omnia plerumque negotia agitant alia, quàm ut exercitatione spirituali se tunc occupent: ipse nihilominùs totâ mentis intentione, non materialibus occupabatur negotijs, sed propositi spiritualis exsecutioni sedulus insistebat: ut, cùm in eodem memorato superiùs Psalmo sanctæ devotionis nocturno tempore crebriùs à se frequentatæ faciat mentionem, puta; [a] *Memor fui nocte nominis tui, Domine.* Et: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi*; tùm alibi acriorem huic exercitio operam se impendisse testatur in hæc verba: [b] *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Super quo Psalmi versiculo scribens S. Hieronymus utitur hac pulchrâ paraphrasi: [c] *Non cogitabam de iracundia, non cogitabam de inimico meo. Sed tota mea cogitatio de Deo erat.* O felicem principis animam, ne nocte quidem à spiritualium rerum exercitio, à memoria Dei, à confessione, piaque meditatione feriantem! confundere tu, & erubesce, anima religiosa; quæ statum spiritualem professa, quieti corporis, & somno potiùs impendis tempus: vel, fugiente somno ab oculis, de latere in latus, huc, & illuc versata, heu, quàm avidè quietem, & somnum tibi conciliare studes magis, quàm ut mentem divinis exerceas cogitationibus, &

a v. 55. & v. 62.
b Psal. 76. 7. c S. Hier. hic.

in Dei

in Dei laudes excurras! Non sic in posterùm, non sic: sed tota cogitatio tua de Deo sit. Audi plura dicentem in persona Davidis Hieronymum: *Nox, quæ solet esse ad quietem, mihi erat cogitatio de virtutibus. scopebam spiritum meum, hoc est, fodiebam, quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini.* Hæc spirituales exercitationis frequentatio perpetua interdiù, & nocte, virum religiosissimum in regni solio confirmavit, & illustriorem semper gratiâ coram Deo, reddidit perfectum; hæc & in Religioso vocationem vegetat, custodit, auget spiritum & ad beatam deducit æternitatem.

CAPVT VII.

§. I

Studium in exstirpandis vitijs est certa vocationis custodia.

I. ETsi materia, quam hoc capite tractandam suscipio, magis ad ipsum huius opellæ videatur spectare principium, quàm huc primùm inserenda; præsertim quòd accedens ad servitutem Dei, fundamentum ibi ponat necesse est, ubi diuinæ gratiæ percipiendæ præcipuus est obex, qui est vitiorum in homine, perpetuo veluti æstu tumultuantium, & illuminationes cœlestes, quibus in principio Religiosus habet opus, impedientium turba: tamen quia negotium succidendi vitia, continuaq; cum ijs pugna, magis arduum est, quàm ea, quæ precandi studium, cæterasq; spirituales exercitationes ad spiritum pijs affectibus imbuendum, attinent; cùm hæc svavi quodam illicio mentem suaptè naturâ videantur ad religiosæ professionis initia inescare; illa verò laborem, & irrequietum studium non sine quodam etiam horrore, & fastidio adferunt, & incipientem quodammodò terrent; progredientem non rarò fatigant; ac nonnisi victorem in fine coronant; ideò satis sit, hoc loco materiam ipsis etiam veteranis, & in religiosa vocatione provectis, necessariam brevibus pertractare, quæ principio, devotionis dulcedinem

nem aliquantùm inhibuiſſet. Præmoneo autem, ſicut in tota hac opella, ſic multò minùs in hac cum vitijs pugna, propoſiti mei non eſſe, ut tam nobilis militiæ magiſtrum agam. Sed innuere tantùm volo: Religioſo vocationem ſuam, ſuper omnia verò Deum, amanti, cum vitijs edomandis pugnandum eſſe. Pugnæ magiſterium peritioribus in hoc certamine ſtrategis, maximè verò, ſupremo militantium adverſus animæ hoſtes agonothetæ Spiritui Sancto, eiuſque divino inſtinctui, gratiæ, virtuti, ductui, & ſapientiæ, permitto.

2. Igitur ſtabile fundamentum vocationi ſuæ ad finem, auxiliante Deo, duraturæ quis ut ponat, certumque præſidium ei conſtituat, quantumcunque ſe in ſpiritu vel profeciſſe, vel ſemper adhuc proficere velle, debereq; deprehenderit; tamquam in ipſo vitæ religioſæ limine primo ſtare ſe certò putet, aut certè nec limitem adhuc primum contigiſſe; niſi vitijs ſuis oppugnandis, undique circumſtrepentibus, & affectibus (paſſiones vocamus) inimicis domeſticis, quia cognatis, debellandis, ſuccidendis, & edomandis non ſegniter incubuerit. Dico, non ſegniter. Quia bellum hoc, & pugna, homini præſertim religioſum inſtitutum profitenti, perpetuum eſt, inteſtinum eſt, etiam pugnam, aut periculum aliquod minimè cogitanti. Naſcuntur hoſtiles hæ turmæ cum homine; nutriuntur, ſuccreſcunt, & educantur domi cum homine; nec moriuntur, niſi cum homine. Qui dum vivit, poteſt eas cum auxilio divinæ gratiæ ſupprimere; ſed occidere (ſicut iam alibi dictum eſt) nequaquam poteſt. ac propter hoc ipſum ſemper ſpiritualibus armis accinctum, ad pugnam ſtare paratum, & expeditum, quin & manus conſerere, & pugnare fortiter, eſt neceſſe.

3. Inimici verò domeſtici, quibus utitur tenebrarum princeps ad faciendam adverſus animas impreſſionem, innumeri ferè ſunt. Quorum præcipui quatuor ſunt veluti

tribuni militares, *Gaudium*, *Tristitia*, *Metus*, & *concupiscentia*. Hos deindè turmatim comitantur satellites alij; nempè *Gaudium*, seu lætitiam, malevolentia gaudens alieno malo, iactantia, desiderium gloriæ, dignitatis, honoris, adulatio &c. *Tristitiam*, æmulatio, invidia, odium, ira, excandescentia, &c. *Metum*, inanis solicitudo, pervicacia, discordia, inimicitia, pigritia, terror, &c. *Concupiscentiam*, inordinata familiaritas, mulierositas, oblectatio, temeritas, impuden tia, &c. Quæ omnia, singulaque distingvi difficillimè possunt, adeò quidem, ut hoc enorme vitiorum satellitium vexilla sequatur promiscuè, iam huic, iam illi tribuno stipendiarium, homini semper infestum, diabolo fœderatum. Undè Clemens Alexandrinus appellat has animi perturbationes (tales enim sunt ea, quæ hìc enumeravimus) *a Obligationes potestatum spiritualium*: adversùm quas nobis assiduâ colluctatione, & (idem Clemens ut ait) *Exercitatione magna, & pugnâ opus est*. Deniq; si uspiam verum est illud Deo probatissimi Olympionice dictum: *b Militia est vita hominis super terram*, Religiosum maximè tangit hæc clarigatio; quam Deo duce, prior ipse carni, mundo, ac dæmoni denuntiavit. Sapienter idcircò monet Ecclesiasticus: *c Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*.

4. In quo Spiritûs sancti per Ecclesiasticum monito tria notanda sunt. *Primum*; ut Religiosus, sivè tyro sivè iam professus, Dei servitio dicatus, stet in iustitia, hoc est, ut memor vocationis suæ, meminerit etiam semper colere iustitiam. Quæ virtus hìc accipitur universaliter, in quantum significat virtutum omnium amorem, cultum, & exercitationem, ità, ut nunquam à iustitiæ via recedere, nec ulli peccato, vel ad peccatum aliquod invitanti suggestioni consentire velit. Sed, Deo gratiam, & auxilium præstante, constans virtutem & probitatem colere, & exercere perseveret. Id, quod nihilominùs sine perpetuo

a Clem. Alexan. lib. 2. strom.

b Iob. 7. 1. *c Eccl. 2. 1.*

tuo contra motus insurgentium passionum certamine fieri non potest. *Alterum*, ut stet in timore, non in illo, qui carnis affectum cognatum homini, solicitudinem, suspicionem, pervicaciam, & innumeros alios habet pravorum affectuum satellites; sed in illo timore bifariam accepto, primò quidem, qui Dei timor est castus, filialis, & dulcis animæ rector, in servandis Dei mandatis; in sedula regularis instituti custodia, in plena regularum observantia. Secundò autem; qui primum comitatur, oppositus nimiæ securitati, semper inimicum, eiusq; dolos prospiciens, adeò, ut non tantùm in gravibus, & directè contra Dei legem, ac regularis observantiæ statuta manifestè pugnantibus; sed etiam in vel minimis, ac levissimis, quin et in operibus alioquin bonis, honestis, & licitis, hostem habeat suspectum. At singulari divinæ protectionis gratiâ, deindè propriâ industriâ, & vigilantiâ, quam Deus excitare, comitari, & promovere non desinit, est opus. *Tertium*, ut præparatus sit ad tentationem; quod idem est, ac continuè militis instar in excubijs induti loricâ, muniti galeâ, accincti gladio, scuto armati, hastam in manu tenentis; & auribus, oculisq; dolum, incursionem, & conflictum intentissimè præstolantis, advigilare.

5. Igitur ut & iustitiam in Dei servitio sedulò colat Religiosus, & timorem hìc descriptum adversus passionum satellitium & cohortes, habeat assistentem; & ad pugnam omni momento ineundam sit expeditus; huc omne studium ipsius, labor, & industria debet intendi; ut vitia, quæ sunt affectuum, & passionum præsidia, magno animo premere, etiam opprimere, & tanquam à radice evellere adnitatur. Et quamvis certum sit; non fore, quamdiù vixerit, ut eà penitus extingvat, nisi Deus in gratia confirmatum iam ad quamdam affectionum apathiam, & (ut ità dicam) insensibilitatem evectum in hac etiam vita mortali ad unionem secum admiserit; quod in plu-

rimis Sanctis, ut in S. Francisco Seraphici Ordinis auctore, in S. Theresia, in S. Catharina Senensi, in S. Philippo Nerio, in S. Maria Magdalena de Pazis Virgine, alijsq; docuit experientia: qui omnes per indefessum laborem, per carnis aflictationes, & per continuum precandi studium ad viam, quam Patres spirituales vocant unitivam cum Deo, pervenerunt : tamen (sicut & isti omnes hìc enumerati, alijq;) nihil unquam securitati permittendo, ad mortem usque in operibus pœnitentiæ, in pugna contra pravos affectus, est assiduè desudandum ità, tamquam aliud non velit, nec debeat assequi, quàm eos ad internecionem delere.

6. Iam si illi, qui Deo tam chari, & per charitatis coniunctionem tam erant familiares, atque in hac etiam dum mortali vita summo bono iam fruebantur, & beatificæ visionis aliquatenus participes effecti, passionum perturbationes iam minimè sentiebant, & tamen affectibus humanis, validissimisq; tribus hostibus mũdo, carni, & dæmoni semper obijciebant vitiorum exstirpandorum (sicut persvasum oportet habere) studium ; quid illum facere convenit, qui vel recens ad Dei servitum accessit ; vel continuam carnis, & affectuum rebellionem, ac hostium animæ incursionem experitur ; vel penitùs, quid secum futurum sit, an ad finem sit perseveraturus, ignorat? Huic opus, huic labor sit ; ut omni die, horâ, momento scrutetur domesticorum hostium latebras; animum, cor, & conscientiam, tamquam agrum aliquem fodiat ; &, ubi minimum adverterit assurgentem alicuius affectûs inordinati motum, non concedat spatium aut moram ullam adreptandi propiùs, assiliendiq; sed statim, invocato Dei auxilio, sine quo vincitur, & cadit imbecillitas humana, generoso resistat animo, pugnet , & opprimere pergat. Hæ namque boni militis partes sunt ; non admittere hostem , ut vel ad unum passum appropinquet; vel speculam contingat; vel in castra se se insinuet ; vel postes te-

neat; vel laciniam apprehendat. Ad minimam eius, ubi comparuerit, animadversionem arma sumit, invadit, retundit, & fugat. Ità Religiosus tot intestinorum hostium obvallatus insidijs an dormiet? suffodientem cuniculos adversarium non observabit? procursorios ad minimam incursionem non obruet velites? Imò tam sedulus ad omnem advigilabit partem, ut rebellium cuneos antevertat ipse; passionum assurgentes motus occupet; quàm primùm obuiam passionem fortiter adoriatur, & opprimat; alium abstinentiâ catenet; flagrorum in carnem animadversione sternat alium; alium precum assiduitate iugulet; alium humilitatis, obedientiæ, suimet ipsius cognitionis actibus retundat. cilicio, propriæ voluntatis abnegatione, strati mollioris subtractione, succidat aliorum vires, ità quidem, ut nullam quietis alicuius à pugna, vel securitatis admittat indulgentiam.

7. Enim verò non turmatim, aut tumultuariè, nec uno die simul omnes, & viribus omnibus unà ruendum est in eiusmodi pugnam; sed singulatim, & ordinatè, certis, ijsq; continuis diebus, quin & hebdomadis, mensibus, & annis, illi vitio succidendo studendum accuratiùs est, quod importuniùs, & crebriùs infestat; acriùs oppugnat; maiore vi facit impetum. Singulis etiam singula opponenda sunt arma. Ut, si concupiscentia carnis urgeat, duriore flagri, ieiunij, cilicij asperitate, crebriore chameuniâ, arctiori quoque sensuum custodiâ prematur caro. Si superbia; si honoris, aut gloriæ, vel laudis appetentia; si ambitio, iniuriæ vindicta, seu vindicandi desiderium caput attollat; hìc silentio, solitudine, cognitione, summissioneq; sui contra nequitiam hanc spiritualem depugnandum est. Si desperatio quædam, ac diffidentia vel de peccatorum venia, vel de divina providentia, vel de ulteriore in virtute profectu animum pulsat; etsi maior in Deum fiducia, & vivus aliquis actus eliciendus fidei locum hìc ha-

bere præcipuum debeat; tamen etiam in hac tentatione humilitas, despicientia sui, nihili sui contemplatio, integra in Dei voluntatem etiam ad inferos usque miserum hominem detrudentis, resignatio plurimum valeat, non tantùm verbis exprimendo, sed etiam mentem sæpiùs in hoc occupando cum Isràëlitici populi summo sacerdoteHeli suspiret, ac dicat: *a Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* vel cum fortissimo depugnatore Iob *b Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Si prurigo foràs exspatiandi, cum alijs, aut cum alio propter animi diverticulum colloquendi impugnat; tunc ad laboris alicuius honesti manualis occupationem, puta ad scribendum, ad libros in cella, vel etiam ad ipsum cubiculum expurgandũ, vel ad arctiorem cultum solitudinis, & cum Deo, cum sanctis eius per aliquam meditationem commercium; ad deambulationem per cellam, vel per domesticum hortum, aut alium locum solitariæ deambulationi commodum, vel ad sacræ scripturæ, aut Ecclesiasticæ historiæ lectionem, tamquam ad certam adversus huiusmodi supervacuum in religioso viro pruritum panopliam confugiendum est. Denique sicut plurima sunt, eaq; diversa, quæ perpetuò infestant hominem, vitia, & affectus inordinati, cum quibus sine intermissione depugnandum est; ità diversa quoque in promptu habenda, & adhibenda sunt arma. Nec illud etiam dubium est; sicut virtutes (ut docet Divus Thomas) ceu catenâ quâdam sibi connexæ sunt, ità, ut, qui perfectè possidet unam, cæteras omnes possideat; sic & vitia, saltem aliqua, catenatim se se mutuò, complectuntur; & qui uni succidendo sedulus operam dederit, illudq; domuerit; is edomita, vel saltem viribus accisa plurimùm, omnia cætera facilè experietur. Hoc tantùm inter virtutum acquisitionem, & suppressionem vitiorum discrimen est; quòd horum uno succiso mox insurgat aliud, & infestet, at faciliore iam vincendum negotio, cùm

a 1. *Reg.* 3. 18. *b* *Iob.* 13. 15.

propter

propter Dei gratiam assistentem athletæ suo, tùm propter pugnandi experientiam. Virtutes autem sicut honestate trahuntur, sic & ultroneo se se complexu, & ordine, consequuntur, atque ità vocationem, & susceptam instituti professionem mirâ svavitate delectant, roborantq;.

§. II

Vitij uniuscuiusq; principijs obsistendum præcipuè.

I. IMmortalia licèt, quia quasi cognata sint homini vitia & affectus inordinati; tamen ijs edomandis si nullum intermittatur studium, possunt adiutore Deo, gratiam, & auxilium suum minimè negante, compesci, superari, viribusq; sic exui, ut posteà vel rarò (saltem id, quod multo, magno, diuturnoque labore suppressum est) vel difficilè audeant infestare. Non secùs ac hostis aliquis semel, iterumq; victus, & profligatus, inferre metuit arma : sic natura, quam in affectibus inordinatis insolentiorem, carnemque spiritui refractariam, validioribus armis semel iterumque retuderis, afflixeris, & invalidam reddideris, demùm cedere, succumbere, & vel in obsequium rectæ rationis venire tota cogitur, vel timidior facta ad omnem in posterùm inferendam vim pavida, non nisi tardè, segniterq; ad ingenium redire parat, idque per certos, occultosq; cuniculos, obtentu cuiusdam utilitatis, necessitatis, aut quovis alio titulo non statim, quonàm collineet, apparente. Ideoq; sicut nihilominùs assidua, summaq; vigilantia Dei servo necessaria est; ità diligenter advertenda sunt motuum, & affectuum naturæ principia, ijsq; statim obsistendum est acerrimè sic, ut eius cœptis etiam minimis obvietur. Nam spatium, mora, locus, & tempus si vel modicum cuiuscunque vitij rebellantis naturæ detur infestationi, iam fortiùs, alijs etiam pluribus adstipulantibus, armatum vehementiùs urget impetum, & negotium facessit operosius. Et tantò magis, quòd, divina gratia plerumq;

se subtrahit negligenti, & contemnenti, & eiusmodi negligentiam vel difficultate resistendi, vel etiam permisso lapsu, egregiè castigat.

2. Hanc ut averteret à se negligentiam, & obsisteret alicui veterno, David Israëlitici populi Rex, doctus experientiâ, damnoq; suo, post illum solennem lapsum, cuius imminentis non antevertit, nec oppressit principia, post hac iam cautior factus, ne facilem haberet aditum non tantùm illud, in quod graviter impegerat, vitium; sed etiam omne aliud quodcunque, tempestivè semper retundebat, & in herba (quod aiunt) suffocabat. Dicit itaque: a *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* id est: ad insurgentem aliquem affectum in corde meo pravum, non expectabam, nec ei permittebam tempus ad meridiem, ut nimirùm veluti sole semper altiùs ad meridianum accedente, radijsq; vehementiùs adurente, vitium quoque viribus invalesceret, mequé tandem ad vesperam usque moratum etiam penitùs opprimeret, & occideret: verùm *In matutino* illius exortum subodoratus, confestim spiritualibus arreptis armis, illud occidi. Et in hunc sensum S. Hieronymus explicat hunc Psalmi versiculum, dum ait: b *Hoc vult dicere: quòd summissionem diaboli, qui mihi suggerebat, eijciebam de corde meo, & non suscipiebam.* Quod ipsum erat *In matutino* diabolum humiliter se insinuantem per pravam aliquam sub specie boni suggestionem, manè, tempestivè, & omni morâ remotâ retundere, & occidere. *Nam cogitationibus malis eiectis* (ait adhuc S. Hieronymus) *dæmones occiduntur*; non quòd internecione perimantur; sed quòd fracti viribus, quarum incrementa sumere volunt per cogitationum pravarum insusurrationem, tamquam mortui propositum suum pessimum promovere non possint.

3. Occupationis, & occursationis tempestivè contra subdolum veteratorem, exemplum ferè est in magno Patriarcha Abraham. Hunc Deus

a Psal: 100. 8.

b Hieron. hic.

factùrus

facturus certum promissi sui, quo pollicitus ipsi fuerat hæredem non vernaculum suum, sicut existimabat ipse; sed egressurum de lumbis eius filium, in signum huius certitudinis iussit ipsum sumere [a] *Vaccam triennem, & capram trimulam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Fecit, Abraham, sicut iussus erat; & tollens hæc omnia [b] *Divisit per medium, & utrasque partes contra se altrinsecùs posuit.* Cùm ecce carnivoræ volucres super cadavera descẽdebant, quas *Abraham abigebat.* Certum est; secundum literam, volucres illas ad cadaverum odorem advolâsse, famentes ventriculos ut carnibus exsatiarent. at ab earum rapina, simul & sacrificio paratas victimas ne fædarent, defendit industrius Patriarcha. Verùm summus Ecclesiæ Romanæ pontifex Divus Gregorius hìc observat mysterium à proposito nostro non alienum. Qui mysticè explanans historiam, per volucres accipit cogitationes à dæmone suggeri solitas, & dicit: [c] *Sæpè etiam corda iustorum subortæ cogitationes polluunt, cùm terrenarum rerum delectationibus tangunt.* Nimirum quantumcunque iustus, (idem existima de omni pycta Religioso) pugnet; affectus, & vitia domare studeat; diabolus tamen non dormit, & eorum infestat corda; cogitationes illicitas suggerit, ut Deo dicatas animas sensim polluat, sicq; pollutas divino sacrificio reddat parùm gratas. Sed quid agunt alacres isti, velocesq; ad resistendum athletæ? Non expectant, dũ cor in cogitationes immissas inquinari possit consensu! stygij veteratoris antevertunt impetum, & celerrimè principijs occurrunt. Atque hoc est, quod idem sanctissimus Pontifex hanc prosecutus materiam ait: *Dum citiùs manu sanctæ discretionis abiguntur cogitationes eiusmodi, festinè agitur, ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc illicitâ delectatione tangebat.* Ubi observandum benè, quod dicit Magnus Doctor: *Citiùs abiguntur, festinè agi-*

[a] Gen. 15. 9. [b] v. 10.

[c] S. Greg. lib. 16. moral. in Iob. c. 23. citat. à Perer. in Ge. c. 15. disput. 5. Num. 64.

nè agitur. hoc est: maturant diligentiam, & ad abigendas suggestiones malas festinant boni servi Dei, ne, cùm delectatio sensum infestat, consensus vel levissimè cor, ac mentem commaculet.

4. Et hæc quidem boni Religiosi festina diligentia sicut continuam eius erga Deum commendat charitatem, nolentis in illam peccare bonitatem, quæ ipsum ad religiosum vocavit statum; ita vicissim divinam sibi Majestatem devincit, ut ipsum in vocatione gratiâ suâ stabiliat, reddatq; tenebrarum potestatibus formidandum; non tamen propterea securum. Nam adeò ferox, & pertinax diabolus est, ut adversum, & à quibus vincitur, exardescat, armetur acriùs; quàm in eos, qui parùm de statu suo soliciti, cedunt suggestionibus impostoris. Hinc Ennodius in vita S. Antonij scitè admonens, ait: *a Acriùs circa robustos diaboli certamen est, & majoribus copijs illos aggreditur.* Quia enim superbissima bestia dæmon est; ideò magis exacerbatur irrogatâ sibi per constantem herois victoriam ignominiâ. Divus etiam Cyprianus, aut quisquis alius à Corderio citatus in suo Iob elucidato: *b Fortiorem, ait, quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso, quòd victus est, superantem superare conatur,* adeò quidem, ut ante S. Cyprianum Tertullianus de pertinacissimo humani generis inimico scitè pronuntiàrit; quòd *c Tunc maximè sævit, cum hominem sentit plenè liberatum. tunc plurimum accenditur, cùm extingvitur.* Extingvitur, inquam, eius audacia; extingvitur & eius instrumentum, quod est suggesta perversa cogitatio; sed eius malitia magis accenditur ad nocendum. Idcircò legitimè certanti non tam anteacta cogitanda victoria est; quàm meditanda continua pugna. Inimici malignitatem non extinxit; sed irritavit, redituram ad certamen iterùm non tam fortiorem, quàm peiorem.

5. Sed in quo spem, tutelam, & robur certaminis, ac certæ victoriæ contra Dei servos iste præstigiator promittit

a Ennod. citat. à Corder. in Iob. c. 41. 20.

b S. Cyprian.

c Tertullian.

sibi?

sibi? Non in ferociâ sua, nec in pertinaci malitia: sed in ipsis hominis affectibus, & passionibus etiamsi debilitatis, & attritis; quas ille nihilominùs instar validissimi satellitij stipendiarias habere conatur sem per, quas non immeritò superiùs velut obligationes potestatum spiritualium ex Clemente Alexandrino diximus: & S. Augustinus eas alicubi vocat *Regium characterem*, eò quòd nomen exprimant imperatorum. In his etenim dæmon sua quædam veluti impressit stigmata, quorum adminiculo per occultissimos aditus in animum se insinuat nequam inimicus: ideoq; vitia domare, vincere passiones, superare naturam non aliud est, quàm de ipso satana trophæum statuere; cuius robur, & arma in affectibus, & in naturæ domicilio coortis, ac Dei gratiâ superatis, compescuntur.

6. Hinc & Apostolum gentium Angelus satanæ vexabat sæpiùs, & acriùs exercebat, non alio certè usus satellite, quàm stimulo carnis, domestico videlicet inimico: a *Datus est mihi*, inquit ipse, *stimulus carnis meæ, Angelus, & minister satanæ, qui me colaphizet.* Quæ Divi Pauli verba, scio, à maiori Interpretum parte longè exponi aliter, quàm ex eius sensu possit intelligi, minimeq; probari; tantùm Apostolum alicui carnis obnoxium fuisse tentationi. Sed inhærendo sensui Divi Augustini, Theophylacti, & aliorum, certum est: aut Deum id ex proposito permisisse quidem, ut tentaretur, & indè sumeret occasionem humiliter sentiendi de se, nec extollendi se propter cœlestium revelationum magnitudinem, sed tamen gratiâ suâ munivisse certantem, ne caderet, vel delectaretur, vel consensum etiam minimum præberet: aut Satanam peritissimum naturæ scrutatorem novisse benè, quâ parte tam insignem gentium Magistrum oppugnaret; ideo perpetuâ suggestione importunissimus illi fuit; ut quem vanæ gloriæ, propriæq; laudis vincere non potuit ambitione, illum carnis incitamento superatum prosterneret. Nam b *Diabolus*

a 2. Cor. 12. 7.

b *Estius hìc.*

 huiusmo-

huiusmodi stimulo tamquam angelo, seu ministro, atque instrumento suo utitur ad regnum peccati propagandum, inquit in hunc locum sapientissimè Guilielmus Estius. Quod cùm ità sit; tam huic tyrannico vitio carnis, cuius stimuli ne principium quidem aliquod, si id per corruptæ naturæ conditionem fieri possit, experiri deberet homo; quàm omni alteri minùs ordinato affectui se se insinuanti, celerrimè semper obviandum est, & *In matutino* interficiendus.

§. III,

Ad vitiorum oppressionem plurimum confert oratio.

I. CUm omne bonum à Domino Deo non nisi precibus implorari debeat, & impetrari possit; tùm præter adhibita contra rebelles sivè animi, sivè carnis insitos in natura corrupta motus, & affectus inordinatos remedia, quæ sunt (uti vocamus) mortificationes, & afflictationes, ad frenandos omnes importunissimos passionum impetus, insistendum est præcipuè orationi; nec unquam ab ea cessandum iuxta consilium Apostoli, b *Sine intermissione orate*, etiam in summa animi tranquillitate, tentationumque malacia; semperq; dirigenda, & tamquam necessitatum nostrarum ad Deum interpres in cœlum est mittenda oratio; eo proposito, ut gratiam, & auxilium divinum tàm ad pugnandum fortiter, quàm ad vincendum impetremus. Oratio autem hac intentione, ut vitia frenentur, ad Deū transmissa hæc refert commoda. *Primò*, lumen advertendi laqueos adversarij. *Secundò* imbecillitatem suam non solùm cognoscendi, sed etiam eam confitendi generositas accedet. *Tertiò* gratiam impetrabit pugnandi fortiter. *Quartò*, constanter in resistendo perseverandi. *Quintò*, etiam vincendi.

2. *Primum*, dat promptissimè Deus ad orationis instantiam; cùm oratio sit medium principale ad tentationibus, & vitijs insurgentibus occurrendum. Et huc spectat illa Davidis in psalmo quodam petitio, clamantis ad Deum;

b 1. *Thes.* 5. 17.

Respice

a. *Respice & exaudi me Domine Deus meus: illumina oculos meos, id est, oculos cordis*, ait S. Hieronymus, sivè oculos mentis ad pervidendum celeriter, & advertendum; undè quomodo, & quandò, inordinati se insinuent affectus; quorum adminiculo facilè vires assumunt vitia; &, diabolo semper advigilante, per intestinorum satellitum incursiones non unus prosternitur luctator, si minùs cautum, nec advertentem periculum adoriatur hostis, & occupet. *Alterum* quoq; non denegat Pater optimus: qui cùm cognoscat penitissimè figmentum nostrum, quòd simus lutea vasa; recordatur etiam, quia b *Caro sumus, spiritus vadens, & non rediens*, dat quoque petentibus se lumen & Spiritum, quo cognoscere possimus & imbecillitatem nostram, & laqueos insidiantis inimici: cùm talis petitio sit iusta, homini maximè necessaria. Hoc illud est lumen, hic Spiritus ille bonus, de quo Christus ad Discipulos ait: c *Pater vester de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Spiritus hic, & lumen cognoscendi miseriam suam, errores, & impedimenta, singulare Spiritus Sancti donum est: ideò rogandus à Deo continuè, & Deus facientibus, quod in se est, gratiam non denegabit.

3. *Tertium* concedet liberaliter. Quia non vanitati, sed maiori, gloriæ Dei militat fortis adversum naturam, & contra vitia depugnatio. Cùm enim Deus ad hunc finem creaverit hominem, ut is Creatori suo serviat, non autem mũdo, carni, & sangvini; servitium autem hoc non aliter exhiberi sincerè possit, quàm ut homo sanctè vivat, Creatorisq; sui contemplatus in se imaginem, ad illius formare se studeat exemplum: quia tamen carne circumdatus, felicitate primævâ per peccatum perditâ, post baptismi lavacrum non potest naturæ viribus innocentiam, & sanctitatem assequi, quam Deus olim Israëlitico populo, consequenter etiam omnibus hominibus, inculcavit, dicens: d *Sancti estote, quia ego Sanctus sum:* Et ipse Christus Dominus tàm discipulis

a Psal. 12. 3. b Psal. 77. 39. c Lu. 11. 13.

d Lev. 11. 44.

scipulis suis, quàm omnibus in posterum sequacibus suis idipsum commendauit, cùm dixit: a *Estote perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est:* quod intellige, per similitudinem, & imitationem; hoc, inquam, naturæ viribus assequi, quia non potest homo, debet implorare divinam gratiam, ut hac auxiliante naturam in homine primo depravatam possit edomare, frenare vitia; affectus, & passiones vincere; carnem in alterum quemdam spiritum convertere; sicque Deo Creatori suo per operum sinceram, ex charitate erga Deum, exercitationem gratus, & amicus factus, eidem adhærens unus cum ipso Spiritus efficiatur.

4. *Quartum* etiam dabit Pater amantissimus filiorum. Quia similiter ad ipsius honorem spectat, susceptam contra diabolum pugnam agere, & in ea perseverare; ac durare in militia: in qua non satis est incepisse; nisi constanter in ea perseveretur ad finem. Hinc observat benè Glossa ordinaria super illud, quod sacra Regum historia scribit de rege Ioakim: qui Nabuchodonosori b *Factus est servus tribus annis, & rursum rebellavit contra eum.* Dicit itaque: c *Tribus annis regi Babylonis servum esse, est persvasione, delectatione, & consensu antiquo hosti subditum fieri, & totum vitijs deditum, & quasi liberè ab eo possideri. Sed aliquando tales per Dei misericordiam admoniti rebellant cõtra nequã spiritum. Vnde subditur: Et rursum rebellavit contra eum.* Subdit denique, quod propriè ad præsentem spectat materiam nostram: *Nec sufficit rebellare, si non perseveraverit in certamine. Qui enim à diaboli potestate se expedire exire desiderat; necesse est, contra eum fortiter dimicet, & adiutorium à Deo imploret.* Igitur hìc utrumque militi Christi, Religioso, inquam, pugnanti contra hostem antiqvum suggeritur: & pugnæ constans perseverantia; & oratio pro implorando Dei auxilio continua; quæ dum ferventer, & cum omni fiducia mit-

a *Math.* 5. 48.

b 4. *Reg.* 24. 1. c *Glossa Ordin. citat. in mensa spiritual. cib. V.* Perse*verantia. num.* 24.

titur in cœlum, vacua redire non solet.

5. *Ad quintum*; certaminis agonotheta, simul & spectator Deus, pro cuius honore, & amore suscipitur certamen, haud equidem repulsam dabit. Scit enim benè, vires humanas auxilio cœlesti destitutas, succumbere. Et quia Religiosorum vita perpetuum quoddam est martyrium, ideò sicut libenter pro illis, & in illis pugnat, ac vincit Christus; ità quoque Pater Cœlestis non destituit gratiâ suâ per Christum imploratâ pro tam heroica pugna, & victoria. Undè S. Cyprianus ad martyres, & Confessores IESU Christi scribens, sic eos à Christi præsentia, constanter pugnantibus assistentis hortatus ait: [a] *Quàm lætus in illis Christus fuit! quàm libens in talibus servis suis pugnavit, & vicit protector fidei! dans credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit. Certamini suo adfuit; præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit: & qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.* Ità Præsul Carthaginensis. Iam quæ potest Religioso cum vitijs suis, cum hoste stygio depugnanti maior esse consolatio, quàm quòd Christus in ipso lætus, & libens pugnet, ac vincat? *semper vincit in nobis.* Gratiam igitur vincendi dabit militi suo Christus sed exoratus.

6. Ecce enim & ille magnus adversus Angelum satanæ palæstrita Divus Paulus Apostolus orare non destitit tàmdiù, donec responsum accepit: [b] *Sufficit tibi gratia mea.* Oravit Dominum, ut inimicum incentiva rebellantis naturæ suggerentem, & assiduè vexantem compesceret, profligaret, victumq; prosterneret. Sed satis erat Apostolo gratiæ divinæ præsentiam, quæ pugnantem vinci, & cadere non permitteret, impetrâsse. Interim, bone prædicator, pugna fortiter; pugnando persevera; sta in acie imperterritus, & inconcussus. Intereà stet tibi pro victoria; gratiâ meâ roboratum oppugnari quidem, sed minimè vinci: *Sufficit tibi gratia mea.* Non semper, nec statim exaudit Deus, etsi rem

a S. Cypr. lib. 2, ep. 6. ante med.

b 2. Cor. 12. 9.

saluta-

salutarem implorantis orationem: non quia despicit; sed quia solicitum de victoria sic perficere vult inter tentationes & luctas. Undè præclarè S. Ambrosius in hæc Apostoli verba, *Propter quod ter Dominum rogavi*, scribens, sic ait: [a] *Stimulos diaboli, quos perfidè mentibus inserens ad nocendum Dei servis instigat, ut cessarent ab eo, ter Dominum deprecatum se fuisse, & non impetrâsse testatur; non quia despectum se dicit; sed quia inscius contra se petebat, ut cessarent ab eo tentationes, per quas perfectior fiebat.* Ex quo concluditur; Dominum Deum fideli Religioso quantumcunque luctanti cum tentationibus, semper quidem assistere, non tamen concedere statim victoriam; sed permittere certaminis assiduitatem pro maiori perfectione certantis, & eius corona, sic, ut demùm in milite suo tunc, cùm ipsi placuerit; & gratiam interim fortiter pugnandi, & cõstanter in certamine perseverandi, tandem & cum gloria vincendi largiendo, donum suum, quod ipse dedit, in servo suo coronet.

7. Nihil ergò religiosam animam turbet, cùm tentata, vexata, etiam subinde (ut homo) ab aliqua passione victa, non statim exaudiatur eius oratio. Notum est Domino tempus, & hora, quâ voluerit exaudire. Ipse miles depugnet, præsidium imploret, in pugna perseveret; Sufficit ipsi gratia Dei, quæ in tentatione roborat, tolerantiam præstat, devotionem frangi non permittit. Sit autem utcunque, impletur tamen in Religiosis, pugnam spiritualem strenuè depugnantibus, & in ea constanter perseverantibus illud Psalmi: [b] *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Lacrymati sunt orando, ac deprecando; laborârunt certando; lassitudinem aliquam experti sunt laborando: sed denique lacrymarum, certaminis, & laborum percipient fructum in lætitia: *In exultatione metent*; cum exultatione *Portantes manipulos suos* innumerarum virtutum, & coronati intrabunt in gaudium Domini sui, possidebuntq; regnum, quod ipsis paratum est ab origine mundi,

[a] Ambr. to. 5. com. in ep. 2. cor. cap. 12.

[b] Psal. 125, 5.

imò

imò ante conſtitutionem mundi.

8. Proindè S. Mater Eccleſia pugnam contra vitia con ſtanter exercenti, & in ea ad mortem uſque perſeveranti gratulata glorioſo Chriſti Martyri S. Hermenegildo feſtivum hoc accinit epinicion:

Vt perſtas patiens, pollicitum Deo
Servans obſequium; quo potius tibi
Nihil proponis, & arces
Cautus noxia, quæ placent.
Vt motus cohibes, pabula qui parant
Surgentis vitij; non dubios agens
Per veſtigia greſſus,
Quò veri via dirigit.

In quo cantico diligenter premenda veniunt hæc verba: *Perſtas patiens, Pollicitum Deo ſervans obſequium: motus cohibes, pabula qui parant ſurgentis vitij.* Commendatur videlicet hoc, & prædicatur in fortiſſimo Chriſti milite; quòd cœptum ſemel *Polliticum obſequium Deo* patientiſſimè ſervârit, perſtiterit, & in eo perſeverârit; quòd *Motus cohibuerit ſurgentis vitij*, nempè ſtatim ad ipſa (quod hìc eſt in argumento) principia ſurgentis, & in animum ſe inſinuare volentis vitij, ſtatim correptis armis ſpiritualibus obſtiterit motibus, & principijs eorum, eosq; generoſè ſuppreſſerit. Hi namque motus ſunt, qui ſurgenti vitio parant fomitem ad illud magis accendendum, ut ardeat, & vitiorum flammis hominem totum corripiat. ideoque principio ſtatim cohibendi ſunt, ne pateat facilis ad omnium vitiorum tumultum aditus.

9. In tam atroci pugna glorioſus athleta Divus Hermenegildus, virtutis aſſertor, aſſiſtentem ſibi Chriſtum habuit; qui gratiâ ſuâ certantem roboravit, & per bona ducis ſui veſtigia gradientem eò direxit, *Quò veri via*, id eſt, ad feliciſſimum certaminis finem, ad victoriam, ad coronam iuſtitiæ direxit, ac perduxit, ut imminente iam ipſo carnificis gladium vibrantis ictu, vel in ipſo innocentiſſimi æquè, atque fortiſſimi Spiritûs in cœlum exitu proteſtari potuerit cum Apoſtolo: [b] *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Ea propter Religioſus ut obſequium Deo pollicitum ſervet, voca-

[b] 1. *Tim.* 4. 7.

M tionemq;

tionemq; suam certam, & firmam faciat; ab oratione non cesset; auxilium imploret; orando, perstet fortiter in certamine, etiam ad lacrymas usque, ad sudorem, ad sangvinis effusionem perduret. Aderit Deus athletæ suo, ut pugnantem non deserat; laborantem, sudantemvé reficiat; vincentem denique coronet. In eiusmodi namque pugnatore Christus lætus est; libens in illo pugnat, & vincit protector fidei; *Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.* O solatium! ô felicitatem legitimè certantium Religiosorum! Quotidie, semper, Christus *Vincit in nobis*, Bonum ducem: qui simul & est commilito; simul & *vincit in nobis*, & pro nobis.

§ IV.

Gulæ refrenatio præsentissima ad edomanda, vincendaque vitia est armatura.

I. MUlti quidem spiritualibus pancratiastis sunt inimici, cum quibus in continuo velut agonio constituti, iam cum hoc, iam cum illo in arenam descendant, strenueq; depugnent; atque hi sunt præcipuè pravi ex corrupta natura congeniti affectus, seu passiones: sed inter omnes hostes domesticos maximus, & capitalis est inimicus ipsa caro, passionum & vitiorum omnium officina. Quam unam domuisse, tamquam ex debellatis omnibus animam oppugnantibus armis est statuisse trophæum. Nam cæteri quidem inordinatorum affectuum, quin & ipsius satanæ, motus, & impetus, semper aliquid hostilitatis apertè machinari deprehenduntur, uti facit superbia, iracundia, invidia, odium, vindictæ cupiditas, aliæque insitæ in natura affectiones, quæ nunquam sine manifesto pravitatis, & alicuius (ut ità dicam) inordinationis, insurgunt, & erumpunt indicio. Sed caro blandissimus inimicus animæ, compar, & intimum domicilium, at valdè cunicularium; socius individuus, sed adversarius; animi coniunx: quia, teste S. Ambrosio, [b] *Caro, atque anima velut*

[b] *S. Ambr. lib. 2 de Abrah. c. 6 in med.*

quadam

quadam lege sociantur coniugij; coniux, inquam, animi, sed insidiosa; dum blanditur, odit; dum adulatur, crudelis adoritur; dum lenit, lædit; dum lenocinatur, lancinat; dum delectat, enecat; cum qua tantò pugna difficilior, & periculosior est, quantò coniunctior, & blandior animo; victoria tantò rarior, quantò blandiùs ipsa ferocit. Cum hac igitur domestica, sed perduelli, socia, sicut & cum vitijs alijs omnibus huic fœderatis assiduum spiritui prælium est, [a] *Caro enim* (Apostolus ait) *concupiscit adversus spiritum; Spiritus autem adversus carnem.* Quam partis utriusque perpetuam simultatem, & pugnam, graphicè describit Cassianus in hæc verba: [b] *Caro luxurijs, ac libidine delectatur; Spiritus ne ipsis quidem naturalibus desiderijs acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleri cibo: hic vigilijs, ac ieiunijs ità saginatur, ut ne ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum, cibumq; velit admittere. Illa cupit exuberare copijs universis; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lavacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari; hic squalore sordium & inaccessibilis eremi vastitate congaudet: honoribus illa, & laudibus confovetur; hic irrogatis sibi persecutionibus, iniurijsq; lætatur.* Hactenus Cassianus.

2. Atque hoc illud bellum est, quod habet homò, præcipuè Religiosus, non cum hoste alio, quàm cum semet ipso, quo maiorem alium vix habet inimicum. Id quod S. Augustinus in illum Psalmi versum; [c] *Et factus est in pace locus eius;* scribens, scitè observat, huiusque luctæ modum describit, cùm ait: *Indicitur tibi bellum non solùm adversus suggestiones diaboli, sed adversus te ipsum.* Ac deindè post multa quærit, quænam sit huius luctæ causa? *Quare,* inquit, *permittitur, ut diù contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ?* Respondet autem appositè: *Vt intelligas, in te pœnam tuam. In te, & ex te ipsô est flagellum tuum; fit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversus Deum, ut ipse sit bellum,* qui

a Galat. 5 17. b Cassian. collat 4. c. 11.

c Psal. 75. 3. S. August. in hunc Psalm.

qui pacem noluit habere cum Deo. Ità S, Augustinus, & quidem sapientissimè, ut sciat homo rebellionis in se continuæ causam; qui prior ipse creatori suo impudentissimè rebellavit. Bellum voluit: bellum habet. At S. Paulus Apostolus trecentis, & ampliùs, ante S. Augustinum annis, in tertij cœli arcano eruditus, aliam huius importunissimæ luctæ causam advertit, quando de carnis adversus Spiritum, & Spiritûs adversus carnem concupiscentia prolocutus, mox subdit: *Hæc enim sibi invicem adversantur; ut non, quæcunque vultis, illa faciatis.* Nimirùm magister gentium docet, continuum in nobis exerceri certamen ideo; ut nec caro possit facere, quod concupiscit; nec spiritus agere, quod vult ipse; sed occupati bello domestico, spiritum ut experiatur dominum caro, spiritus autem Deum supremum dominum suum agnoscat; propter cuius amorem, honorem, & sanctum timorem non debeat consentire concupiscentiæ carnis, & ideò pariter eidem adversari; gratiam autem, & auxilium divinum ad reluctandum carni fortiter, implorare. Pulchrè S. Anselmus ad hanc Divi Pauli sententiam: [b] *Concupiscentiæ, inquit, non permittunt vos implere, quæ vultis; nolite, & vos permittere implere, quod ipsæ volunt: & ità nec vos, nec illæ, facietis, quod vultis. Quamvis ergò concupiscentiæ fiant in vobis; non tamen perficiuntur; quia eis non consentitis. Sic & quamvis bona spiritûs opera fiant, non tamen perficiuntur; quia sine dolore, lucta, & resistentia concupiscentiæ plenè, hilariter, & perfectè ea facere non potestis.* Cui sancti Doctoris paraphrasi liceat & hoc addere: Quia sine Dei gratia nec pugnare fortiter, nec strenuè vincere potestis; & ita sit, *ut, non, quæcunque vultis, illa faciatis*; sed in bona spiritûs vestri voluntate ad Deum pugnæ spectatorem, & datorem victoriæ pro auxilio confugiatis.

3. Cùm ergò tanta sit spiritûs cum carne lucta, debeatq; continuè vitijs eius edomandis idem spiritus advigilare; præcipuum sit illi negoti-

b *S. Anselm.*

um cum

um cum frenando illo vitio, quod cæterorum omnium in carne principem habet locum; quod fomes illorum est; & quod in ipso statim paradiso suam cœpit originem, ac cæteris omnibus vitijs, ut turmatim irruerent in naturam hominis, aperuit viam; & hæc est gula. Quæ primum hominem ad inobedientiæ scopulum allisit; innocentiæ statu nudavit; expulit ex paradiso, reditum eòdem ad honestam corporis & animi voluptatem præclusit; in exilium à cœlesti patria relegavit: nisi Dei misericordia suum respexisset opus, & eius incomprehensa sapientia carnem assumpsisset humanam; sicq; perdito cum tota posteritate, admirabili subvenisset arte. Quæ demùm incarnata Dei sapientia, verus Deus, & verus Homo Christus Dominus, non solùm pretiosissimum sangvinem suum pro perdito dedit homine lytrum, seq; totum *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* obtulit æterno Patri sacrificium in ara Crucis; sed etiam viam, quâ postliminio redire posset in patriam, ostendit; atque pro gula frugalitatem, pro luxu ieiunium instituit. Nec enim humanæ redemptionis opus optimus IESUS aliundè, quàm à ieiunio, cœpit. Indè vincere, docuit hominem, patriæq; suæ viam quærere, & aditum; undè fuerat victus. Gula miserum prostravit, & eiecit ex paradiso: ieiunium erigere, pristinoq; restituere statui debuit. Acuta hæc observatio S. Ambrosij est, qui postquam ostendit, quibus armari telis soleat adversus hominem diabolus, primum inter alia ponit gulam, ac dicit: [b] *Indè autem cœpit* tentare Christum Dominum adversarius, *undè iam vicerat* primum hominem in paradiso. Moxq; subdit: *Et ideò incipio in Christo vincere, undè in Adam victus sum. Si tamen mihi Christus, imago Patris, virtutis exemplum sit.* Vult nimirum Sanctus hic Doctor pugnam contra dæmonem, & adversus omnia vitia, sed & victoriam, exemplo Christi Domini incipi à certamine contra gulam, & ab huius victoria. Concludit autem ad proposi-

[b] *S. Ambr. to. 5. lib. 4. in Lu. c. 4.*

tum nostrum, ac dicit: *Discamus igitur cavere gulam, cavere luxuriam: quia telum est diaboli.* Et alibi diviniſſimè Sanctus idem Præsul: [a] *Gula*, inquit, *de paradiso regnantem expulit; abstinentia ad paradisum revocavit errantem.* Ac Paulò post ità concludit: *Gula ergò nudos facit; ieiunia operiunt & exutos. Bonum operimentum, quod animā tegit; bonū velamen, quod tegit culpā; tegit abstinētia, tegit gratia.*

4 Quod si licuit dicere (& quidem sapientiſſimè) præclaro sacrarum literarum interpreti cuidam: quòd *à gula debellanda Christiano incipiendum est.* Et dicti sui rationem adfert ex Cassiano, dicens: [b] *Eâ enim debellatâ faciliùs cætera vitia profligabit:* multò magis Religiosus, cuius status ultra Christiani hominis professionem altiùs assurgit, persvadeat sibi; à gula debellanda maximè incipiendum esse: eò quòd hæc princeps quædam sit eorum vitiorum, quæ in carne tamquam certo præsidio contra spiritum præliantur, animæ tàm perniciosa, quàm nec universo fatale foret orbi pelagus, si fines suos transgrederetur, teste S. Ioanne Chrysostomo, dicente: [c] *Tanta mala non facit mare fines suos transgressum; quanta venter, si corpus nostrum cum anima superaverit. Omnem orbem illuit mare, & venter totum corpus.* Subdit deindè modum, quo debeat ea ventris insolentia (gula videlicet) còérceri: nimirùm esse ponendum illum terminum non alium, quàm solam naturæ sufficientiam; sicut & Deus arenam opposuit mari sufficientem ad illud continendum. Cùm autem æstuare, ferocireq; venter cœperit, increpandum ipsum esse virtute: puta, castigationis, abstinentiæ, temperantiæ, disciplinæ, cæterarumque exercitationum; quæ gulam frenent, & tamquam mare tempestuosum intra fines suos contineant. Sed parùm dixisse videatur os aureum, cùm dixit: *Illuit venter totum corpus*, nisi per *totum corpus* intelligere volverat totum hominem cum corpore simul, & anima. Tanta namque ventris, & gulæ, nisi còérceatur, æstuantis est

a Idem to. 4. lib. de Elia & ieiunio c. 4. post med. b Cornel. in Ep. ad Philip. c. 3. 19.

c S. Ioan. Chrys. citat. à Cornel. ubi supra.

ferocia; ut & corpus, & animã occidat. Quantum ad corpus; audiamus S. Ambrosium: a *Plurimos*, ait ille, *gula sua occidit; nullum frugalitas. Innumeris vina nocuerunt; nulli parsimonia.* Quantum ad animam; certum etiam est; eam gulæ vitio mori Deo Creatori suo. Id quod paucissimis perstrinxit Theodoretus, cùm ait: b *Immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, ut in corpore, tamquam in sepulchro iaceat.* Undè & Sophocles hominem gulosum sugillans, ait: c *Non arbitror hunc vivere, sed cadaver iudico;* tamquam hoc ipso mortuam arbitratus, & in cadavere sepultam animam, quæ ventris ingluviem nescit, aut non vult, restringere.

5. Sed iam hìc audio mihi obsusurrantem. Quorsum in gulæ vitium tanta spectat exaggeratio? Quænam & undè pauperi Religioso tantæ suppetunt deliciæ, quibus corpus suum saginet, obruat, & animam occidat? Quantæ ipsi lautitiæ! si in modico leguminum, olerum, in paxillo panis, interdum carnium, aut piscium, sub pondere tamen, numero & mensura sat scrupulosis obsonet; quæ vix dum comedit, imò subindè vix eorum tertiam opsoniorum comedit partem, & latrante adhuc ventriculo triplò tantum sine gulæ vitio devoraret, iubetur claudere mensam, & ab ea recedere; ut verè, postquã satiatus non est, cœlestem imploret gratiam ad impertiendas misero corpori vires, quas modicum illud permodicè sumptum non refecit magis, quàm esuriem potiùs irritavit; ideoque cum lectore ad datum finiendi signum ipse quoque suspirans ex animo dicat: *Tu autem Domine miserere nobis*; id est: divinâ miseratione tuâ, Deus, instaura vires, ac refice; quas ab hoc corporeo cibo non satis accipio. Deindè dato; quòd Religionis aliquando (quod tamen illi rarissimum est) ad satietatem comedat. Utique communis omnium Doctorum est sententia docentium: nec excessum quidem in comedendo, quin imò nec comessationem, esse

a *S. Ambr. to. 4. lib. 1. de Cain. & Abel. c. 5.*
b *Theodoret.* c *Sophocl.*

peccatum

peccatum aliquod mortale: iam autem Religiosus quamvis epularetur splendidè, saltem peccaret venialiter, sicut alij sæculares hoc modo epulantes (nisi gravior adsit aliqua circumstantia) nonnisi venialiter peccarent. Igitur perperam monastico viro timenda sit, multò minùs inculcanda, gulæ refrenatio: qui ab occasione gulæ, eiusque vitio totus abest.

6. Huic paralogismo respondeo. Ego hìc in disputationem cum nemine volo descendere; sed neque disquirere: quandonam, & ex quibus circumstantijs sit tantùm veniale peccatum, aut etiam ascendat usque ad mortale, gula. Remitto unumquēque ad Doctorum in hac materia consilium, iudicium, opinionem, distinctionem, & definitionem, sivè sententiam. Mihi verò sufficiat, hoc urgere: tàm circumspectum, imò & erga Deum tàm liberalem esse debere Christianum, (quantò magis, Religiosum profitentem statum perfectiorem?) ut ne veniale quidem peccatum voluntate, & de industriâ velit admittere. Quòd si demùm Religiosus ita sit erga Deum illiberalis, ne dicam, & ingratus; ut non ducat sibi religioni in comedendi excessu, vel comessatione, saltem venialiter ipsum offendere, nescio, quàm verè dici possit bonus Religiosus, aut bonus Dei servus. Deindè, non sum tam hebes, ut nesciam, & vos scitis omnes, apud Religiosos semper condiri mensam frugalitate; imò urgente subindè rationabili causâ, quin & discretione, superiorem vel ob labores in solennitatibus certis exantlatos, vel ob aliam iustam causam, iubere aliquid supra portionem ordinariam addi pro qualiquali pauperum Religiosorum maiori refectione; semper tamen ità mensam commetiri solere, ne sit aliquid ad excessum: sed in omnibus ut habeatur ratio frugalitatis. Iam hìc pono; superiorem ex decoro liberaliorem esse. Permittat in aliquo casu, qui rarissimus est, paulò plus cibi, potûsq; habeant in laborum assiduitate, præsertim in nostro

docendi

docendi Instituto Magistri, concionatores, Confessarij, lectores, & alij, post multa quoque per dierum vices, imò & per continuos dies, & multas hebdomadas, ieiunia, consolationem aliquam, & recreationem honestam: quam certè merentur illi, qui tot in laboribus assiduè, sincereq; desudant. At cùm hi nihilominùs etiam animi cultui, non solùm refectioni corporum, gnaviter intenti, sint in ea superioris dispensatione satis moderati: potest aliquis alius inveniri, qui nec labore, nec curâ, nec merito par, & tamen pari, cum ipsis assidens mensæ, fruitur gratiâ: sed virtute forsitan dispari. quia dispensationem illam ad nimiam sibi permittens indulgentiam nec statûs sui, nec ætatis, nec vocationis habitâ ratione mensuram excedat; & cùm superior in benè meritos sit discretus, iste laboribus, & meritis aliorum inferior & in statum suum, & in bonitatem superioris indiscretus sit, adeò quidem; ut vel ex inadvertentia (si dicere ità liceat) quod tamen culpabile vix foret; vel ex ultronea, voluntariaq; tandem indulgentia non iam tantùm veniali, sed etiam mortali culpæ fiat obnoxius.

7. Sed neque pertinet ad me, scire; nùm aliqua delicta cuiuscunque demùm qualitatis in eiusmodi re, tempore, & occasione possint admitti; multò minùs examinare, debeo similia, & perstringere. Superiorum enim id officium proprium est, ut non solùm uniuscuiusque tunc virtuti fidant, sed ipsi quoque similis indulgentiæ arbitri advigilent decoro. Et si unquam totius domûs, familiæ, administrationisque suæ, quin & omnium angulorum, ideam, tamquam in tabula coram oculis depictam in mente, memoriaque superior circumferre debet, & habere; certè tunc in ea paterna erga Religiosos suos indulgentia, secum omnia dispiciat, & non, quid soleat, sed quid possit in eiusmodi re, quid tali tempore, quid in hoc, illové loco contingere, maximè

secum reputet. Omnia tunc cogitet, etiam suspicetur; sed nihil facilè credat: & tamen officij sui partes esse persvadeat sibi; scire omnia, quæ fieri possint; nihil negligere, vel contemnere. Ut enim vultu, physiognomiaq; singuli differunt, sic & indole nusquam magis, quàm in occasione simili periculum & experientiam sui proditurâ.

8. Cæterùm ut ab his ad propositum redeam; refrenationem gulæ dum hìc certam armaturam adversus edomanda vitia commendo; non in comessationes, quæ procul abesse debent, & absunt à Religiosorum claustris, & disciplina, animum magis intendo; quàm in duo quædam vitia, quæ facilè gulam æquè sapiunt, & digna sunt reprehensione; plurimumq; vocationem, & spiritum religiosum impediunt; consequenter ad exstirpanda cætera vitia Religiosum reddunt ineptum, & imbecillem. *Primum* est, quod plerumque potest accidere; clam, & absque facultate superioris acquisita, vel sublata comedere, vel bibere. A quo vitio ità sibi caveat tàm tyro, quàm professus, sicut à quovis alio mortalissimo (sic ut dicam) peccato. Præterquam enim, quòd interveniat perfidia, contemptus, & ex contemptu culpa voluntaria, licèt venialis; & charitas imminuatur propendente magis erga semetipsum, & erga sensus suos amore, quàm erga Deum, & cultum eius, sensim etiam disponitur ad peccatum, quod à mortali vix excusat: puta ad furtum in notabili quantitate materiæ, quæ mortalem culpam attingat; ad perniciosum mendacium, & id genus alia; idq; totum eo tantùm fine, ventris ut ingluviem expleat. Et talis, si tyro sit, in vocationis proposito vix perseverabit. Quia ponit obicem divinæ gratiæ tàm ad religiosum spiritum, quàm perseverentiam promovere volenti. Si professus: hic quamdiù non resipiscit, malamq; non corrigit consvetudinem; nunquam spiritum acquiret illum, qui Religioso ad Deo gnaviter serviendum necessarius est.

ſed erit unus ex illis, qui ventrem tantùm non mentem intulit in Religionem; nec unquam alia ſuperabit vitia; ſed fomitem ampliorem q; materiam miniſtrabit.

9 *Alterum* gulæ vitium eſt; quod non tantùm tyronibus, ac iuventuti; ſed etiam veteranis eſſe poteſt familiare. Et hi rursùm in duplici differentia reperiri poſſunt. Videlicet; ut alij quidem cum facultate ſuperioris; alij verò quadam adminiſtrationis authoritate fulti, ſed tamen extra conſvetum tempus prandij, cænæq;, comedant, vel bibant. Qua in re non nego, iuſtis ex cauſis, imò ſubindè neceſſarijs, ſuperiorem diſpenſare cum indigentibus debere: ſed diſpenſatus ità ſecum diſpiciat facultatem, ne ſenſim inducat, imponatque ſibi conſvetudinem, habitum, & neceſſitatem, æquè ſpiritui religioſo futuram impedimento, ſicut & in Novitio, vel iuvene. Alios autem quod attinet, videlicet auctoritate miniſterij præſidentes: hi quò magis eminent officio, miniſterio, vel poteſtate; eò minùs indulgeant ſibi, memores illius, quod de ſe, vel tamquam de ſe, S. Paulus Apoſtolus ait: a *Omnia mihi licent; ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: ſed ego ſub nullius poteſtate redigar. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet.* Non ſint, iſti tàm viles, ut ſub poteſtate cupediarum, & id genus eſculentorum, poculentorumque redigantur; & ſint ſervi ventris, & gulæ.

10. Vitium hoc ſi in alijs, in iſtis ſummè culpabile eſt; tùm quòd ijs, in quorum oculos ex inopinato ſubindè ſolent incidere, præterquam quòd riſum (fortaſſis aliquando & ſtomachum) moveant, etiam exiguo præeunt exemplo: tùm quòd ij, qui ſpiritu religioſo, & regularum obſervantià antecellere debent alijs, deprehendantur ſpiritum, & obſervantiam, per indulgentiam, negligere: tùm quòd alijs, qui fortaſſe magis indigent, ſit iniurioſum, ità ut, dum aliorum infirmitati, neceſſitati-

a 1. Cor. 6. 12.

quesuccurrendum erit, & est, vel difficilè, vel minimè, vel purissimè, succurri possit. Quia quod infirmo, vel alij indigenti fratri ministrari deberet; hoc benè sanus, & minùs indigens in ventris sui commodum per ingluviem abligurivit. Sit autem utcunque: saltem hoc S. Philippi Nerij sufficere deberet unicuique documentum, quo monebat, extra horas prandij, & cœnæ non esse unquam comedendum. Undè cuidam, qui consvetudinem hãc extra tempus comedendi habebat, dixit: a *Tu nunquam habebis spiritum, si te hac in re non emendaveris.* Sed neque defuit hoc in genere Venerab. Patriarcha noster Ioseph à Matre Dei: qui de medio conservandæ castitatis agens in constitutionum parte prima cap. IV. ad edomanda cætera carnis vitia primum propositi sui scopum in gulæ refrenationem direxit asserens: b *Re verâ cæteris vitijs neminem dominari posse; nisi priùs ingluviem restrinxerit ventris.*

II. Igitur in bonum ut quis evadat Religiosum, & ut edomet cætera vitia, vocationiq; suæ custodiendæ firmum ponat præsidium; cum animi, corporisque singulis inordinatis obuiam ire motibus, & affectibus, nunquam ut imparatus sit; continuam cum vitijs exercere pancraticen, vitia persequi, premere, succidere, & truncare, prorsùs irrequieto certamine, est necesse: tùm prima semper industriæ, laboris, & studij acies adversus ingluviem ventris instruatur; & succedet, auspice Deo, de cæteris quoque vitiorum turmis victoria non indecora. Ad quam heroicè consectandam ut animi crescant, claudat hanc totam paragraphen aurea divi Gregorij sententia dicentis: *Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Et cùm idem gulæ vitium reciditur, alia nobis multa subiugamus. Vnum quidem gulæ vitium est: sed aculei libidinis innumeri sunt: qui præcedentem illum quasi regem sequuntur. Qui læta quidem suggerunt; sed ad æterni fletûs lamenta perducunt.*

a *S. Philip. Ner. monit.* 77.
b *Constit. P.* I. *c.* 4.

CAPVT VIII.
§. *I.*

A primo fervore, ac ſpiritu, quem quis vel in ipſo concepit Religionis ingreſſu; vel deinceps imbibit in tyrocinio, nihil remittere, ſtabilem reddit vocationem.

I. CApitis huius materia reſpondet propemodùm illis, quæ ſuperiùs iam dicta ſunt capite tertio. [a] Quia tamen aliud eſt, exercitia ſpiritualia non perfunctoriè, ſed ferventer (ſicut ibi dictum eſt) agere; aliud in fervore, in primo religionis ingreſſu concepto, aut in tyrocinio magis imbibito, perſeverare: ideò operæ pretium ſit, hoc, quod hìc præfert titulus, paucis proſequi. Solet Deus inſtituti religioſi, quod quis ſuſceperit, initia quadam mirabili condire dulcedine, tàm in ipſo ſtatim principio, quàm deinceps in tyrocinij progreſſu, Cœleſtium illuſtrationum fulgore intellectum non perſtringere magis, quàm multâ luce illuminare; cor & animum accendere; voluntatem ad pietatis, & devotionis exercitia inflammare; ad preces, ad aſpirationes, ad ſuſpiria, & iaculatorias (ut vocamus) orationes; ad examinationem conſcientiæ diligentem; ad Sacramentorum ſedulam frequentationem, ad omnem boni Religioſi modeſtiam, ad Dei cultum, ad virtutum exercitationem cum magna præſentia animi, non perfunctoriè, nec tumultuariè, vel cùm ſenſuum tam exteriorum, quàm interiorum diſtractione, peragenda: ad rigorem, vel ſaltem ad exactam exſecutionem eorum, quæ præſcripto regulæ conſtituta ſunt, alacriter tenendum; ad mortificationes tàm ordinarias, quàm extraordinarias, ſivè ex inſtituti ratione, ſivè ex ultroneo voluntatis incendio cum ſuperioris, aut Magiſtri, vel Patris ſpiritualis ſcientia, & facultate; ſivè ex inopinato per ſuperiorem iniuncta, ſubeundas, ſuſcipiendaſque ſvaviter excitare. Brevibus ut dicam; Deus inſtin-

[a] *Cap.* 3. §. 2. & 3.

ctu suo divino docet tunc, agere, bonum religiosum. Hunc fervorem, & spiritum, quia permagni momenti res est, & in bono perseverantiæ certum vestigium, tenere, in eoq; perseverare: ideo nihil etiam remittendum est ab ijs, quæ divini spiritûs instinctu, magistri, Patrisque spiritualis doctrinâ, regularum quoque præceptionibus animus initio, nihil refragando, libenter imbibit. Imò quia spiritus nonnisi spiritualibus fovetur, atq; nutritur, quantum per superiores, & instituti rationem licet, etiam augere studeat Religiosus eadem exercitia. Nam hoc est, in spiritu, viaq; perfectionis proficere, non autem deficere.

2. Quæ res quanti sit momenti, quantumque vocationis intersit, divina suggerit nobis historia, vel potiùs ipse rerum omnium Auctor Deus, cui ad initium creati mundi non satis erat imperare terræ, virentem ut germinet herbam, & lignum pomiferum; sed etiam perpetuitati prospecturus, voluit, ut esset, maneretq; perpetuum virentis herbæ, lignique pomiferi semen. Dixit itaque Deus: [a] *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum iuxta genus suum: cuius semen in semetipso sit super terram.* Quod ubi verbo Domini fæcundata terra proposito sui Creatoris obediens protulit ad amussim; opus adeò necessarium perpetuo rerum usui, conservationique, Deum historicus ut ostenderet probâsse, protinus addit: [b] *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Secùs haudquaquam futurum bonum, si terra solam germinâsset herbam virentem, solum pomiferum protulisset lignum; non autem simul & semen, quod maneret semper, & operis tàm pulchri, naturæque conservationi consultum fuisset. Sic in Religioso virens quædam est herba, pomiferum lignum est, instituti suscepti pulchrum exordium: cœlestes autem illustrationes, quibus sivè in principio suscepti statûs, sivè in tyrocinij progressu datur alacriter in corde locus, &

[a] Gen. 1. 11. [b] v. 12.

in anima,

in anima; devotiones, & affectus ad spiritualia; frequentes ad Deum aspirationes; precum, & Sacramentorum frequentatio, ad votorum sivè nuncupandorum, sivè iam nuncupatorum sedulam custodiam ardens desiderium, studiumque; variarum denique virtutum, ac bonorum operum, quorum in religioso statu frequens offertur occasio, sicut & spiritualium exercitationum non torpida disciplina, semina sunt; quorum deinceps assiduitate suscepta vocatio perpetuet ad finem vitæ; sitque religiosus instar ligni plantati. [a] *Secùs decursus aquarum, quod fructum suum det in tēpore suo: & foliū eius non defluat.*

3. Idcircò Religiosus etiam ipsius Dei iudicio probatur esse bonus; quì perennitatem eiusmodi colit, ac divinæ sementis indolem extingvi in se non permittit. Sapienter, & ad propositum nostrum in hæc Sacræ Geneseos verba superiùs recitata scribens Origenes, ait; [b] *Non solum herbam virentem, & lignum pomiferum iubet Deus terram producere: sed etiam semen: ut perpetuò perseveret. Vt intelligamus, debere nos, non solùm bona opera facere: sed & semina habere in nobis ipsis, id est omnium bonorum operum, omniumq; virtutum semina in corde nostro continere; id est: habitus virtutum, ex quibus omnes actus boni nascantur.* Ità vetustissimus ille Pater. Ubi non leviter percurrenda sunt verba; *Virtutum semina in corde nostro continere; id est: habitus virtutum.* Sapienter enim per hæc innuitur; virtutum, ac spiritualium exercitationum habitus, & actus, fervorem, & spiritum, illum, quem vel in tyrocinij principio; vel in eius progressu Divinâ gratiâ svaviter adminiculante, suscipit, & imbibit animus, quæ semina sunt stabiliendæ perenniter vocationis, esse fovenda semper: non autem permittendum, ut vel flaccescant, vel exarescant eadem semina, fervor videlicet, spiritus, & quidam sensim conceptus habitus, animoque graviter instillatus. Secùs aliud non fiet; quàm

a *Psal.* 1. 3.
b *Origen. citat. in Men. spirit. cib. V. Perseverantia. Num.* 2.

quòd sola virens ostentetur, & luxuriet ad initium herba: sed denique destituta semine, exarescat, ac pereat. *Si enim solam herbam virentem (ait adhuc Origenes) floresq; solos protulerimus: erimus, sicut illa terra, de qua Salvator ait: & statim aruit: quia non habuit humorem.*

4. Fervor, & spiritus ille primus humor quidam, rosque divinus est, qui bona desideria semper excitat; bona proposita continuè nutrit, fovet, ac promovet; actus, & opera bona, ne deficiant, stabilit, & firmat; Deum ad præstandum quotidie maiorem gratiam provocat; cor & animum in fervore pristino manentem ad prosequendum strenuè fæcundat. Quem quidem constantem spiritûs, fervorisque pristini tenorem videtur innuisse Deus etiam in alia veteris legis cerimonia, Isràëlitico populo præscripta. Nimirùm ut emptus servus Hebræus sex annis serviret; liber exiret anno septimo; sed in tali veste, in quali venerat ad serviendum: [a] *cum quali veste,* (Sacer codex habet) *intraverit, cum tali exeat*. Quorsùm hæc præscripta spectabat lex, ac ritus, illi populo? Ergoné, si venerat in veste detrita, rursùm in similiter detrita post sexenne servitium oportebat abire? Ampliùs: si cum veste cærulei, vel rubri, vel viridis, aut alterius coloris emptus ad servitium venit servus; non poterat dominus cum veste coloris ad genium suum, non autem ad colorem veterem, servum dimittere? Non etiam pro detrita, fortassis & lacera veste novam ex liberalitate herili discedentem servum induere? Fortasse non. Quia sine servi iniuria lex intercessit: *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat.* Cur autem ità? S. Hieronymus, & ipsum interpretes alij secuti, legem hanc exponunt ad literam, dicuntq; sancitum optimè. Nec intelligendum esse vestimenti qualitatem, quantum ad colorem, & habitum vetustatis: sed quia plerumque servi, dum ab uno domino servitium suum transferunt ad alium; vel

[a] *Exo. 21. 3.*

ampli-

ampliùs nulli domino servituri ad œconomiam, remque suam industriâ, laboreq; proprio curaturi abeunt, expediuntur benè vestiti, vestibus induti novis, exeunt ab hero. Ità quoque sexenni peracto servitio, ne quæ fieret iniuria abeunti, novis oportebat servum inducere vestimentis; id quod erat de congruo, quin etiam de iustitia.

5. Sanctus autem Gregorius pro more suo textum eundem examinans, ad propositum nostrum mysticam invenit expositionem, & dicit: hoc ad Dei pertinere servos, ut finis eorum cum principio concordet: videlicet, eo spiritu ferventes, ut exitus eorum ex hac vita deprehendat ipsos, quo, dum inciperent, fervebant, si non etiam maiori. Do Sancti Pontificis verba: [a] *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat. Quia omninò necesse est, ut unusquisque nostrûm in hoc, quod incipit, perseveret; atque usque ad finem operis in ea, quam inchoavit, intentione perduret.* Igitur ingrediens Religionem, aut etiam in tyrocinio manens, ô quanto cum spiritu vocationem hanc divinam accipit, incipitque! quanta cum animi, & omnium sensuum recollectione novam spiritualis vitæ superinduit vestem! quanto cum fervore, quantis in suspirijs ad Deum sæpè transmissis opem divinam, ad huius vitæ novitatem, gratiam, & auxilium implorantibus agit! adeò quidem, ut vel minimum actum, verbum, aut cogitatum statui suo minimè convenientem, suspectum habeat, scrupulo sibi ducat, corrigere studeat, simpliciter obediat; regulam, ritus, & statuta Ordinis exactè servare contendat: æmuletur, ac certet cum alijs charitate, patientiâ, humilitate, silentio, diligentiâ, alacritate, ac demùm omnium virtutum exercitatione: Si tamen non sit unus ex illis, qui vel levitate quapiam ducti, vel proposito non usquequaque secundum Deum examinato, nec sincero; sed humano quodam respectu, sacrum suscipere solent habitum. Quamquam & in his aliquando Deus opere-

[a] *S. Greg. homil. 3. in Ezechiel.*

tur, ac mutet intentionem pravam, ità, ut demùm necessitatem, vel etiam levitatem, convertant in virtutem. Verùm id omninò rarum est; ut eiusmodi miracula meritò raritati phænicis comparentur.

6. Quem quidem spiritum, & fervorem in Religionis ingressu, vel postmodùm in tyrocinio, Dei gratiâ, instillatum, imbibitumq; , tàm vividum servare necesse est, ut penitùs ab illo, qui fuit ad eiusmodi principia bona, nihil remittatur: sed *usque ad finem operis in ea, quam quis inchoavit, intentione perduret: cum quali veste intraverit, cum tali exeat.* Nam sicut servus post exactum servitutis suæ tempus indutus veste novâ, recentique ad instar illius vestimenti, in quo ad serviendum venerat, suam quidem fidelitatem, & operam, domino benè impensam probat, propter quam honestè, benèque vestitus ad aliam fortunam dimissus est; hero autem, cui servierat, coram alijs honorem, laudem, & optimam opinionẽ, tamquam mercedem iustam, minimè neganti, conciliat; integram stipendij pensionem commendat; liberalitatem, ac perhumanam eius indolem illustrem reddit; ità Religiosus ex hac vita mortali dum ad alteram migrat plenus spiritu, & à fervore primo minimè remissus, satis ostendit, se fideliter integram Domino Deo servitutem exhibuisse: Deus autem, qui liberaliter gratiâ suâ, donisq; cœlestibus servi sui fidem remuneratus erat, & remuneratur, honorem, & gloriam habet: sed & pulcherrimè vestitam virtutibus, ex hac vita migrantem animam excipit; in cœlesti gloria cum beatis spiritibus divinas laudes æternùm celebraturam.

§. II.

A constanti primi fervoris, ac spiritûs tenore, pendet felix ex hac vita migratio.

I. SIcut non potest malè mori, qui benè vixit: ità benè mori vix potest, qui vixit malè. Thesis hæc ex Divi Augustini sensu tàm est vera,

ut Sanctus ipse Doctor ad bonam mortem hortatus alicubi, postquam dixit: [a] *Vivite ergò benè, ne moriamini malè,* statim subdiderit rationem, quam hìc præmisimus. *Quoniam* (ait ille) *sicut non potest esse mala mors, quam bona vita præcessit; ità non potest esse bona mors, quam mala vita anticipavit.* Undè facilè concludat unusquisque, si benè mori desiderat (sicut certè nemo Christianorum, multò magis Religiosorum, bonam sibi non optat mortem) profectò benè quoque, piè, sobriè, & iustè sibi vivendum esse. Et, si bonus Christianus, quantum est in se, bonæ mortis, quam optat, in vitæ probitate constituit, ac ponit fundamentum, fugiendo peccata; pietatis ac religionis exercitia, quæ suis vel à parentibus, vel à magistris, & maioribus, tùm & à spiritu sancto præcipuè, edoctus est, sedulò frequentando; quorum intermissionem, si quando pro statûs sui ratione non possit ea exsequi, ducit sibi religioni, & quantum per ipsius stat occupationem, ac negotia, compensare negligentiam; pristinam orandi consvetudinem, certum precum suarum numerum, modum, & rationem, ieiunia, dies festos ad Dei cultum, ad Beatissimæ Virginis Mariæ, cæterorumq; Divorum tutelarium suorum honorem maiore cum pietate, religione, & reverentia prosequendi morem, in pristinum restituere totus adnititur: Certè multò magis Religioso, qui Deo iam totum se consecravit in obsequium, convenit; illum spiritum, & fervorem, quem Deo duce, præceptore Spiritu sancto, didicit, & hausit, uno, eodemq; tenore prosequi diligenter, & viam sibi sternere ad metam, ac momentum illud terribile, à quo pendet æternitas.

2. Prætereà mortem iustorum cùm etiam impij desiderent; quorum desiderium satis in uno se Balaam ariolus, ac malus propheta expressit, cùm dixit: [b] *Moriatur anima mea morte iustorum; & fiant novissima mea horum simillima:* & prosequens exhortationem su-

[a] S. *Aug. citat. in men. spirit. cib. Verbo. Mors. num.* 30.

[b] *Num.* 23. 10.

am Divus Augustinus ità per Apostrophen ad peccatorem ait: a *Vtinam diceres potiùs: vivat anima mea vitâ iustorum, quàm moriatur anima mea morte iustorum.* Nimirùm urget sanctissimus Doctor, non tantùm solicitum esse debere quempiam de morte iustorum, quantùm de vita iustorum. Quia bonam, & immaculatam vitam sponte quadam, &, ut idem Sanctus ait, *Naturali ordine sequitur mors bona.* Sed vitam re missam, in obsequio Dei desidiosam, vocationis suæ parùm memorē, ah! quàm difficilè, quàm violenter, & quodammodò contra naturæ communem ordinem bonus exitus, ac bona mors comitatur! cùm, inquam, mortem iustorum vel ipsi quoque desiderent impij; eò quòd certò sibi persvadeant (nec falluntur) à morte iustorum, seu à bona morte totam animæ pendere felicitatem in altera vita: mors, & novissima Religiosi opera ut fiant morti iustorum, & operibus eorum simillima; sic vivat ipse necesse est, ut in ultimo illo momento reperiatur inculpabilis; qui status nulli culpæ, saltem deliberatæ, ac voluntariæ, obnoxius, in eo consistit; ut, quem spiritum, fervoremque post expiatam semel per generalem in Religionis ingressu culparum confessionem, conscientiam concepit, hausit, & didicit; eundem sanctâ quâdam retineat pertinaciâ, custodiat, & ad ultimam usque vitæ metam servet inviolatam.

3. Ut autem evidentiùs ostendam; à primi spiritûs, fervorisq; tenore felicem ex hac vita pendere migrationem, vel potiùs ipsam felicem æternitatem, illam Ecclesiastæ refrico sententiam, quam ipse de fine vitæ per comparationem à ligni, seu arboris deciduæ casu sapientissimè protulit, dicens: b *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quocunq; loco ceciderit, ibi manebit.* Ad huius intelligentiam dicti non opus est aliquâ sublimi Theologiâ. Nam sensum, & evidentiam literalem ipsa docet experientia: sed sancti, Gregorius, Hieronymus, Bernardus, & interpretes alij, pulcherrimam in hac senten-

a S. Aug. citat. ubi sup.

b Eccle. 11. 3.

ſententia Salomonis advertunt myſtagogiam. Nimirùm per lignum, ſivè per arborem, intelligi hominem, ſecundum quod in Evangelio ſcriptum eſt; a *Video homines velut arbores ambulantes.* Per Auſtrum, tepentem ventis, & aurâ, ſignificari Paradiſum, ſivè Cœlum. Per Aquilonem, frigoribus horridum, deſignari infernum. Hinc S. Gregorius ait: b *In die mortis iuſtus ad Auſtrum cadit. quia per fervorem ſpiritûs ad gaudia ducitur.* In quo pronuntiato prorsùs ad propoſitum noſtrum eſt, quod dicit: *Per fervorem ſpiritûs.* Quia Religioſus, ad ultimum illum ex hac vita migrandi terminum ubi pervenit, ſecuriorem migrationis ſuæ non habet anchoram, quàm à fervore ſpiritûs non remiſiſſe. Divus etiam Bernardus eandem Eccleſiaſtæ ſententiam in ſermone quodam illuſtravit pulcherrimè, dum ſic ait: c *Auſtri calor, & lenitas, in ſcriptura ſacra bonam habere ſolet ſignificationem. Ab Aquilone verò panditur omne malum. &c. Exciditur ergò arbor in morte, & quacunque parte ceciderit, ibi erit. Quia ubi te Deus invenerit, ibi te iudicabit.* Poſt pauca deindè: *Quâ parte,* inquit, *caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos eius attende. Vbi maior eſt eorum copia, & ponderoſior; indè caſuram non dubites; ſi tamen fuerit tunc exciſa.* Pergit denique mellifluus hic Eccleſiaſtes, & ramos noſtros eſſe dicit deſideria noſtra, quibus ad Auſtrũ, id eſt, ad Paradiſum, ad cœlum, extendimur, ſi ſpiritualia ſint. Aquilonem verſus, id eſt, ad inferos trahimur, ſi carnalia; ſi cæleſtium, ac ſpiritualium æſtu vacua; ſi fervore primo, quo totus olim ardebat, deſtituta ſint. Itaq; priſtino ſpiritu fervens, ſecurus æternæ beatitudinis ex hac vita migrat Religioſus; habetque ſecuritatis ſuæ teſſeram, fervorem ſpiritûs illius primi, ſi non auctum, ſaltem, minimè diminutum. *Quia per fervorem ſpiritûs ad gaudia ducitur.*

4. Idcircò monet Apoſtolus opportunè Theſſalonicenſes: d *Spiritum nolite èxtingvere.* Poſtquam enim illos edocuit

a *Mar.* 8. 24. b *S. Gregor. lib.* 12. *moral. c.* 4. c *S. Bernard. ſerm.* 49. *in parvis.*

d 1. *Theſ.* 5. 19.

cuit de iudicij die ex inopinato adfuturo; filios lucis, non tenebrarum, ipsos esse dixit; & alia plurima ad eorum eruditionem documenta tradit ipsis, ac super omnia semper eos gaudere, sine intermissione orare iussit, conclusit denique totam doctrinam suam antecedētem hoc monito principali: *Spiritum nolite extingvere*; tamquam tota vis, & energia proficiendi, & in benè cœptis perseverandi sita sit in eo, ut spiritum sine intermissione orandi; disciplinam videlicet, & exercitationem animæ præcipuam, ad Deum, & ad cœlestia se se continuè per orationis studium excitandi, non imminuant, non extingvant, nihil ab illo remittant: sed usque ad ultimum vitæ punctum, sine intermissione, in sanctis perseverent desiderijs, quæ demùm præponderent ad Austrum: *Vt per fervorem spiritûs* eodem semper tenore constantem *ad gaudia ducantur*. Quapropter illi sancto Ephesinæ Angelo non sine causa, nec sine magno mysterio scribi iussit in Apocalypsi a *Primus*, *& novissimus: scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam. Sed habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti*. Non exprobratur huic sancto Episcopo; quòd magnum aliquod, & enorme peccatum admiserit; quòd avaritiæ deditus, argento, auro, pecuniâ grandi scrinia repleverit; quòd nepotes, consobrinos, & consangvineos suos ad opulentiam, ad dignitates, honores, ex Ecclesiæ proventibus, ex Christi, pauperumque patrimonio, promoverit; quòd superbus, dyscolus, & crudelis populum sibi subditum rigidiùs habitum oppresserit; quòd magni sacerdotij characterem in se profanaverit; & quidquid aliud contra divinas, humanasq; leges inveniri patratum potest, ipse vocationis, & statûs sui perditus æstimator posthabuerit: Non ipsi hæc, horumque similia exprobrantur, non. Erat enim ab his omnibus immunis, vir alioqui bonus, & rectus: sed quid? b *Habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti*: id

a Apoc. 2. 2.

b Corder. in Iob. c. 34. 24.

est: *Aliquam incuriam, saltem leviorem circa oves gubernandas incurrit olim Episcopus Ephesinus. Reliquisti tuam illam pristinam diligentiam in tuis gregibus pascendis*, rectè notat, & ait ex Hugone super hunc locum Corderius in suo Iob elucidato. Quæ quidem pristina diligentia relicta, levior saltem incuria circa fervorem pristinum conservandum admissa, pariter ad primam charitatem, quam Religiosus in primo suscepti statûs ingressu, tùm etiam deindè in tyrocinij progressu, erga Deum, eiusque cultum, & erga cælestia consectanda concepit, revocari, & intelligi non incongruè potest.

5. Igitur si contingat nos ex aliqua conditionis humanæ imbecillitate nonnihil à prima charitate, & spiritu defervescere; monemur omnes, & singuli, & quidem seriò monemur nos Religiosi: a *Memor esto, undè excideris* (unicuique dicitur) *& age pœnitentiam, & prima opera fac.* ô Dei paternam quidem admonitionem! sed & non uni, eheu! quàm irreparabile damnum! non iam ex remissione fervoris pristini per incuriam leviorem, sed per summam vocationis oblivionem, ne dicam & per temerarium ausum, sine scrupulo, sine conscientæ remorsu, conscitum. Ille iubetur agere pœnitentiam pro leviori quadam negligentia spiritûs illius ad initium vocationis infusi, pro charitatis primæ aliqua intermissione. Quid si anteacta graviora, si post susceptam vocationem haud equidem levia non expiata sunt? Ille opera prima facere, ad sedulitatem, ad mortificationes, ad humiliationes, ad chameunias, ad ieiunij, cilicij, flagrorum, primam exercitationem, ac disciplinam redire, & novo quodam concepto spiritu, ac fervore, resumere iubetur omnia: quid si iam per valetudinem laboribus (utinam pro Deo, & religione sincerè exantlatis!) attritam; per ætatem annorum provectu declivem, per consvetudinem pravam in habitum, & alteram quasi naturam, indulgendi sibi, licentioseque vivendi inductam adeò quis sit in-

a Apoc. 2. 5.

habili-

habilis ad resumendum primum fervorem, ad charitatem, & ad opera prima; ut aliud iam miser ob virium langvorem, etiam ob divinæ gratiæ subtractionem aliquam, non expectet; quàm per absolutam misericordissimi Dei potentiam, miserationi consentientem, ut peccata sibi, tamquàm in Iubilæo quodam, plenissimè dimittat, plenamque peccatorum omnium à culpis, & à pœnis omnibus indulgentiam concedat? Hem! animæ religiosæ: etsi de misericordia Dei nunquam sit desperandum: Quia [a] *Suavis Dominus, universis; & miserationes eius super omnia opera eius.* Et: *Misericordiâ Domini plena est terra*: formidabilis tamen est illa Spiritûs sancti per Ecclesiasten superiùs recitata sententia: *In quocunq; loco ceciderit lignum, ibi manebit.* Et illud Divi Augustini: *Non potest esse mors bona, quam mala vita anticipavit.*

6. Divina gratia, quam Theologi finalem vocant, in ultimo vitæ puncto, concedi solita (sed ah! quàm paucis!) res subtilis, delicata nimis, & incerta est. Si Deus eam ex pura misericordia sua in illo terribili, & iam extremo vitæ momento, tamquam Dominus absolutus & Pater, qui superabundans in misericordia misetur, cuius voluerit misereri, concedit; equidem res est salva, sed quotusquisque eam sibi gratiam, & misericordiam certò promittat? Indulgentia illa plenissima tota pendet à divino iudicio, sententia, voluntate, & puta miseratione Dei. Salvi fiunt aliqui [b] *Secundum electionem gratiæ* (sicut alicubi disputat Apostolus:) *sed non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Exclamandum denique cum eodem est Apostolo: [c] *ô altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognoscit sensum Domini?* Quis unquam scivit, aut cui revelavit Deus, quidnam in arcano iudicio constituerit, iudex ille iustissimus? Quis cognoscere potest sensum illius incomprehensæ maiestatis; an, & cui finalem gratiam, præsertim innumeris, & enormibus ob-

[a] Psal. 144. 9.

[b] Rom. 11. 5. [c] v. 33.

bus obnoxio culpis sit daturus? Equidem peccator maximus ego sperare debeo; sed certò promittere mihi non possum:

7. Verùm hoc ferè extra propositam materiam nostram est. Excurri nihilominùs in istam ratiocinationem; ut unicuique liqueat, quàm strenuè primis operibus, in tyrocinio solitis exerceri; quàm constanter, & alacriter primo spiritui, fervorique spiritualium exercitationum, ac disciplinæ, semper insistendum sit; nec unquam per indulgentiam voluntariam, vel minimè necessariam, aliquid ab illo remittendum. Nam ab hoc constanti fervore, tamquam à certa lance, pendet bona mors, & beata æternitas.

§ III.

Spiritûs, ac fervoris primi tenor plurimum vigoris accipit, & habet, ab ordine.

I. NOn solùm in rebus publicis tàm Ecclesiasticis, quàm politicis ad negotia communia spectantibus; verùm & in privatis ad unamquamque personam, præcipuè spiritualem & res, & vitam suam ad scopum beatitudinis æternæ dirigentem pertinentibus, ordo requiritur certus; secundum quem actiones, officia, & quidquid demùm ad vitæ transigendæ rationem attinet, probè, ritèque peragantur. Ordo namque res, & actiones humanas ornat, decorat, informat, & commendat. Id quod Divus Gregorius Nyssenus in oratione quadam urgere videtur, cùm ait: [a] *Quòd si in rebus mundanis res decora est, ordo, atque scientia: multò profectò magis eam observari convenit in rebus magnis, atque cœlestibus.* Nimirùm interest plurimum, scire; quid, quomodò, quo tempore, quové ordine, res, officium, & exercitationis actio suscepta fieri debeat. Hoc enim res easdem ornat mirificè, ijsq; perpetuam durandi facilitatem conciliat etiam in politico statu singula certis temporibus, ac horis exsequendi servatus ordo: qui viris, & quibuscunque personis

[a] *S. Gregor. Nyssen. orat.* 3. *de Resurr. Christi post initium.*

 religio-

religiosis ad fovendum spiritûs fervorem per spirituales exercitationes, est multò magis necessarius, ut ea, quæ perpetuam in spiritu, facilemq; reddant disciplinam, non tumultariè, confusèq; , sed ordinatè per horarum temporumq; vices sibi succedendo nullam patiantur confusionem, aut fastidium aliquod adferant. Hinc & Divus Ambrosius idipsum paucis egregiè perstringens, ait: *Nos tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agamus; ne præcipitemus consilia, atque opera nostra; ne ordinem prætermittamus.* Quasi dicat divinissimus Præsul: Ad hoc, ut res agantur maturè; ne facilè id, quod agendum suscipimus, præcipitetur, præscribendus est omnibus, & singulis negotijs, & actionibus, in ijsque servandus est ordo; quem viri sapientes animam rerum scitè appellant. At verò sapientibus hoc idem suggessit nemo, nisi Spiritus sanctus per Ecclesiasten ità protestatus: a *Omnia tempus habent; & suis spatijs transeunt universa sub cælo.* Ne videlicet seu brevissimè, seu diù victurus homo, rerum statui suo competentium fastidium aliquod experiretur, indeque facilè semel suscepta proijceret nauseabundus, etiam ipsâ naturâ duce, rebus in dies singulos, noctes, & horas agendis, ad ordinem quemdam tenendum provocatur. Quid autem dico; naturâ duce? Deus ipse naturæ sapientissimus opifex rebus singulis tempora distinxit, qui (sicut canit Ecclesia) b *Temporum dat tempora, ut allevet fastidium.* Corpus igitur humanum, quod aggravat animam, quia spiritualem disciplinam, & continuam exercitationem diù sustinendam plerumque fastidit; quin & animus ipse semper ijsdem intentus actionibus diuturnis in tædium aliquod facilè dilabitur, tàm corpus, quàm animus varietate distinendi, delectandiq; sunt, ex opere uno in aliud non importunâ, sed ultroneâ quadam rerum, & temporum vicissitudine, sponte ferantur, & procedant.

2 Religiosus ergò, sicut in communi statûs sui regimine

a Eccle. 3. 1.

b *Hymn. Dom. ad Laud.*

mine præscriptum deprehendit, & habet ordinem, sic alterum ordinem in privatis etiam exercitationibus suis ad orandum (quin & singulis precibus certum tempus ac ordinem certum præstituat, quæ priùs, quæ deinceps succedant, dicendæ, & veluti pensum aliquod reddendæ sint) ad scribendum, legendum, ad manuale quodpiam opus expediendum, præscriptum sibi teneat, est necesse. Quo fiet, ut preces, aspirationes ad Deum, certarum virtutum exercendarum actus vel exteriores, vel interiores, aliæq; spirituales exercitationes sine tædio sponte suà quodammodò fluant, & fervor spiritûs insensibiliter inviolabilis retineatur, adeò quidem, ut ex perpetua per ordinem singula peragendi consvetudine facilis in animum inducatur habitus; hic autem in alteram, ordinatè, spiritualiter, & fervidè vivendi transeat naturam. Sequitur hinc & aliud emolumentum: quòd videlicet Religiosus, qui nec communis, nec privati à se præstituti temporis, ordinisq; domus est, cùm subindè (quod frequentissimè contingit) ab exercitijs sibi consvetis aliò per obedientiam vocetur, vel facilè compenset, ac in ordinem pristinum redigat intermissa; vel, etsi pro illo tempore compensare iam eo die privata non possit, ea nihilominùs & non imputantur pro negligentia; & apud Deum, meritum non amittunt. Nam & virtus obedientiæ totum supplet; & Deus alacri ad obediendum animo gratiam dat ampliorem tùm ad eludendas dæmonis insidias, tùm ad rerum divinarum contemplationem.

3. Adstipulatur, quantum ad vincendas tentationes, Divus Ambrosius, dicens: [a] *Perfectis, & fidelibus*, id est, fideliter obedientiæ studio privata sua quantumlibet sancta propter Deum relinquentibus, *divina solent adesse præsidia.* Quantum ad contemplationem, corfirmatur in Patriarcha Iacob. Hic Patri suo Isaac obediens, relictis paternâ domo, commodis, & solatijs, peregrè profectus, præter-

a *S. Ambr. citat. in men. spirit. cib. V. Obedientia. Num. 22.*

 quam,

quam, quòd Dominus Deus ipsi conspectum suum exhibuit, novâ gratiæ suæ præsentiâ dignatus est ipsum; amplissimâ benedictione, & in omni loco custodiæ suæ præsidio se adfuturum illi promisit, in terra peregrina magnis opibus ditavit; [a] *Ditatus est homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas & servos, camelos, & asinos.* Præter hæc, inquam, & alia plurima divinæ benedictionis ampliorisque gratiæ argumenta, etiam aliud maius obedientiæ præmium consecutus est: quòd obuiam ei venerint Angeli Dei, tamquam obedienti, suimetipsius alacerrimo victori gratulabundi. Nec ea simplex aliqua fuit unius, aut duorum, aut trium, aut quinque Angelorum apparitio, qualis fiebat maioribus ipsius, Abrahæ, Isaac, & posteà alijs; sed ingens quidam Angelorum exercitus occurrit illi, ut ipsemet Iacob, ubi vidit turmatim obuiam venientes, dixerit: [b] *Castra Dei sunt hæc.* In quæ verba Rupertus ad hoc propositum sapientissimè scribens, ait: [c] *Non dictum est; quia apparuit Angelus, vel apparuerunt Angeli ei, quod & multis accidit: sed dictum est; quia fuerunt ei obviam Angeli Dei, quod insigne sonat victoris, & emeriti; cui pro gloria triumphi, pompa cœlestis obviam procedens, festivâ exceptione lætum obsequium præbuerit.* Ità Deus amplitudine gratiarum suarum remnerari solet obedientem alienæ magis obsecutum, quàm propriæ, voluntati. Quod doctissimus idem pater sequenti capite magis illustrat, cùm ait: [d] *Iacob, postquam præceptum Patris peregit, revertenti obviam fuerunt Angeli. Quia post obedientiæ laborem cuique viro fideli superest, supernis illum revelationibus glorificari, & cælestium spirituum crebrâ visitatione iam in hac vita remunerari.* Cæterùm bono Religioso, quamvis obviam non habeant Angelos, aut cœlestium spirituum crebrâ visitatione minimè gaudeat, sufficit Dei gratiâ muniri, & roborari, nec ab eo spiritum devotionis auferri; aut in vocatione

a Gen. 30. 43.
b Gen. 32. 2.

c Rupertus in Gen. lib. 8. c. 2. ad initium. d c. 3. ad init.

tione, facilè vacillare non contingat, aut ab ea discedere: quod plerumque remissis, ac negligentibus permittit Deus in pœnam.

§. IV.

Spiritum, ac fervorem primum conservat in Novitijs quidem, boni propositi, in professis autem Votorum renovatio quotidie coram sanctissimo Sacramento facta.

I. CONsilium hoc saluberrimum ad spiritum, & fervorem, in Religioso continuè nutriendum est, religiosissimi Thomæ de Campis: qui de boni Religiosi scribens exercitiis, ità suggerit: [a] *Omni die renovare debemus propositum nostrum, & ad fervorem nos excitare; quasi hodie primùm ad conversionem venissemus.* Quibus verbis hoc urgeri videtur præcipuè; fervorem mentis ad instituti suscepti exercitia sedulò peragenda, quin & ad ipsam erga Deum, eiusque cultum, devotionem optimè custodiri, conservariq;, religiosi propositi sivè per sacri susceptionem habitûs, sivè per votorum nuncupationem iam confirmati, quotidianâ renovatione. Magis autem idipsum Magister gentium Divus Paulus mille quadringentis, & ampliùs annis ante virum hunc venerabilem Ephesijs ad eos in primo fidei fervore conservandos inculcavit. Quos postquam hortatus est impensè; ut vocatione suâ dignè ambularent, præscribens ipsis humilitatem, & mansvetudinem cum patientia, ac demùm varia tradens eis documenta; quomodò Christum imitari debeant, & veterem hominem secundum desideria carnis ambulantem exuere, mox ità concludit: [b] *Renovamini autem spiritu mentis vestræ*, brevi quidem, sed emphatico satis aphorismo luculenter indicans; vocationem suam ad fidem, si velint habere integram, ac perseverantem, ut spiritu mentis renoventur; id est: frequenter, & quotidiè, spiritum, ac fervorem in exordio fidei sibi cœlitùs infusum in se ità ex-

[a] *Tho. camp. lib. 1. c. 29. de imitat. Christi.*

[b] *Ephes. 4. 23.*

citare ſtudeant, atque renovent; ac ſi hodie primùm in fidem ad Chriſtum acceſſiſſent; ipſum amare, ſequi, imitari, gloriam eius & honorem quærere incepiſſent.

2. Quæ renovatio cùm ſummè neceſſaria ſit unicuiq; Chriſtiano non ſemel tantùm, ſed etiam frequentiùs in anno per expiationem conſcientiæ, multò magis autem Religioſo, qui Deo conſecratus ſemper in novitate vitæ Chriſtum Dei Filium imitari, & exprimere moribus in ſe debet; tùm in renovatione, ſumma quædam elucet ſapientiæ, quam Deus ad imitandum hominibus in accipitris renovatione conſtituit, annis ſingulis alas ſuas ad Auſtrum explicantis, & ſic ad lenem tepentis auræ meridianæ flatum plumis ſuis novitatem conciliantis, ut veteres quidem excidant pennæ; ſuccreſcant verò novæ. Quod ipſum Religioſus amans vocationem ſuam, ne ſpiritûs, ac fervoris in tyrocinio per Dei gratiam concepti defectum patiatur, non tantùm ſemel ſingulis annis, ſed etiam quotidie coram Chriſto Domino, in Sanctiſſimo Sacramento, præſente, gnaviter imitetur accipitris indolem: ſciatque contra diaboli fraudes vocationem ſubvertere ſemper adnitentis, adverſus inſidias mundi, carniſque illecebras, hoc eſſe quoddam arcanum ſapientiæ, vocationi conſervandæ proſpectum; ut, ſi non crebriùs, ſemel ſaltem quotidie tyro propoſitum bonum, profeſſus autem vota, coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & hoc ſi deſit, (uti contingere ſolet vel ægrotanti in cella, vel in itinere exiſtenti) coram imagine Servatoris in Crucem affixi; vel, in huius etiam defectu, coram Deo, qui præſens in omni loco ſemper eſt, renovet, & confirmet.

3. Hac methodo primus ille fervor devotioni dediti; in ſolitudine, & in ſilentio cum Deo converſari, precibus, ac rerum cœleſtium meditationi, frequentibus ad Deum aſpirationibus, virtutum ac mortificationum exercitationi mentem, & animum intendere ſoliti, ſpiritus retinetur. Ità Di-

vus Gregorius ad illam accipitris annuam renovationem alludens docet, cùm ait: [a] *Novam pennam ſumere, eſt mitem, & ſimplicem ſenſum* (qui in primo Religionis ingreſſu, & in tyrocinio plerumque aſſumitur) *benè vivendo tenere*. Tenetur, inquam, mitis, ac ſimplex animi ſenſus ad Deo ſincerè ſerviendum promptus, benè vivendo; bonæ vitæ propoſitum, & inſtituti ſuſcepti ſtatum per eiusdem boni ſensûs renovationem, coram Deo quotidiè offerendo. Id quod ſapienter providenti Venerabili noſtro Patriarchæ Ioſepho à Matre Dei non ſatis fuit conſtitutione præſcribere, ut nobis in anno, videlicet, [b] *In die feſto Reſurrectionis Domini, & in ſolennitate omnium Sanctorum* (ſed hinc poſtmodùm ad feſtivitatem Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti transferri viſum eſt) *ſingulis annis, præviâ ab ultima generali confeſſione ab omnibus Religioſis noſtris fiat votorum renovatio*; niſi vehementer etiam hortaretur, & commendaret ad in virtute proficiendum, ut eiuſmodi renovationem votorum quotidiè faciant omnes, ac ſinguli Religioſi noſtri profeſſi (ſicut & faciunt) dum laudabilem hunc uſum inculcat in hæc verba: [c] *Et ut feliciori curſu, & novo ſemper merito viam virtutum perficiant; optamus, ſingulis diebus coram Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento genibus flexis vota iterare, ſeu confirmare conſveſcant*. Neque verò venerabilis hic Pater ſolo verbo rem vocationi religioſæ conſervandæ maximè neceſſariam prædicare voluit; docuit eam & exemplo. Solitus enim auguſtiſſimam Dei in panis ſpecie præſentiam diù, noctuque adire, adorare; ab eaq; plurimum luminis, & gratiæ cœleſtis haurire, laudabilem eam conſvetudinem toto vitæ ſuæ tempore frequentavit. Ità teſtatur P. Camillus à S. Hieronymo tanti Patris olim in Chriſto filius, virtutum illius ſpectator occulatus, poſteà ſecundus poſt eius obitum præpoſitus Generalis, cùm anteceſſiſſet P. Ioannes Garzias à Ieſu Maria. Dicit igitur in quadam oratione ſua: [d] *In Auguſtiſſimis templo-*

[a] S. Gregor. [b] Conſt. P. 2. c. 1. in fin.

[c] Ibid. [d] P. Camil. à S. Hieron. in Orat. funebri.

templorum delubris ipsam Christi sapientiam inter candida quasi panis indumenta delitescentis diù, noctuq; ore tacito, deprecante animo adibat. Quam sanè consvetudinem imitandam & totâ ætate retinuit, & quotidie suos observare vehementer adhortabatur.

4. Cæterùm Venerabilis Patris in constitutione recitata superiùs verba, benè sunt observanda, cùm ait: ut feliciori cursu, novo semper merito etc. Advertit enim prudenter; in virtutis via facilè, feliciterq; curri; si continuus adsit divinæ gratiæ fomes, ac nutrimentum per crebram sancti propositi, votorumq; renovationem suggestum. Undè magnus ille spiritûs religiosi Magister Thomas à Campis ait: [a] *Satis svaviter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum, si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo ductore?* Onus allevat omne, viamq; reddit in portanda Domini Cruce facilem, ac felicem divina gratia. Sed & merito veteri meritum semper accrescit novum, animamque vigore mirabili vegetat in currenda virtutum via, & ad nova instituti ferventiùs prosequendi accendit desideria, non solùm in proficientibus, verùm & in perfectis ad Deo magis ac magis appropinquandum, cum eoq; se se coniungendum necessaria. Quod religiossissimus ille in historiam Iob commentator alicubi graphicè expressit, ubi ad naturam accipitris ex Æliano aliunde ità præsentem illustrat materiam; [b] *Accipiter*, inquit, *soli à delusa Antiquitate consecratus, optimè proficientium, & perfectorum, est typus: quòd omnem vitam suam soli iustitiæ consecrant, & fulgori, ac calori divini amoris se dicant. Hi namque more accipitrum alas vehementiorum affectuum ad Austrum ventum calidum, nempè ad Spiritum sanctum expandunt, non tàm ut veteres pennas, & vitia pristina, quæ iam abiecerunt, deponant; quàm ut ad modum vulturum, qui vento calido fæcundantur, ex divino illo Spiritu nova perfectionis desideria concipiant.* Hucusq; ille sapientissimè. Nimirùm ad hoc crebra, diebusq; singulis coram

a Tho. Camp. de imit. Christi, lib. 2. c. 9.

b Corder. in Iob. Elucid. cap. 39. 26.

Sanctissi-

Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ubi Christus iustitiæ Sol admirabiliter resplendet, & divini caloris sui radios explicat, fit instituti, vocationisq; susceptæ & votorum, renovatio; ut anima religiosa novis illustrationibus fæcundetur, eius voluntas ad nova concipienda sancta desideria ex igne illo divino excitetur, & accendatur; novis meritis ad incrementum divinæ gratiæ cumuletur; & ità viam virtutum, viam etiam instituti quantumcunque rigidi iam semel arreptam non tantùm facilè currat, Religiosus; verùm etiam felicissimè perficiat: in qua demùm perfectione finalis in Dei servitute perseverantia completur in ultimo vitæ puncto.

5. Non possum hìc & illud intermittere, quod Olympiodorus in catena Græca de Accipitris renovatione loquẽs ità scribit: [a] *Dicitur accipiter versus Austrum explicatis alis fermè erectus in àëre consistere.* Digna certè res observatione, quòd volucris hæc non supina, cæterorum animalium more, apricetur ad Austrum, auramq; tepentem excipiat; sed erecta in àëre consistens, alas & veteres plumas explicet, sicq; veteribus eo tepore sensim defluentibus aliæ subnascantur pennæ. Sic religiosi, qui singulis diebus, etsi genibus flexis, corde tamen & animo in cœlum ad divini Spiritûs hauriendam gratiam, lumen, & amoris incrementum erecti cœlestem fæcunditatem ad virtutum, & perfectionis vividum augmentum, quando desideriorum & affectuum sanctorum alas ad calentem divinæ charitatis aspirationem explicant, maiora semper concipiunt incrementa, non supini iacentes in terra, non pigrorum more vocationi suæ negligentiùs advigilantium; sed tamquam alacerrimæ volucres, instar accipitrum inter cœlum & terram in àëre suspensi mentibus ad Deum vivaciùs erecti, divinam gratiam ad fervoris ac spiritûs renovationem implorant, impetrantq; semper cum regio Psalte non magis ore, quàm corde promentes illam vocem:

[a] *Olympiod.*

a *Ad te levavi animam meam; Deus meus, in te confido.* vel: b *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Undè S. Hieronymus super eiusdem Psalmi priùs recitati versiculum scribens, ad propositi nostri intentum scitè: c *Triticum*, inquit, *si in imo iaceat, computrescit; si sursùm elevatur, custoditur.* Voluit Doctor Ecclesiæ maximus ad hoc alludere; quòd triticum in magno cumulo, congestum in granario, nisi per ventilationem moveatur, & per agitationem certo tempore sursùm elevetur, facilè contracto vitioso quodam humore computrescat; ideoq; tritici, vel cuiuscunque frumenti grana cumulatim iacentia custodire, & ad frugem conservare qui velit, concavis ea movere palis, elevare, & ventilare debet. Subdit deindè divinus idem Hieronymus: *Sic anima, si in imo iaceat, computrescit. Nam si sursùm elevatur, in spe, fide, & charitate, custoditur à Deo.*

6. Ad alterius autem itidem hìc recitati Psalmi versiculum observat idem S. Hieronymus æquè rem proposito nostro peraccommodam, quando cantioni præmittens titulum pulcherrimè notat; quod vir ille fidelis, d *Qui dudum ad montes sustulerat oculos, nunc proficiens iam in ascensu ad ipsum cœlorum habitatorem eos erigit, dicens: Ad te levavi oculos meos.* Mox pergit explicando, ab ascensu ad montes, à lætitia ad promissum sibi in domum Dei ingressum, denique profecisse ipsum ad maius, ut ad ipsum usque Deum levet oculos: *Nunc ad maius profecit* (verba Doctoris maximi sunt) *ut ad ipsum Deum oculos levet.* Quo satis indicatur, animam certis quibusdam veluti gradibus ad proficiendum in virtute, in sanctis desiderijs & spiritûs incremento ad Deum sincerâ charitate complectendum non repentè, sed sensim & gradatim ascendere: atque hoc etiam est, quod hìc ex mente Venerabilis Patriarchæ nostri diximus: *Feliciori cursu, novo semper merito viam virtutum perficere*; dum anima quotidie novis erga Deum desiderijs, divinæ gratiæ incre-

a Psal. 24. 1. b Psal. 122. 1.
c S. Hieron.
d Idem.

mentis, & maioribus semper apud Deum meritis per religiosi propositi, iam suscepti, perq; votorum renovationem accenditur, fæcundatur, & fæcundata proficit usque in diem perfectum; qui completur in possessione beatitudinis sempiternæ.

CAPVT IX.

§. I.

Ad vocationem laudabiliter prosequendam, & ad perseverandum in ea, plurimum confert, fervorem, & spiritum moderari discretione.

I. Etsi vocationis conservationi plurimum serviat spiritus, ac fervor ille tàm in principio, quàm in progressu tyrocinij acquisitus; eiusq; prosecutio sit quædam (uti iam dictum est) in bono perseverandi tessera; præsertim cùm omne bonum desiderium ad orationes, ad carnis afflictationem, ad sensuum tàm exteriorum, quàm interiorum refrenationem, & ad alia Deo gnaviter serviendi media, videatur, & sit à Spiritu sancto, religiosam animam in via perfectionis admirabiliter promovente: nihilominùs tamen in his omnib9 idē divinus Spiritus ità suggerit ea desideria, ut velit ea viribus humanis esse commensa, iustaq; ad earumdem virium facultatem proportione temperata sic, ut nihil velit fieri *Nimis*. In quo, ne ad ipsum statim initium, tamquam in primo limine, contingat impingere, discretione, quam sancti Patres, & Magistri spiritûs omnes summoperè commendant, & inculcant, est opus. Iam verò per hanc discretionem non hìc intelligitur illa, quam aliàs appellant discretionem spirituum: hæc enim est difficillima, neque novitio statim, aut cuicunque iuveni Religioso, à Deo concedi solita; sed nonnisi viris per multam illuminationem, labores, & experientiam, & quidem paucissimis, impetrata à Deo singularis gratia, consistens in eo; cognoscere quis ut possit, ac discernere: num impulsus aliqui sint à Deo, an potiùs à dæ-

mone sæpè transfigurante ac talia svadente, ijsq; rationibus utente, & argumentis; ut Angelus videatur lucis; & aliud non machinante, quàm ut decipiat, illudat, & perdat. Undè sancti Patres maximè laborârunt in præscribendis certis regulis (in quo genere præcipuè Cassianus excellit) ad discernendum spiritum, & impulsum divinum. Non, inquam, hìc intelligitur ista discretio; sed illa, quam unicuique prudenter operari volenti suggerit ipsum lumen rationis; ut vires suas suscipiendis laboribus, & exercitationibus ad spiritum, & vitam, in Instituto suscepto modeandum commetiatur. Discretio hæc (quam & prudentiam rectè voces) lanx est; ad quam Religiosus & omnis in pugna spiritûs, & carnis, Christo militans, vires, & actiones ità ponderat, & expendit; ut illæ nec nimis in unam excedant partem, nec nimis in alteram deprimantur: sed medio quodam ordinatissimè incedendo, finem assequendæ perfectionis contingere studeat.

2. Quia verò superiùs est dictum; sedulam spiritualium exercitationum frequentationem (quæ disciplina quædam est, & nutrimentum vocationis) non solùm minuendam non esse, verùm etiam augendam; ne quis idcircò in accumulandis eiusmodi privatis exercitationibus in laqueum incidat indiscretæ nimietatis, ac demùm contingat non tantùm inconstantiæ vitium incurrere, sed etiam desperatione proficiendi totũ abijcere; præterquam quòd superiùs insertum est ad cautelam; a *Vt, quantum fieri potest, viribus, & occupationibus alijs ex instituti ratione sibi incumbentibus prudenter expensis, etiam augeat*, sibi exercitia spiritualia; hìc etiam peculiariter fusiùs inculcandum est ad inspiritu, fervoreque primo perseverandum opus esse statim ad initium discretione, impulsus ad exercitationem assiduam ità moderante, ut ne quid plus nimio fiat: sed intra fines imbecillitatis humanæ sic contineantur, & exerceantur singula, ut & animus fervoris

a *Sup. cap. 6.* § 1. *Num.* 1.

habeat

habeat nutrimentum, & omne tædium tàm animi, quàm corporis propellatur.

3. Igitur quod attinet impulſus ad paſſiones edomandas, & vitia, carnemq; ſpiritui ſubiugandam per ieiunia, flagella, aliasq; corporis afflictationes; hæc, & his ſimilia, quantumcunque bona ſint, & præſertim principijs ſummè neceſſaria, tùm ut Religioſus illi, quem profitetur, rigori (ſaltem reſpectivè ad ſæcularem anteactam vitam) & tenori religiosè vivendi carnem aſſvefaciat; tùm ut ſpiritum quoque per eaſdem afflictationes exerceat: nihilominùs in omnibus his eſt ſemper habenda ratio inprimis earum mortificationum, & exercitationum, quæ ſunt ex inſtituti præſcripto communes omnibus eandem vocationem profitentibus, & benè ponderandum, an ad aliud ampliùs ſuſtinendum pares ſint vires, an ſecùs? cùm enim veriſſimum ſit illud Chriſti Domini pronuntiatum; [a] *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; impellitur, & accenditur ſæpè, præſertim in incipientibus, ac tyronibus, ad carnem, & importunos ſenſuum, ac naturæ motus per ieiunia, per flagra, per vigilias, & alias afflictationes, reprimendos, ac debellandos; impellitur, inquam, ſæpè ſpiritus; & niſi frenentur impulſus iſti moderatione diſcretionis, eſt periculum aut in ijs deficiendi, aut ea penitùs abijciendi: quod poſtmodùm, ob inconſtantiæ notam, pudorem quemdam, & ignominiam conflat, ludibrio, & inſultationi, quâ cacodæmon tamquam victor ſe ſe oblectat, obnoxiam. Idcircò Patres ac Magiſtri ſpirituales in hoc præcipuè deſudant, ut moderatè, non autem ad nimium, corpus affligatur. Ac inter alios S. Philippus Nerius exercitatiſſimus, & peritiſſimus in hoc genere Magiſter, hoc dare ſolebat documentum: [b] *Ne ieiunia, flagella, & corporis afflictationes eiusmodi, ſine Confeſſarij licentia adhibeantur. Et quicunque res id genus proprio aſſumit arbitratu; aut labefactabit brevi valetudinem; aut,* quòd

[a] *Matth.* 26. 41.

[b] *S. Philip. Ner. mor.* 8.

quòd sibi grande quid præstare videatur, in superbiam præcipitabitur. Ideoque cùm hinc quidem corpus obijciatur valetudinis labefactandæ periculo; indè verò anima superbiæ vitio, Divinæ Maiestatis auctoritati, & gratiæ è diametro summè adversanti, quod desertori angelo proprium est, facillimè fiat obnoxia: superioris, aut patris spiritualis, aut confessarij, iudicio totum se permittat Religiosus; & quidquid isti vel probaverint, vel improbaverint; id ratum, & salubre existimet, amplectaturq́; nequaquam in ullo, quidquid ab ipsis definitum fuerit, erraturus. Habent enim isti singularem ad animarum directionem, Spiritûs sancti gratiam, & (ut ità dicam) assistentiam, plerumque etiam spirituum discretionem. Sicq́; pro discretionis & prudentiæ regula principali, sit unicuique; iudicio superioris, aut Patris spiritualis, vel confessarij, acquiescere.

4. Erat & aliud eiusdem S. Philippi Nerij monitum in hoc genere, præcipuè Deo servire incipientibus observandum, dicentis: [a] *Magnam cordis esse perfectionem, discretum esse, nec terminos prudentiæ transilire. Et tamen multi, eorum maximè, qui primùm incipiunt Deo servire; quòd virtute discretionis careant, vitam aggrediuntur asperrimam, & pœnitentias suscipiunt longè laboriosissimas, ieiunando strictissimè, horrida portando cilicia, super asseribus nudis dormiendo, vigilando, per totas orando noctes. Quæ cùm ipsis improportionata sint, viresque illorum non modicè excedant; ideò deprehendunt tandem se & illusos, & malè affectos, indispositosque tàm quoad corpus, quàm quoad animam.* Quod idem documentum etsi proximè præcedenti sit affine, ac ferè idem; quia tamen peculiariter incipientibus inculcandum: ideò totum huc inserere visum est. Cæterùm moderationi, discretionisque virtuti summè necessariæ prospiciendo Venerab. Patriarcha noster Iosephus à Matre Dei, etiam ipse super id singularem habuit animadversionem. Qui licèt culparum quotidianarum ex-

[a] *Morit.* 18.

piationi

piationi per certas mortificationes à superioribus imponendas esse consultum voluerit; admonuit tamen, in his omnibus utendum esse prudentiâ; ne videlicet in eiusmodi pœnis infligendis excedatur prudentiæ regula. Dicit ergò constitutionum Parte primâ, capite ultimo: [a] *Curet superior viribus omnibus internis, externisque perpensis; ne alicui plus debiti oneris, nec aliquid sordidum, aut quod nauseam provocet, imponat.* Et hoc quidem ad superiori discretè, & prudenter operandum in imponendis ijs, quæ ad carnis, ac sensuum mortificationem, ad exstirpandarum quoque passionum communem pertinent afflictationem.

5. Iam autem Venerabilis idem Pater noster Iosephus nec ijs deesse voluit, quæ ad singulorum privatos pertinent impulsus, ac desideria in suscipiendis corporis afflictationibus: ne videlicet etiam hæ per indiscretionem facilè susceptæ valetudinem lædere possint, superiori quidem inculcat vigilantiam, subdito verò unicuique candidam sui manifestationem sivè superiori, sivè confessario exhibendam: quorum arbitrio sit acquiescendum. Quam in rem ab ipso præscripta constitutio sic habet: [b] *Universè autem omnium subditorum à superiore valetudinis cura habeatur, & invigilet ipse; ne quis in studijs, in vigilijs, abstinentijs, & alijs pœnitentjs externis, & laboribus indiscretis, quæ magna nocumenta adferre, & maiora commoda impedire solent, plurimum temporis insumat, sed quidquid hac in parte fecerit (subditus) superiori suo, aut confessario fideliter detegat.* Scilicet optimè per hoc, provisum arbitratus est tam corporis valetudini per nimiam, & supra vires, afflictationem non lædendæ; quàm & animæ securitati, ne propter multas èxteriores pœnitentias in superbiæ vitium impingatur. Nam austeritas, & rigor sicut ad carnem, & eius vitia domanda, frenum & remedium est præsentissimum; ità quoque, nisi ad discretionis examinata stateram modum teneat, tàm corpori, quàm a-

[a] Con. p. 1. c. ult.

[b] P. 1. c. 9.

nimæ

nimæ facilè parat exitium. Corpori quidem, quòd non solùm in gravem ad diuturnam impellere soleat ægritudinem; sed etiam præmaturam adferre mortem: cuius rei magistra est experientia: animæ verò, quòd hac ratione præter superbiæ peccatum ex operum tamquam heroicorum magnitudine nón facilè effugiendum, in contumaciæ quoque detestandum incurratur vitium, quo diabolus ad accumulanda postmodùm plura peccata, sibique dominatum in animam pleniùs usurpandum, veluti dulci quodam religiosum inhamat visco, specie boni, reique sanctæ, & ad animæ salutem summè necessariæ titulo sic inducendo, ut per eas longas vigilias, ieiunij, cilicij, & flagrorum asperitates in eos impellat labyrinthos, ex quibus nec corpus, nec anima deinceps facilè possit extricari, vel curari: sicque triumphat inimicus ex opere bono, quod sine discretione susceptum, redditum est malum. Igitur sicut religiosus ad in sua vocatione constantem perseverantiam habere debet, initio præsertim, rationem moderationis, ad cuius libellam omnes actiones suas, quæ extra communem Religionis usum ad privatum vitæ rigorem, & austeritatem pertinent, examinet: ità super omnia superioris, aut confessarij, iudicium pro discretionis habeat regula; eamque diligenter, & humiliter observet: sciatque verissimum esse, quod quidam peritissimus in hoc genere scripto reliquit Asceta: [a] *Qui in actionibus suis non utitur prudentià, vel discretione; crebrò tantos errores committit, ut nullum remedium ijs sanandis, vel tollendis suppetat.* Et hæc quidem de discretione, quantum ad rigorem corporis temperandum.

6. Non omittendum deindè hìc est; quod ad orationes, voce, vel ore promendas attinet. Etiam in his certa mensura, discretionisque regula valeat, est necesse; ne ex tàm excellenti opere, qualis est oratio, facilè trophæum statuat inimicus. Bona

a *Lu. Pinel. de perfect. relig. l. 3. c. 8.*

est

est oratio; bonum est, preces laudesque divinas ore promptas fundendi, atque per hasce cum Deo versandi exercitium cùm ad implorandum auxilium, in pugna spirituali contra tentationes; tùm ad impetrandam gratiam in Dei servitio constanter perseverandi; tùm ad alia tàm præsentis vitæ præsidia, quàm æternæ beatitudinis hæreditatem. Attamen & preces eiusmodi moderandæ sunt discretione; videlicet ut privatim ità suscipiantur, ne vel communibus exercitijs obeundis impedimento sint; vel orationi mentali, seu meditationi, quæ ad vitæ spiritualis institutum longè utilissima est, tempus eripiant; vel orantem obruant nimietate. Quã in rem iterùm occurrit S. Philippi Nerij præclarum monitum proposito nostro opportunissimum, quod ad eruditionem huc in solidum adfero. Dicebat ergò vir animarum gubernandarum peritissimus. a *Sunt nonnulli, qui sensim se se novis, ac novis oneribus aggravant, imperantque sibi in dies singulos & coronas plurimas, & horas Virginis Sanctissimæ, & officium defunctorum, & diversas orationes alias in alios fines, & complura præterea alia. Quæ, esto bona sint; singula tamen omnia simul nimia sunt, & obruunt oratorem, ac tandem superante nauseâ omnia relinquuntur; præterquam quòd tot onera mentalem impediant orationem. Bonum tamen est; certam aliquam sibi imperare devotionem, eamq; seriò prosequi, nec unquam intermittere.*

7. Hoc viri Sanctissimi documentum planè convenit tàm cum huius paragraphi doctrina; quàm cum ijs, quæ proximè præcedẽti capite, §. 1 sunt dicta. Itaque si subindè præter præstitutas sibi semel orationes ore promendas aliquid suscipitur ampliùs, & extraordinarium; id quidem fiat: non tamen cum proposito posthac vel semper iam prosequendi, vel nunquam ampliùs omittendi, vel penitùs non relinquendi. Quia similia (sicut dictum est) tot onera, præterquàm quòd nauseâ superante vel relinquantur omnia, vel pertinaciter retenta,

a S. Phil. Ner. Mon. 12.

cum nimia festinatione, tumultuariè, sine spiritu, sine ulla devotione, sine recollectione, prorsusque perfunctoriè peragantur; etiam propter inductam consvetudinem, & tamen posteà deserendam, aut desertam, quamdam ingentem animi perturbationem, scrupulum (quamvis inanem, cùm ea non sint de lege) solent excitare. Sed occurritur huic perturbationi discretione pacem & vitam animæ comparante, ita ut, quod Divus Ambrosius alicubi de prudentia spiritûs dixit, quòd videlicet [a] *Prudentia Spiritûs vita est, & pax*, idem usurpari possit de discretione: quæ pari passu cum prudentia incedit, vires humanas, exercitationes, & officia singula ponderante.

§. II.

Gratiam non tantùm conciliat, sed etiam fovet discretio.

I. Cùm plerumque divina gratia se se accommodet naturæ, pronaq; sit ad eam iuvandam, & in spiritualis vitæ progressu promovendam, non ultra terminos imbecillitatis humanæ, sed æquè diligat medium, & fines.

Quos ultra, citraq; nequit consistere rectū:

ideò dubium esse non debet; eum, qui prudenter, ac discretè suis in actionibus tàm ad carnis afflictationem, per eas, quas vel instituti fert consvetudo, vel privatum desiderium eligit, mortificationes; quàm ad spiritum orationis medio nutriendum non solùm prævenientem gratiam, quâ vocatus est quis ad Religionem, sibi familiarem, & assistentem continuè, reddere; sed etiam secum ut comitetur, ac perseveret, conciliare. Sicut autem certum est; diabolum religiosæ vitæ capitalem inimicum subindè transformatum in Angelum lucis etiam operum bonorum titulo solere benè cœptis insidiari, ut nimirùm animam circumquaque tandem exercitationis obrutam nimietate fallat, & ad deserendum totum, vel aliter eludendum, inducat, & hominis internam perturbet pacem:

[a] *Ambr. in ep. ad Rom. c. 5.*

itâ

ità gratiam quoque operari tamdiù, dum intra rectum consistens non ponit obstaculum natura. Ponit autem, dum nimietati serviens ad extremum deflectit, sicque mentem non solùm in charitate defervescere, sed etiam disciplinæ reddens incapacem, deficere compellit. [a] Quod Ephesino præsuli reprehensionem, & comminationem terribilem consciviti, pravitatem aliquam inducere pergenti, naturæ bonitati, quam gratia venatur, è diametro adversantem. Quãvis enim gratia supra naturam sit; hanc tamen illa requirit bonam, tractabilem, nec minimùm extra prudentiæ fines exorbitantem. in quo magna sita est animæ sapientia, dicente S Ambrosio: [b] *Mens bona est, quæ habet tractationem rationis, & intendit sapientiæ disciplinis.* Nimirùm commendat Sanctus hic præsul animæ, quæ per rationis tractationem intra mediocritatem incedens, non refugit sapientiæ disciplinam, discretionem; & ità se tractari permittit à gratia, ut hæc non modò sufficienter, sed & efficaciter in lucra spiritûs cum carne pugnantis vigorem naturæ iuvet; promoveat, & conservet. Atque hoc est; intentum esse sapientiæ disciplinis, aptum se reddere gratiæ operanti.

2. Igitur ad carnem subiugandam spiritui per ieiunia, per flagra, per cilicia, vigilias, & his similia dum mentem accendunt desideria; dum ad tot Domini coronas (ut vocant) ad tot rosaria, psalmos, aliasque preces, tot vicibus in die, vel nocte recitandas suggeritur cogitatio; statim ad discretionis examinanda sunt hæc omnia libellam; dispiciendæque sunt vires, tempus, ministeria, & occupationes, officia communia; cum ijsque sic commetiendæ sunt inspirationes hæ bonæ, utrum non inclinent ad nimium; sensim tàm communia, quàm privata iam aliàs laudabiliter suscepta, & hucusque servata labefactaturæ. Quæ si consistere cum mediocritate cognoscuntur, equidem in Dei nomine (cum consilio tamen, & facultate eorum, ad quos dire-

[a] *Apoc.* 2. 5.

[b] *S. Ambr. lib. de Iacob & vita beata c.* 5.

directio pertinet) repudiandæ non sunt, sed amplectendæ. Si verò cum naturæ viribus pugnent, & communibus exercitijs, ac privatis etiam benè cœptis impedimento sint, ne gratiæ svaviter operanti desiderium hoc vehemens contraveniat, prudenter ijs potiùs renuntiandum, & per omnia prioribus tamquam ad naturæ, viriumque temperiem, & ad gratiam conservandam, accommodis acquiescendum.

3. Discretionis autem huius ad gratiam conciliandam, sovendamque mensura poterit accipi à simili. Nihil agricolæ gratius est: quàm post iactum in terram semen, imbriũ irrigatio mediocris. hac enim ager ad fæcunditatem humectat, & semen ad fertilitatem pullulat. At si pluvijs ad nimium assiduè grassantibus, importunum sit cœlum; non tantùm humiditatis nimio campus eo sterilescit anno, sed ipsum etiam semen aut in conceptu suffocatur; aut humiditate nimià, tenuem, flávescentem, ac flaccescentem emittens herbam, ad spicarum, & grani ubertatem non perducit; aut aquarum eluvio superante evulsum aufert, & aliò devehit; ac nihilominùs usui nulli iam profuturum. Arbor ubertate nimiâ fructuum luxurians, an non & ipsa patris familias oculos, animumque rapit, & oblectat? sed vehementior aspiret ventus; fructus simul & ramos unà deperdit, quia prævalente pondere frãguntur isti, illi præmaturè cadentes concutiuntur, putredini magis, quàm hominum usui destinati. Adeò tàm ibi semini, quàm hìc arbori nimietas obfuit. Ità si parùm discretè quis utatur eâ bonorum desideriorum vehementiâ ad asperitatem in corpus exercendam, vel ad multiplicandas ultrà, quàm possit fieri, preces, rosaria, Psalmos, officia, & ad alia his similia accendentium, facilè contingere poterit, ut voluntas eam multiplicationem, ac nimietatem sensim exosa reddatur ad ea quidem, quibus hactenus oblectabatur assvetis, hebes, & torpida; ad ea verò, quibus obrutam se experitur, in posterùm prose-

quenda

quenda prorsùs nauſeabunda. Sic, dum improbat nimium, deſerit pariter & mediocre; idque iam non ſine culpa. Quia ſpiritum, cui formando ad divinæ gratiæ lucrum & incrementum incumbere deberet, ſenſim minuit, tandem & extingvit.

4. Non tamen propterea ſimilia deſideria, & impulſus ad aſperitatem inferendam corpori ſunt omninò reijciendi. Fieri namque poteſt facilè, ut ſenſus carnis ad indulgentiam pronior blandiatur ſibi, ſeque iudicet imparem, non ex diſcretione ſpiritûs, ſed ex prudentia carnis; quæ in cura ſui nimium quantum ſedula perſvadet ſibi etiam in eo, quod viribus humanis eſt ſatis proportionatum, ſe eſſe inhabilem, minimeque ſufficientem: & dum fugere ſibi videtur extremum, reſpuit mediocre, mediumq; ſalubre, tàm ſuæ quàm alienæ ſaluti neceſſarium; ità planè, ſicut qui profecturus in urbem aliquam incideret in duas ſemitas, alteram quidem aliquantùm cænoſam, & ſalebroſam, veſtigijs non adeò notabilem; quia cænum, & ſalebræ trita apparere veſtigia vix permittunt, aquâ, vel luto continuè ſuccedente. alteram verò tritiſſimam, loco ſicciore, durioreque preſſam; ſed quæ in ſilvam, aut in deſertum, non in propoſitam duceret civitatem; ſicque relictâ priore ſemitâ pergeret quidem commodè, celeriter, nihil per ſalebras & aſpera ceſpitando; ſed à præfixo ſcopo prorsùs aberraret, nec ad eum, niſi rediret ad primam viam, eamque calcare pergeret, perveniret; aut etiam impatientiâ motus voluntatem ad primam redeundi ſemitam, penitùs abijceret.

5. Hoc quoque modo contingere poſſet illi, quem divini Spiritûs ad aliquam aſperitatem, priore nonnihil duriorem accenderet inſpiratio; perſvaſus hanc eſſe nimietatem viribus ſuis ſuperiorem, non ſolùm aſſentiretur minimè, tamquam mediocritas (iudicio ſcilicet proprio ſic æſtimante) ſibi ſufficiat; ſed etiam prudentiâ carnis invaleſcente ab ipſa quoque me-

diocritate remitteret; ac tandem, Deo iustissimè sic permittente, desereret, nec finem perfectionis optatum contingeret. Idcircò, quia discretio spirituum in eiusmodi casu plerumque requiritur, cum impulsibus ad maiorem asperitatem, ne erretur; semper vel ad superiorem, vel ad patrem spiritualem, aut confessarium confugiendum est, qui errent, vel non (quos tamen Deus errare non permittit) in permittendo, aut vetando; consulens tamen culpâ vacat: & asperitatem, ipsorum consilio, si assumat, prosequatur eam heroico animo, persvadeatq; sibi, Deum vires sustẽtaturum; siquidem alij quoque sancti, & quidem tenerrimæ complexionis, longè excelluerunt in corporis assidua (quæ tamen aliàs videri nimia possit) castigatione. Quorum hìc aliquos, si non ad imitationem ob nimiam, ut videtur, asperitatem; saltem ad admirationem, quàm mirabilis, & potens sit Deus, & eius divina gratia in natura, & eius viribus adiuvandis, recensendo non debeo intermittere.

§. III.

Asperitatis in carnem suam à Sanctis exercitæ exempla.

I. PRimus in hoc genere Sanctus Thomas occurrit Archiepiscopus Cantuariæ. qui nobilissimo stemmate oriundus in ipso summi sacerdotij throno quàm asperam duxit vitam! quantis ille flagris, & quàm crebrò, non ipse solùm suis, sed & Sacellani sui, manibus in corpus suum animadvertebat! Et tamen nec his contentus, assiduo carnem cruciabat cilicio. In eius vita sic narrat historia. [a] *Postquam sacrum eius corpus suis exuissent vestibus* (videlicet post eius per sicarios illatam cædem) *asperum reperière cilicium undiq; eius artubus appressum; quod ut erat densissimum, sic à collo usq; ad genua erat protensum; tamq; pediculis scatebat, ut, qui tot mordaces bestiolas de suo corpore pavit, novum sustinuisse martyrij genus videatur.* Hinc iam æstiment animæ religiosæ; cuiusnam vita rigidior, & asperior censeri debeat; illius, qui præter

[a] *Ribadin. in eius vita die* 29. *Ianuar.*

ter ieiunia, flagra, ſemper in lecto duriſſimo cubatum, aſperitatem cilicij tot mordacibus beſtiolis ſcatentis propè intolerabilem diù, noctuque novum etiam hoc martyrij genus in tota vita ſua ſuſtinuit; an noſtra, qui vix unius pulicis morſum, flagri per obedientiam, interdum etiam pro culpa impoſiti pauculos ictus, ieiunium à regula præſcriptum, (Deus ſit benedictus) ſi cum patientia toleramus?

De S. Edmundo, pariter Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſcribitur etiam; quòd *a Ieiunijs, & pœnitentiæ operibus fuit adeò ſibi rigidus, ut incredibile ſit memoratu.* Omitto Sanctorum etiam regum, ac principum, Ludovici IX. Regis Galliarum, Sancti Caſimiri Principis Poloniæ prorsùs ad ſtuporem inter mundi regales delicias, in flore iuventutis, incredibilem vitæ rigorem; aliarumque ſexûs utriuſque magnarum perſonarum exempla; quarum vivendi rigor, aſperitas, & pœnitentia ſi comparetur cum mediocritate noſtra, benè confundi poſſumus; noſtram, quam in humili vitæ genere, & profeſſione perpetuum vocamus martyrium, pœnitentiam vix umbram quidem eſſe rigoris; illorum autem in ſublimi ſplendore, quem ad oculum tantùm (ut dicimus) præferebant, verè fuiſſe plus, quàm martyrium. Sed his omiſſis ad religioſorum exempla venio.

2. S. Petrus de Alcantara Divi Franciſci Seraphici Patris inſtitutum cupiens exactiſſimè ſervare, quin & reparare; *b Ope divinâ fretus* (ut teſtatur hiſtoria) *& Apoſtolicâ munitus auctoritate, anguſtiſſimum, & pauperrimum cænobium fundavit. Quod vitæ genus aſperrimum ipſe feliciter cœptum per diverſas provincias propagavit*, ſine ullo prudentiæ, ſivè diſcretionis præiudicio; ipſe totus addictus aſperitati cum ea per auſteritatem parta ſibi in cœlo gloria; ut poſt mortem apparens S. Thereſiæ Virgini dixerit: *O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam!* Ipſa quoque S. Thereſia fundatrix ordinis Carmelitarum excalceatorum utriuſque ſexûs adeò

a Idem. die 16. Nov.

b Brev. Rom. die 19. Octob.

adeò duris tenerrimum suum corpus habebat modis: [a] *Vt quamvis secùs svaderent morbi, quibus affligabatur, corpus cilicijs, catenis, urticarum manipulis, alijsque asperrimis flagellis, sæpè cruciaret, & aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita: Domine; aut pati, aut mori.*

Altera Virgo S. Maria Magdalena de Pazis, nobilitate generis & ipsa clarissima, suscepto religioso habitu in Monasterio S. Mariæ Angelorum, Carmelitarum Ordinis in ætate tenerrima quis credat, quàm asperam egerit in cœnobio vitam? [b] *Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inediâ, vigilijs nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat: ac præterea multis ante obitum annis, universis Cœli delicijs, quibus affluebat, heroicâ virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: Pati; non mori.* ô Deus! Quis ad hunc asperrimum vitæ rigorem, in sexu tàm imbecillo supra naturæ vires, exercitum non obstupescat? Altera quidem istarum Virginum mori maluit, quàm non pati: altera pati, quàm mori. Ista beatæ morti prætulit assiduam carnis afflictationem: illa mortem, patiendi remissioni. Videtur in utraque virtutis, & charitatis in Deum admirabile fuisse certamen. quòd in Theresia non aliter amoris incendiũ foveri potuerit, quàm aut passione, aut morte; *Aut pati, aut mori*; In Magdalena, solâ passione, non morte; *Pati, non mori.* ô inexplicabile vivendi, moriendiq; prodigium! *Aut pati, aut mori: Pati, non mori.* Audimus hæc viri; legimus Religiosi de tenerrimis duabus virgunculis; & fortassis etiam pudet audire; non autem, non imitari. Deus dum inspirat, dat & vires; dat & gratiam: corroborat naturam gratia, quæ desiderium excitat ad similia toleranda.

2. De Venerabili quoque P. Glycerio Landriano, Abbate S. Antonij Placentiæ, nobilitate generis illustri, postea ex consilio Venerab. Patris Dominici à Iesu Maria Carmelitæ discalceati, quem idem P. Glycerius à sacris habuit confessionib9 priùs Romæ, dum adhuc viveret Venerab. Patriarcha

a Idem die 15. Oct. b Idem d. 25. Maij.

noster Iosephus à Matre Dei, Religionem nostram ingresso (nomen assumpserat item Glycerij à Christo) & in eadem Religione nostra piè demortuo, legitur in eius vita: quòd [a] *Adeò corpus suum laboribus diurnis, nocturnisque vigilijs, flagellis, catenis ferreis, fame, siti, alijsque sexcentis horribilibus macerationibus usque ad mortem sancto quodam zelo persecutus est; ut, post ipsius obitum, totum lividum, & diris concisum flagris fuerit repertum.* Et quidem de carnis afflictatione divini Spiritûs instinctu heroicè suscepta hæc dicta sunto. De studio quoque preces assiduè continuandi addamus pauca,

4. Exemplum præeat Divus Apostolus Iacobus frater Domini, cognomento Iustus. Huic [b] *Assiduitas orandi ità callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur.* Hunc (prætermissis alijs brevitatis causâ) imitatus S. Patritius, Hyberniæ dictus Apostolus; qui [c] *Fidei, divinique timoris, & amoris spiritu repletus, antelucano tempore per nives, gelu, ac pluvias, ad preces Deo fundendas impiger consurgebat, solitus centies interdiù, centiesque noctu Deum orare.* Dubitet aliquis; an sanctus hic iuvenis interdiù vel modicam corporis refectionem sumendi, vel noctu somni quidpiam, admittendi tempus habuerit. Postmodùm Episcopus à S. Cœlestino Papa creatus, & in Hyberniam ad prædicandum illi genti Evangelium missus, in tam arduo populum illum convertendi munere, & in quotidiana Ecclesiarum sollicitudine, *Invictum ab oratione spiritùm nunquam relaxabat. Aiunt enim; integrum quotidie Psalterium unà cum canticis, & Hymnis, ducentisque orationibus ipsum consuevisse orare: ter centies per dies singulos flexis genibus Deum adorare, ac in qualibet hora diei canonica centies se signo Crucis munire. Noctem tria in spatia distribuens, primum in centum Psalmis percurrendis, & bis centies genuflectendo; alterum in reliquis quinquaginta Psalmis, algidis aquis immersus, corde, oculis, manibusque in Cœlum erectis, absolvendis insumebat. Tertium*

[a] P. Ioann. à S. Maria. Magd. in eius vita cap. 4. [b] Breviar. Ro. die 1. Maij. [c] Idem die 17. Martij.

tium verò super nudum lapidem stratus tenui dabat quieti. Quod quidem vivendi genus, carnem macerandi, Deumque continuè precandi, videri potest incredibile, viribus humanis intolerabile, & (ut ità dicam) impossibile: Et tamen dubitari minimè debet. Quia sancta Mater Ecclesia fabulas historijs inseri non permittit. Itaque dubiam sibi palmam in sanctissimo viro hoc vendicant, maceratio carnis, & assiduum orandi studium. Et nè per multam catalogi seriem pergam, ad domestica venio exempla.

5. De Venerabili memorato superiùs, P. Glycerio nostro à Christo scribitur in eius vita: quòd [a] *genua eius ob assiduitatem orandi tumida, & callis obducta ingentibus reperta fuerunt post mortem. Cæterùm diu, noctuque obsecrationibus vacans, cum Deo intimè ac familiariter colloquebatur, neque ullum omninò locum, aut tempus, aut Ecclesiam, non cubiculum, non mensam, non viam, neque diem, vel horam, aut aliud temporis spatium ab oratione vacuum esse sinebat, ità, ut ipsum quoque somnum, quo hominis naturam sublevare oportebat, cum oratione misceret. Magna cum reverentia canonicas horas recitabat, semper vel in pedes erectus, aut flexis humi poplitibus, capite nudato, nulloque nixus fulcro, quamvis infirmus esset. Deiparæ Virginis Dominæ nostræ officium præter statas, prolixasque sacerdotum preces, crebrò recitabat. Rosarij quoque quotidie recitandi consvetudinem habebat; quam toto vitæ tempore retinuit.* Hæc P. Ioannes à S. Maria Magdalena in Patris Glycerij vita. Obijt autem Romæ die 15. Februarij Anno 1618.

Pater etiam Casimirus à Conceptione B. V. Mariæ, primus è Scholis Pijs Polonus ex Palatinatu Posnaniensi, sed indutus habitu religioso Nicolspurgi in Moravia (an Lipnitij?) circa Annum Domini 1628. nostris eo tempore nondum in Poloniam evocatis, precandi studio tàm fuit addictus, ut ab eo ne in ultima quidem ægritudine remiserit, repertus in cellæ angulo extra lectum, pallio superindutus, in terra flexis genibus orare. Obijt hic

[a] *P. Ioan: ubi sup. c. 5.*

Pater Podolinij Anno Domini 1650. die 7. Maij.

6. Frater Theophilus à S. Georgio patritius Polonus ex familia Rogalarum, præter asperrimum, quod aggressus est uno, vel altero ante mortem suam anno, vitæ genus, adeò orationi, contemplationique deditus fuit, ut subindè in oratione bis, etiam ter, (sicut in eius reperitur diario) præcipuè post sacram Communionem in ecstasin raperetur. Singulis ferijs sextis per unius horæ spatium ad sentinam claudere se consveverat (sicut à nostris observatus erat) ibique preces suas ad Deum fundere. Et quia sacrarij quoq; curam habebat, eius claves à superiore (subindè non advertente, ante consvetum tempus, tamquam more solito signum daturus pro Angelica salutatione) accipiebat, inq; templum itabat orandi, sed & in carnem suam flagellis animadvertendi causâ. Intra Missæ sacrificium, cui cum cæteris intererat quotidie, tàm erectâ in Deum mente, immotusque flectebat, ut totus extra se raptus observaretur. Obijt Varsaviæ immatura morte, Diaconus die 23. Octobr. 1681. post absolutum Tractatum in Theologia de visione beatifica; quem absorptus veluti mente, cum professoris admiratione, præter solitum, audire pariter observatus est.

7. Iam quidquid in his operabatur divini Spiritûs impulsus, ad frequentandam orationem, parebant instinctui bono, seque totos ità dabant orationi, ut nullum sine ea tempus ab alijs occupationibus ex Instituto præscriptis abire vacuum permiserint, viribus omnibus ad gratiæ mensuram se se applicando, nec etiam intereà naturam imbecillam indulgenter habendo. Undè sit.

§. IV.

Regula discretionis expendi debet ad impulsum Spiritûs Sancti, non autem ad humanæ prudentiæ libellam.

I. Quia dictum est superiùs; spirituum discretionem esse difficillimam, & est verissimum; ideoque non facilè

cilè discerni potest: nùm ad asperitatem, & ad orationis multiplicationem impulsus sẽper sit à Spiritu Sancto, an verò (quod subindè contingere solet) à spiritu tenebrarum in lucis Angelum transformante se, & nihilominùs impulsus, ac desideria, quæ religiosam accendunt mentem ad carni minimè indulgendum, reijcienda non videntur: idcircò ne in re tanti momenti, qualis est, carnem asperis habere modis; ab oratione, dum extra occupationes alias ex instituti præscripto superest tempus, nihil remittere, seu vocalis ea sit, seu mentalis; in hoc, inquam, ne erretur, & discretionis titulo, subrepat indulgentia; non sunt impulsus illi ad huiusmodi bonum examinandi ad libellam prudentiæ carnis, ad indulgentiã potiùs, & ad molliora, quàm ad austeritatis alicuius tolerantiam semper inclinantis; sed expendendi sunt secundum Deum, & secundum ipsum instinctum Spiritûs sancti, nunquam supra naturæ vires aliquid imperantis, imò sæpènumero, licèt naturæ vires excedere videatur, tamen naturam etiam ad facillimè tolerandum supra naturæ vires elevantis, uti docent recensita superiùs exempla.

2. Solet igitur divinus ille Spiritus in desiderijs bonis non tantùm inspirare, & excitare mentem ad contra carnem per asperitatem aliquam luctandum; sed etiam ad fiduciam suscipiendi talem, aut talem afflictationem erigere. Quæ fiducia si cum humilitate coniuncta sit, & purè ex charitate in Deum, & in odium quoddam sanctum suimet ipsius vel ad expiationem anteactorum peccatorum, vel ad evitationem periculi in peccatum aliquod, etiam veniale, (voluntarium tamen) labendi; vel ad impetrationem divinæ gratiæ cùm sibi, tum alijs; puta publicæ pacis, auxilij, tempore pestis, famis, aut belli; vel in privata quapiam seu sua, seu aliena necessitate: ut impetretur præsidium, consolatio, liberatio ex aliquo periculo, ærumna, ægritudine, persecutione: si, in-

quam, fiducia cum humilitate coniuncta sit, & afflictatio purè propter Deum, & in suimetipsius odium suscipiatur; satisque sit manifestum, non esse supra vires, quod suggeritur, sed tantùm supra, vel potiùs contra voluntatem carnis, aspera communiter refugientis; non sibi tunc mens aliquem faciat scrupulum, tamquam ea suggestio sit à malo genio illud ipsum bonum desiderium improbante, & tamquam perperam instinctum bonum impedire volente: sed animo forti, cum summa tamen & profundissima cognitionis suimetipsius, & imbecillitatis propriæ, sine Dei gratia ad omne bonum invalidissimæ, ad omne verò malum inclinatissimæ, humilitate; Deo, & eius auxilio confisus homo aggrediatur, & procedat ad eius austeritatis exsecutionem, subiugandæ carni nunquam non necessariam, quantumlibet importunam, à superiore tamen, vel à Confessario probatam.

3. Deus enim ipse, qui per inspirationem ad bonum opus aliquod dat incipere, dat etiam perficere; cuius summæ providentiæ totam se permittat anima; nihil autem sibi, aut viribus suis tribuat: imò sine Dei gratia, & auxilio, nec manum, aut pedem ad boni desiderij, asperiùs aliquid in se exercendi, exsecutionem movere se posse persvasum habeat. Debet in hoc genere existimare, se esse instar statuæ in artificis manibus constitutæ; nec aliò se movere, vel transferre valentis; quàm quò statuarius, vel quispiam alius, eam collocet. Sic anima religiosa nec flagris in corpus suum animadvertere; nec ieiunio carnem macerare; nec in oratione genua flectere, nec sine fulcro diutiùs in pedes stare; nec vel minimum momentum temporis in oratione, vel contemplatione prorogare posset, nisi Deus interiùs mirabiliter excitaret per gratiam, vegetaret, ac roboraret, & ad heroicè prosequendam aliquam asperitatem animaret, ipsam quoque fiduciam inspiraret, erigeretque. Diabolus superba bestia numquam sug-

gerit bona desideria coniuncta cum humili in Deum fiducia, sed, si non potiùs metum & diffidentiam supervacaneam insusurrat, convertit se ad suggerendam audaciam viribus humanis, ac proprijs, innitentem, ad superbiam, & fastum mentis, tamquam omnia sine multo labore, sine implorato gratiæ divinæ præsidio facillimè possint exsecutioni mandari.

4. Propterea non tantùm iam olim Sancto Augustino fuerat usurpata, sed etiam alijs, ac hodieque plurimis illis, qui Spiritu Dei aguntur, frequens fuit, & adhuc est, illa ad Deum oratio: *a Da, Domine, quod iubes; & iube, quod vis.* Ad quam humillimam cum fiducia precationem confusus humani generis inimicus pedem referre cogitur, & tandem Dei opus intentatum relinquere. Sicut probatum est in magno illo Antonio Eremi post Paulum primum eximio cultore. Quem in ieiunio, vigilijs, oratione, cæterisque pœnitentiæ, licèt innocentissimum, operibus desudantem dum sæpissimè dæmones infestarent, & vel terroribus, vel blanditijs, aut alijs artibus ab austeritate vitæ, & ab assiduitate Deum precandi tentarent dimovere, ipse constantissimus heros eò demùm malignitatem eorum adegit; ut non tantùm ab asperrimo vitæ genere, precandique studio nihil ipsum auderent impedire, sed etiam pertimescerent, ac fugerent factum ipsis terribilem, & nunquam non formidandum, vel solum etiam Antonij nomen in tantum; *b Vt multi per Ægyptum à dæmonibus agitati, invocato nomine Antonij liberarentur.* Sic in austeritatibus, per quas Religiosus tam dæmoni, quàm carni perpetuum indicit, & agit bellum, aliud nihil, quàm Dei gloriam, & honorem dum quærit, animæ verò suæ salutem, nec ullum dat vanæ gloriæ locum; iam ibi machinationes inimici partem aliquam habere non possunt; & Deus pro infinita bonitate sua strenuè operantem iuvat, infirmitatem roborat, ut dicere cum Apostolo possit: *c Omnia* pos-

a *S. Augustinus.*

b *Brev. Rom. die* 17. *Ian.*

c *Philip.* 4. 13. 2.

possum in eo, qui me confortat. Et [d] *cùm infirmor, tunc potens sum.* Quia si desiderijs eiusmodi bonis impellentibus ad opus aliquod exercendum naturæ asperum non assentitur; ille præsertim, qui præter ordinarium, eumque mediocrem instituti rigorem plus non facit, cùm tamen auxiliante Deo, possit; nec paratus est vel rigori, vel orationi quidpiam addere supererogatoriè (ut vocant) quantumcunque interior impulsus excitet, in hoc non solùm exiguæ charitatis, & manifesti langvoris in obsequio divino indicium est; sed etiam videtur haud obscurè contradicere Spiritui Sancto, semper ad melius, & perfectius impellenti.

5. Ideoque in hoc genere valdè humiliter, & tamen erga Deum fidenter, procedendum est; nec etiam inconsulto, cui sincerè se manifestet, superiore, vel Patre spirituali, seu Confessario; per quorum ora Deus declarat voluntatem suam: qui pariter considerato statu, & naturæ complexione probè scient, magistro Spiritu sancto, quid oporteat facere, definire. Præsertim cùm unusquisque nostrûm, quantumlibet in spiritu, studioque perfectionis se profecisse quis putat, semper habeat, quod per carnis afflictationem, & orationis medio, studeat in se vel exstirpare, vel repullulans opprimere; vel ne reviviscat, impedire. Hinc scitè S. Bernardus admonens, ait: [a] *Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parùm est ergò semel putâsse; sæpè putandum est: imò si fieri potest, semper. Quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, invenies.* Quam quidem materiam R. P. Alphonsus Rodericius illustrat pulcherrimâ similitudine, sumptâ ab hortorum cultura, cùm ait: [b] *Videre in illis est, è myrto, alijsque herbis, hìc leonem, illic equitem, alibi aquilam, scitè elaboratam. At nisi hortulanus excrescentem, luxuriantemq; herbam in singulos pænè dies resecet, ac detondeat, aliquod post dies nec leonis illius, nec huius aquilæ,*

[d] Cor. 12, 10.

[a] S. Bern. serm. 50. in Cant.

[b] Roderic. Exercitior. P. 2. tract. 2. c. 18.

quilæ, nec istius equitis, ullam figuram invenies. Naturâ enim suâ herba semper excrescit, seq; effundit. Ad eumdem modum hac in materia quamvis leo sis, vel aquila; quamvis fortis tibi, & tui victor videare, nisi continuè reseces, succidas, & mortifices, brevi nec leonis, nec aquilæ speciem referes, sed monstrum fies. Sic ille prudentissimè ratiocinatus, denique dicti sui dat rationem, ac dicit: *Intus enim contrariam radicem circumferimus: quæ semper iuxta indolem suam luxuriando excrescit, & germinat.*

6. Sed ante Rodericium eamdem assiduam animi culturam summè necessariam paucis expressit, illustravitque similitudine propè eadem Ethnicus Pòëta, dum sic alicubi.

a Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit, ager.

Cùm ergò nunquam ab exercitatione putandi vitia, cessandum sit, quod ipsum alibi quoque iam diximus; inspirationi sivè ad suscipiendam aliquam pœnitentiam, vel austeritatem; sivè ad orationi quidpiam addendum, pro quacunque gratia, vel gratiæ incremento, non facilè contraveniendum est; tùm quòd ea humilis auscultatio pertineat ad vocationis custodiam, tùm quòd faciat plurimum ad perfectionem, in qua Religiosum non deficere, sed quotidie proficere, est necesse.

a Ovid.

CAPVT. X.

§. I.

Silentium validissimus est custos vocationis.

I. Cùm hucusque iam allata sint aliquot, & adhuc adferenda (si Deo visum fuerit) supersint custodiendæ præsidia vocationis; quin & singulæ virtutes, si diligenter colantur, totidem sint ad in Religiosa vocatione (Dei semper gratiâ, & auxilio, pro quo impetrando nunquam non supplicandum est, primas hìc, tenente partes) perseverandum custodiæ: tùm præcipuum habet in hoc genere locum silentium, altera quædam

& rara

& rara vel in ipſo tumultuantium hominum medio mortalibus ignota ſolitudo. Dixi, ſolitudinem raram in hominum medio ſilentium. Quia duo, tres, ac plures ubi conveniunt, & inter ipſos ad ſermocinandum nihil profertur, id ferè tam eſt inuſitatum, aut etiam inauditum; quàm hominem eſſe, nec tamen humani aliquid agere, vel pati. Quòd ſi quid ſimile reperiatur (ſicut reperitur) in vitis Patrum; unum videlicet, alterumvè conveniſſe, nec verbum unum eſſe locutos; id re verâ miraculo cuidam erat affine: ac propterea cum alijs eſſe, vel cum alio, nullum autem ſermonem ſerere, vix non magis ardua, & ideò rarior, ſolitudo eſt, quàm ab omnium conſortio prorsùs alienum vivere. Sed à propoſito ne multum abeam: ſicut ſolitudo permultum commodat ſuſceptæ vocationi religioſæ; ſic & ſilentium ab omnibus ſapientibus æquè, ac ſanctis viris, præcipuè religioſorum ordinum fundatoribus ſeu Patriarchis maximè commendatum, eſt vocationis eiuſdem quoddam inexpugnabile ſcutum. Idcircò Divus Ambroſius in Pſalmum illum, [a] *Dixi: cuſtodiam vias meas*, ſcribens exclamat: [b] *ô validum ſcutum circumſpectæ munitionis, ſilentium! ô fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum! in quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit.* Et iure meritò, ſtabilitatis fundamentum, taciturnitatem appellat. Sicut enim ædificij ſtabilitas, firmitaſque tota nititur firmitudine baſis ſuæ; ſic vocatio religioſa, quæ ſpirituale quoddam ædificium eſt, robur ſuum & firmitatem maximam habet à ſilentio.

2. Id quod conſiderans Venerab. Patriarcha noſter Ioſephus à Matre Dei, dum impenſè commendat nobis ſilentium, id ipſum vocat ex communi Sanctorum Patrum ſenſu cuſtodem Religionis. Sic enim ille ſuis in conſtitutionibus: [c] *ſilentium*, inquit, *nobis, quod eſt cuſtos religionis, omni diligentiâ, obſervandum erit.* Neque per ceremoniam (ut vocant) taciturnitatem incul-

a *Pſal.* 38. *b* *S. Ambr. hic.*
c *Conſt. P.* 1. *c.* 6.

cat, tamquam id ex omnium sit usu religiosorum ordinum, appellatque custodem Religionis: sed innixus illis Apostoli S. Iacobi verbis: [a] *Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans lingvam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio*, totam vocationis, quin & religionis, conservãdæ vim, & energiam in silentij custodia videtur constituere. Quod ipsum Divus Gregorius expendens, ait; humanam mentem similem esse cuidam aquæ per varios rivorum, in alios alveos diffluentium meatus sensim dissipatæ. Dicit igitur; Ut eius apponam verba [b] *Aquæ more se habet humana mens*. Ac paucis interiectis subdit pulcherrimam rationem. [b] *Quot enim supervacuis verbis à silentij censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur.* Iam si mens instar aquæ diffluentis in varios rivos extra suam quodammodo sedem diducitur, & enervatur: quidni religio quoque (cuius sedes anima seu mens, est) & religiosa vocatio unà cum mente facilè periculum subeat vigoris amittendi? sapientissimè propterea S. Bernardus, aut quisquis alius author, [c] *Religa linguam tuam*, inquit, *si vis esse Religiosus*; tamquam idem sit, religionem, seu religiosam vocationem adeò valido silentij firmari præsidio nequaquam à statu suo vel avellendam, vel saltem in diversa verborum supervacua distrahẽdam; quod navim fortissimis catenis, aut rudentibus ad scopulum alligatam, & iactis anchoris hærentem firmissimè teneri, ne ullâ ventorum, aut tempestatum vi possit avelli; nec obiecta periculo subire naufragium.

3. Enim verò non solùm vocationi custodiendæ subservit silentium; sed etiam animæ toti, intra iustitiæ cancellos ad divinæ maiestati gratum præstandum obsequium continendæ adeò quidem, ut, nisi taciturnitas in hoc plurimum allaboraret, anima iustitiæ stolâ facilè privaretur, uti rectè apud Iob amicus eius Sophar Naamathites observat, cùm ait: [d] *Numquid vir verbosus iustificabitur?* Qua-

a *Ia. 1. 26.* b *S. Greg. l. 7. moral. c. 7. citat. à Cornel. hic.*

c *S. Bern. tract. de Passio. Dom.* d *Iob. 11. 2.*

ſi dicat: Fieriné poteſt, ut iuſtitiam, id eſt, virtutum ad ſalutem neceſſarium cumulum vel acquirat, vel à Deo liberaliter impertitum non amittat, qui verboſitate plenus in animam admittit virtutum ſpoliatricem loquacitatem? Quocircà iterùm Divus Gregorius egregiè rem hanc illuſtrat, ac dicit: [a] *Neque fallacem quidem Sophar ſententiam protulit, quòd vir verboſus iuſtificari nequaquam poſſit. Quia dum quiſque per verba diffluit, perditâ gravitate ſilentij, mentis cuſtodiam amittit.* Quæ S. Gregorij verba ſapienter premens hìc in commentario ſuo Corderius ſubnectit: [b] *Expende illud, mentis cuſtodiam amittit. Eſt nempè ſilentium, animæ cuſtodia: quâ ſublatâ neceſſe eſt, ut in animam omnia vitia irrepant.* Comparat deindè animam paradiſo; in quem ne rediret homo, qui per inobedientiam illum voluptatis hortum profanaverat, ante ipſum Deus collocavit Cherubim, [c] *& flammeum gladium* in partes omnes *Verſatilem ad cuſtodiendã viam ligni vitæ.* Sic in animum religioſum ne peccata quoquo modo poſſint ingredi, Deoque dicatum profanare, & deſpoliare virtutibus, cuſtos illius eſſe debet ſilentium. Dicit igitur memoratus Author: *Eſt animus noſter paradiſus, quem, ne peccata, ingrediantur, cuſtodit ſilentium. Quod quidem Cherubim dicitur, (quia, qui ſilet, multâ pollet ſcientiâ) & flammeus gladius, qui vitia procul abigit,* & profligat.

4. Nec aliud videtur innuiſſe vates Evangelicus, ubi iuſtitiæ totius cultum, puta cuſtodiam, & conſervationem, ſilentium appellat. Sic enim ille: [d] *Erit cultus iuſtitiæ, ſilentium.* Id eſt: Iuſtitiam ut quis accuratè colat, Deo gratum ſe exhibeat, in eius obſequio ſedulus, timorem, amorem, & honorem creatori ſuo debitum præſtet, id præſtabit egregiè taciturnitate, quâ totam divini cultûs in anima ſua ſtabiliet rationem. Quæ Prophetæ verba S. Bernardus moraliter refert ad virtutem ſilentij, dum in epiſtola quadam ità ſcribit; [e] *Ad hunc iuſtitiæ cultum, ad hanc omnium* virtutum

[a] S. Greg. lib. 10. moral. c. 2. [b] Corder. in Iob. eluc. c. 11. 2. [c] Ge. 3. 24. [d] Iſa. 32. 17. [e] S. Bern. ep. 89.

virtutum & matrem, & custodem te, & quicunque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito, & provoco; &, si non verbo doctrinæ, certè mei silentij exemplo; ut vel silendo doceam, qui siendo compellis me docere, quod nescio. Ex qua melliflui Doctoris sententia satis est manifestum; quantum conferat ad religiosæ vocationis cultum & custodiam taciturnitas, dum eam virtutum omnium Matris & custodis nomine non dubitat indigetare. Matrem iure vocat. Quia certum est; silentio comparari virtutes, imò & scientias: quarum novercam & parricidam se probat loquacitas.

5. Hanc à discipulis suis ut arceret Pythagoras, illis indicebat quinquennale silentium, nihil ut eo toto tempore loquerentur, sed tantùm audirent, sivè toto eo temporis spatio loqui discerent, tacendo; seriamque virtutum omnium moralium disciplinam ut silentio sibi compararent. Custodem quoque virtutum non incongruè dixit, silentium. Nam Hebraicæ lingvæ periti ex eius sermonis nomenclatura dicunt, silentium idem esse, quod sub aliquo scuto quies, securitas & tuta vita. Quod ipsum (uti iam dictum superiùs) etiamDivus Ambrosius affirmavit. Et est extra omnem controversiam verissimum; virtutes custodiri silentio, non secùs, ac miles umbone tectus omnem telorum eludens ictum incolume servat corpus, & vitam; ità virtutes animo comparatas ceu validissimum scutum defendit, protegitque silentium, ut nec istæ possint in aliquod extremum impingere, nec adversarius aliquis incursus eas lædere. Id quod Spiritus Sanctus apud Isaiam graphicè expressit. Ait enim: [a] *In silentio, & in spe, erit fortitudo vestra.* Nimirùm intra silentij cancellos tamquam intra fortissimi præsidij muros anima virtutum continet satellitium, ne foràs ad velitandum cum adversarijs excurrant, facilè conficiendæ: nec inimicus habet accessum ad expugnandam, & spoliandam animam undique validissimo taciturnitatis præsidio permunitam.

[a] *Isa.* 30. 15.

§. II.

§. II.

Religiosam vocationem non custodit tantùm, sed & mirificè ornat, silentium.

I. Iam religiosam vocationem quod tàm validè custodit silentium, idem etiam mirificè decorat, & tàm ipsi Religioso, quàm eius statui pulcherrimum addit ornamentum, eumque reddit spectabilem. Id quod sapientissimè tetigisse videtur Ecclesiasticus, ubi monet: a *Audi tacens, & pro reverentia accidit tibi bona gratia.* Præmiserat autem, antequam hoc diceret, duo præclara documenta. *Primum*, quo seniori facit auctoritatem loquendi, cùm ait: b *Loquere maior natu: decet enim te.* *Alterum*, quo musicam in convivio commendat, carbunculo in ornamento auri c *assimilandam: Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio.* Igitur utrumque documentum hoc vult observari; nimirùm & seniorem loquentem, & musicam in convivio resonantem audiri; sed cum silentio: *Audi tacens.* Ex qua taciturnitate secuturum promittit, quòd *Pro reverentia accedet bona gratia.* Quasi dicat: si loquentem seniorem, aut musicum sivè instrumento, sivè voce canentem in convivio garrulus, & loquax interpellares, & incontinentior lingvæ loquendo impedires; certum est, quòd reverentiam, id est, verecundiam, ruborem, & confusionem tibi conscisceres, importunus, imprudens, & impudens ab alijs iudicatus; præsertim cùm multi reperiantur alij, qui seniorum sermocinationes, tamquam digna colloquia, imò tamquam oracula, libenter audiunt; sicut & musicis in convivio gratas præbere solent aures. At si tacens tàm musicos, quàm seniores audias; pro eo, quòd loquax, & garrulus interpellator ruborem meretur, tibi tacenti *Accedet bona gratia.* Nimirùm præterquàm quòd aliæ te virtutes ornent, uti modestia, comitas, urbanitas, aliæque magis in animo tuo reconditæ, quàm ex vultu, &

a Eccli. 32. 9. b v. 4. c v. 7.

exteriori corporis habitu legendæ; gratiam quoque tibi omnium conciliabis; venerationis, honoris, ac magnæ de te opinionis accessionem comparabis.

2. Et hæc quidem ad eos præcipuè spectant; qui convivijs, & alijs quibuscunque consessibus etiam politicis interesse solent. Iam si taciturnitas in convivio, venerationis, honoris, & bonæ gratiæ parat accessionem, & ornamentum, plerumque profanis potiùs quàm Religiosis consveto; in convivio, inquam politicorum; ubi nec semper, nec usquequaque, nec ab omni parte virtus habetur pensi, si non etiam tota proscribitur, quantum accedet ornamenti, & bonæ gratiæ viro in eo statu, in quo virtus & suspicitur, & ad posterorum memoriam inscribitur libris, & ad imitationem proponitur? Sed relinquamus illum, quem tantum homines adserunt virtuti, censum, gratiam, & venerationem, probo namque Religioso nulla sit omnino pars in æstimatione, quam mundus, & homines plenis prædicant, & crepant buccis: sciunt enim Religiosi viri, & norunt optimè; plausum, & prædicationes humanas esse tam vana, quàm fallacia, & falsa. Quæ quantumvis usque ad cœlum efferant quempiam, & exornent; nihil tamen aut commodant, aut evincunt; si non ipse Deus optimus, & æquissimus arbiter calculo suo virtutem probet, præmio decoret, gloriâ coronet. Siquidem [a] *Quantum unusquisque est in oculis Dei, tantum est, & non ampliùs* ex Seraphico Patriarcha S. Francisco notavit Thomas à Campis.

3. Illud omni hominum æstimatione maius sit oportet; quòd silentij virtus alioquin difficillima detur etiam in ornamentum animæ perindè, ac cæteræ gratiæ cœlestes à Deo, non viribus humanis, aut industriâ naturæ, comparanda, sed instar reliquarum virtutum cœlitus impertienda; propterea que precibus etiam præter adhibitam exercitationem, disciplinam, &

[a] *Tho. camp. de imit. Christi lib. 3. c. 50. num. 8.*

castiga-

castigationem corporis, imploranda, vel ab ipsis in cœlo Beatis Spiritibus in cultu habita; sicut in Apocalypsi sua Ioannes annotavit, dicens: a *Et cùm aperuisset (Agnus) sigillum septimum; factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ.* Equidem silentium illud ad literam significabat sanctum horrorem, stuporem, & venerationem, quâ Sancti venerabantur, & reverebantur terribile iudicium Agni in aperto sigillo septimo decretum adversus terram multis plagis puniendam: sed moraliter innuitur optimè: silentij virtutem, beatis etiam in cœlo mentibus esse venerationi. Quod scitè Cornelius à Lapide scribens in hunc sacræ scripturæ locum observat, cùm dicit: b *Disce hìc, quanta sit virtus silentij; quam etiam in cœlo servant, & nobis commendant Beati.* Iam si vel in ipso cœlo Empyreo silentij virtuti locus, & veneratio est; eam à Deo dari cœlitus, & implorari ab ipso tamquam insigne decus, & ornamentum debere non est dubium.

a *Apoc.* 8. 1. b *Cornel. hìc.*

4. Hinc etiam ipse Deus apud Ezechielem prophetam exprobrat Urbi Ierusalē; quòd inter alia decora, quæ ipsi tamquam sponsæ contulerat, etiam appenderit inaurem super os eius. Dicit enim: c *Et dedi inaurem super os tuum.* Per quod oris ornamentum moraliter, & communiter omnes interpretes intelligunt, accipi debere silentium; sicut in hunc Ezechielis locum scribens eruditissimus Iacobus Alvarez in opere suo de vita Spirituali sapienter ait: d *Hoc monile,* (sivè inauris) *silentium est.* Unum autem est, quod hìc mireris: datam videlicet *Inaurem super os.* Cùm enim potiùs aures, à quibus & nomenclationem ducit, hoc ornamentum, quàm os, deceat; cur appellatur inauris, & non magis communi tantùm nomine circuli? Circulis enim aureis, vel argenteis solebat, & adhuc solent, ornari mulieres; qui circuli pendentes ex earum auribus appellantur inaures: alibi si adhibeantur, simpliciter dicuntur circuli. Hìc tamen

c *Ezech* 16. 13.
d *Iac. Aluar. lib.* 1. *p.* 3. *c.* 17.

Prophe-

Propheta, vel potiùs ipse Deus, dependentem circulum super os, etiam inaurem vocat; & ubi propriè dicere debuerat inaures, ibi nonnisi circulos appellavit, sicut ibidem statim subdit: *Et circulos auribus tuis*. Igitur quo mysterio dedit *Inaurem super os* sponsæ, sivè animæ, & non simpliciter circulum? Deindè *super os* inauris an non monstrosa potiùs res, quàm ornamentum? De postremo quidem hoc quæsito suboriri vix debet difficultas. Nam Indis usitatum est, gestare circulum è fronte pendentem super nares. Undè & Hebræa versio habet: *Dedi inaurem super nares tuas*: Et Vatablus vertit: *Dedi circulum in auribus tuis*. Sanctus etiam Hieronymus exponit: *Circulum ex fronte pendentem in nasum*. At primi quæsiti difficultas, quòd circulus hic dependens super os appelletur inauris, explicatur ad propositum nostrum apud memoratum Alvarez: eò quòd virtute silentij Deus illum ornet præcipuè Religiosum, qui priùs ea, quæ locuturus est, & loqui debet, interiori percipit aure, in quam loquitur Deus: fore videlicet; ut singulari Dei dono lingvæ suæ frænum imponat, qui priùs, & libenter, Deum audit loquentem interiùs. Do verba doctissimi viri: [a] *Hoc monile, silentium est*, ait ille; *quod iure inauris appellatur, & gemma pretiosa super os pendens nobis* (Religiosis) *exprimitur. Quia ille hoc dono præditus est, qui priùs internis auribus à Domino percipit, quæ ore est elocuturus*. Ornat igitur Deus animam religiosam silentij virtute, non secùs, ac circulo aureo, vel aliâ pretiosâ gemmâ illam, quæ Deum intùs illustrantem, loquentem, & ad virtutum exercitia svaviter excitantem audit, eiusque dictis obediens, non ad lingvæ pruriginem, sed ad religiosæ vitæ modestiam se componit.

5. Destituitur autem hoc ornamento Religiosus, & virtutibus, quas exercet, obscuritatem quamdam adfert insignem, qui silentium, donum scilicet Dei tam excellens, insuper habet, & instar illius qui

a Idem ubi sup.

apud

apud Terentium [a] *Plenus rimarum hac atque illac, perfluit*; id eſt: quidquid loquendi prurigo ſuggerit, ſine delectu, ſine iudicio cum obvio quoq; loquitur, effutit temerè, lingvam inſtar molæ continuè gyrat, volvit, & verſat, ore crepitaculum potiùs, quàm perſonam circumferens Religioſi. qui, cùm templum ſit Dei, non aliter ædificium hoc erigere, coronis ornare, & ad perfectionis elevare faſtigium deberet, quàm ſilentio, quod pulcherrimè tetigit Petrus Damiani, ſcribens ad Agnetem Imperatricem in hæc verba: [b] *Dum ſtrepitus humani ceſſat alloquij, conſtruitur in te per ſilentium, templum Spiritûs Sancti.* Et paucis interiectis: *Templum quippe Dei per ſilentium creſcit: quia cum mens humana per exteriora ſe verba non fundit, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificij ſtructura conſurgit; tantoq; ſuccreſcens in altiora ſuſtollitur, quantò per ſilentij cuſtodiam circumcluſa ſe ſe extrinſecùs fundere prohibetur.* Hactenus ille prudentiſſimè.

6. At verò loquacitas ornamentum omne, quod huic ſpirituali templo per aliarum virtutum ſedulam diſciplinam poteſt adſerri, vehementer offuſcat, & obſcurat adeò, ut non tantùm aliorum ſit oculis inviſum; verùm & ipſam virtutum cultoris mentem quibuſdam opacet tenebris, ne facilè pervidere poſſit viam exercitationi ſuæ neceſſariam. Undè fit, ut iam in hoc, iam in illud impingendo vitium, ſæpè ceſpitet; veſtigium rectè agendi fallat; nec illum, ad quem tendit, perfectionis contingat ſcopum; uti rectè Spiritus Sanctus per Pſaltem regium docet, cùm ait: [c] *Vir lingvoſus non dirigetur in terra.* Quia verò, Cantici huius inſcribitur titulus, *in finem*; finis autem noſter eſt Chriſtus, ad quem per diſciplinam, & per virtutum exercitia tendimus; ideò tantò magis fugiendum eſt verboſitatis, & lingvæ lubricantis vitium, quod in perfectionis via tenebras offundit, & in devia; vel lentè nimis tendentem, vel (quod Deus avertat) nunquam ad verum finem venturum,

[a] Ter. in Eunuch. [b] Pet. Dam. ep. 130.

[c] Pſal. 139. 12.

rum,

rum, ducit; ut ità demùm experimento constet, quòd *Vir lingvosus* etiamsi Religiosus, *non dirigetur in terra*, tùm quòd spirituale templum per loquacitatem in Dei, & hominum conspectu deforme efficiat; tùm quòd virtutes aliæ progressum habere nonpossint; tùm quòd Spiritus eâ loquendi crebritate, & consvetudine dissipetur. Ad quod planissimè spectare videtur Divi Iacobi Sententia recitata superiùs verbis illis: [a] *Non refrenans lingvam suam, sed seducens cor suum*. Nam re verâ cor, spiritum, & animam suam seducit Religiosus, & aliò longè quàm ad propositum finem, id est, ad perfectionem, imò nec ad ultimum finem, qui Deus est, ducit, qui lingvam, alterum ignem, *Vniversitatem iniquitatis*, maculantem *totum corpus*, id est, totum hominem; lingvam dico, inflammantem *Rotam nativitatis nostræ* non frenat. Et ità vocationem, quam custodire silentium debet, & ornare, verbositas & incontinentia lingvæ commaculat, ac deturpat.

[a] *Iac.* 1. 16.

§. III.

Loquacitas exhaurit Spiritum, virtutes obscurat, & earum exercitationem impedit.

I. QUæ superiore paragrapho, præsertim ad finem, strictim attigimus; ea paulò fusiùs in præsens est visum prosequi. Cùm autem multa viro lingvoso, sivè loquaci, propria sint; tùm inter alia Cardinalis Hugo præcipua quædam observat; quæ tamen hìc proferre singula foret prolixum; nec omninò ad propositum nostrum. Ac in primis illum asserit dici virum lingvosum, [b] *Qui lingvam habet præcipitem, & subitò irrumpit in sermonem*; id est, adeò temerarius est, & præceps in loquendo, ut, si contingat ipsum vel in consessu quopiam esse; vel obviam alterum habere, statim ipse nec sui, nec alterius personæ, nec loci, nec temporis, habitâ ratione, primus in sermonem erumpat; occasionem, & ma-

[b] *Hugo in Psal.* 139.

teriam loquendi arripiat; aliorum ſermonem occupet, impediatque; vitium Religioſo prorsùs indigniſſimum, ſiquidem indignum & ſæculari. Nam Religioſi vocatio, & profeſſio, cùm ſit, frenare lingvam, alios audire; prudentiam, & eruditionem, ſi quam habet (ſicut habere deberet) abſcondere; ſi nullam, vel exiguam; ignorantiam ſuam non proſtituere, hoc ipſo, quia lingvoſus eſt, & in ſermonem præceps, ſtultitiæ manifeſtum præſefert ſpecimen; & quidquid in ipſo corrigi poſſet ad religioſitatis perfectiorem adipiſcendum ſtatum, omnem ſpem præcidit. Neq; hoc per aliquam exaggerationem dictum videri debet. Quia conſtans eſt apud Salomonem ſapientiſſimum Spiritûs Sancti ſententia dicentis: [a] *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correctio.* Videlicet, adeò deſperanda eſt in eiuſmodi viro (ſi tamen viri meretur nomen) eorum, in quæ deberet adhuc inflecti, correctio; ut fatuitatem eius expectes potiùs maiorem, quàm ut eius prodit loquacitas.

2. Ex qua loquacitate ſequitur alterum, quod memoratus obſervat Hugo, & præfert huius paragraphi titulus: quòd. [b] *Poſtquam loqui cœpit, dum cohiberi non poteſt,* ſpiritus eius exhauriatur. Id quod apud eumdem Salomonem graphicè Spiritus Sanctus expreſſit, cùm dixit [c] *Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu; ità vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Et alibi [d] *Totum,* ait, *ſpiritum ſuum profert ſtultus.* Ubi benè premenda veniunt in utraque ſententia verba hæc: *Non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Et: *Totum ſpiritum ſuum profert.* Ex his enim patet: loquacitatem ad exhauriendum in Religioſo ſpiritum tàm eſſe potentem, ut ſpiritum illum, quem in oratione, in meditatione, & in alijs vitæ ſpiritualis exercitijs concipit, dum loqvitur, cohibere non poſſit, quin totus erumpat foràs & evaneſcat. v. g. habuit quis illuſtrationem in meditatione radeſ-

a *Prov.* 29. 20.

b *Hugo ubi ſup.* c *Prov.* 25. 28

d *Prov.* 29. 11.

ad ferventiùs in posterũ exercitia quotidiana peragendum, ut spiritum hunc in corde foveat perseverantem? sed si mox ad colloquia iam cum hoc, iam cum illo procedat; certè iam *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Concepit in meditatione desiderium imperfecta sua superiori, vel Patri spirituali posthac sincerius aperiendi? Bonum hoc, sanctumque desiderium durabit tamdiù, dum in ipso consistit loco orationis. Sed digressus indè habeat occurrentem, cum quo sermocinari consvevit aliàs; iam in loquacitatem effusus *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum, totum profert*, & effundit; in reticendis, & tegendis, occultandisque defectibus suis ut antè, sibi denuò blandietur. Concipiet in oratione vehementem spiritum posthac accuratiùs, ad divinissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum se se præparandi? ô quantis hìc propositis animum præmuniet! quanta cum mentis inflammatione totus in illius amabilissimi cibi desiderium exardescet! non iam solùm cum extraneo, sed etiam ne cum domestico quidem sibi familiarissimo colloquium aliquod habiturus ab oratione discedit. cùm ecce vix decem (dixi multum) vix duos passus processit; prodigium sit, si cellam suam adijt taciturnus, iam propositorum suorum oblitus, alius est totus, & *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum : totum spiritum suum profert*, totum effundit. Hìc quidem loquendi necessitatem aliquam imaginatus est sibi: sed crescente iam die nunc istum, nunc illum adit; & quidquid oratio suggessit ad spiritûs fervorem; id totum loquendo, garriendoque dissipat; & ità *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum*, quin totum proferat & evanidum patiatur evanescere. Et sic per omnia divini Spiritûs incitamenta, ad alacriorem obedientiam, ad graviorem modestiam, ad gulæ refrenationem, ad exercitationum spiritualium sedulam frequentationem, & id genus alia, eatur; certissimum est, quòd

eius-

eiusmodi lingvosus, & garrulus, *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum, totum profert*; totum ad evanescendum effundit. Est enim *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu*, non solùm perditorum hominum, incendiariorum, raptorum, & latronum fraudibus ac rapinis obnoxia; sed etiam nocturnis, iisque rapacibus exposita bestijs, nihil in toto relinquentibus: sic loquax, & garrulus Religiosus, omnibus passionibus, & affectibus inordinatis tamquam raptoribus, & prædatoribus virtutes omnes, ac spiritum diripientibus exponit se, factus unus ex illis, qui *Totum Spiritum suum proferunt*, stultis, & ipse stultus.

3. Undè quod divinus Psaltes habet alicubi: [a] *Dormitavit anima mea præ tædio*, Origenes antiquissimus, & (ut S. Ambrosius ait) [b] *Qui multorum interpretationes diligenti discutit indagine*, vertit: *stillavit anima mea*. Sed & S. Hieronymus ex Hebræo reddit: *Distillavit anima mea præ stultitia*. Isidorus Clarius legit, *Diffluxit*. Denique Vatablus planè ad propositum nostrum exponit: *Stillatim perijt anima mea*. Quod totum S. Ambrosius ad diffluentem loquacis hominis spiritum per sermocinationes, ac temeraria colloquia dilabentem refert: hominis, inquam, simillimi fractis, & incompositis ædium fastigijs, non sine magno domini inhabitantis incommodo, & iactura, stillicidia admittentibus. Concludit igitur Sanctus Pontifex, ac dicit: [c] *Cæterùm is, quicunque est facilis in verbis, velut plenus rimarum hac atque illac effluens, interiora evacuat sua* (spiritum nempè devotionis) *& exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum, quod acceperit in* oratione; & sic demùm omnis eius spiritus exhauritur. Idipsum & S. Gregorius alijs verbis alibi sapienter expressit, cùm ait: *Quot supervacuis verbis mens à silentij sui censura dissipatur; quasi tot rivis extra se ducitur. Vndè redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium exteriùs sparsa vim intimæ*

[a] *Psal.* 118. 28. [b] *S. Ambr. hic.*

[c] *S. Ambr. serm* 4. *post. med.*

intimæ considerationis amittit; verè *Dormitans præ stultitia*.

4 Hinc verò sequitur alterum huic paragrapho prænotatum: quòd nimirùm loquacitas virtutes obscuret. Nam etsi contingat, aliquem garrulitatis vitio laborare: non tamen ideò Religiosum ità perditum esse putandum est, tamquam omni penitùs destitutus sit Dei gratiâ, divinis auxilijs & impulsibus vacuum, ut nullam prorsùs habeat, vel exercere soleat, virtutem. Invenies etiam in illo, qui parùm continentis est lingvæ, iam in imposito sibi ministerio miram sedulitatem, instituti sincerum amorem, erga superiores exactam obedientiam, erga æquales incredibilem reverentiam, raram erga inferiores humilitatem, ardentem ad proximo gratificandum, serviendum, & succurrendum charitatem; magnum erga divini cultûs propagationem zelum; nullum in alijs exercitijs instituti neglectum; in tolerandis adversis invictam fortitudinem, in perferendis iniurijs, obtrectationibus, & calumnijs admirandam patientiam; in religiosorum votorum observantia sine reprehensione sedulam custodiam. Sed quid? loquacitatis sit obnoxius vitio, nec sibi temperet à garriendi iam cum hoc, iam cum illo prurigine; quidquid virtutis in animo circumfert aliûs, in una lingvæ incontinentia tamquam in tumulo totum delitescit illaudatum.

5. Quo in genere planè res sic habet: sicut in sepulchris plerumque cum exuvijs principum argentum, aurum, gemmæ pretiosæ latent obrutæ; tantique pretij margaritæ, & metalla nullum foris ostentare possunt pretium suum, ac splendorem: nec arbitrum, æstimatoremque sortiuntur ullum; quia vel terrâ, vel sepulchrali lapide, vel aliâ tumulandi ratione prorsûs ab hominum conspectu sunt recondita: sic os Religiosi deditum loquacitati, virtutum & animi splendorem contegit, & obscurat garrulitate; verè [a] *Sepulchrum patens est guttur eorum*. Patens, inquam, sepulchrum; non quòd aspectui

a *Psal.* 5. 11.

passim

passim omnium, & aditui pateat ad explorationem eorum, quæ continet, mortuorum: sed quòd ex superficie sua prætereuntibus omnibus ostendat palàm, aliud intùs non reperiri, quàm cadaver emortuum, ossa, fætorem abominandum: de metallis, & gemmis nec suboritur cogitatio. Sic & de virtutibus, quas in animo gerit Religiosus reconditas, arbitratur, & iudicat nemo; in erumpentem foràs verbositatem intentus est omnis. Ut enim humanum ingenium semper est ad pervidenda vitia pronius, quàm ad suscipiendos virtutum actus; ità citiùs, ac faciliùs apprehendit, & reprehendere consvevit ea, quæ perperam aguntur, quàm ea, quæ laudem merentur, & commendatione sunt digna; & impletur, quod in Canonica sua S. Iacobus Apostolus expressit: [a] *Quicunque legem totam servaverit, offendat autem in uno; factus est omnium reus.* Et alibi: [b] *Lingva constituit in membris nostris, quæ maculat totum corpus; id est,* (ut explicat Cornelius Interpres :) [c] *totum hominem, omnesq; actiones eius.*

6. Ideoque non iniuriâ Plutarchus alicubi vel ipsam etiam veritatem, quâ nihil charius sit mortalibus, obscurari dicit loquacitate: [d] *Nemo fidem habet loquacibus,* (ait ille,) *etiamsi vera loquantur.* Et quod Martialis ad Posthumum de donis ingentibus egregiè lusit; hoc de garruli quantumcunque sancta loquentis verbositate facilè dixeris: [e] *Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dones;*
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Paucis immutatis ad Religiosum loquacem sic adhibe:
Crede mihi, quamvis sanctissima, Garrule, promas;
Auctoris perdunt garrulitate fidem.

Nam etsi de humilitate, de mansvetudine, de obedientiæ merito, de rigore vivendi, de frugalitate, deque virtutibus alijs, quibus auspice Deo, vacuus non es, multa præclarè disseras; tamen quia lingvæ parùm continens esse notaris;

a Iac. 2. 10. b c. 3. 6.

c Cornel. hìc. d Plut. lib. adversus Garrul. e Martial.

haud

haud equidem eas virtutes, quas animo possides, in te suspiciunt eminere. Altissimè namque hominibus illa ex Stobæo insidet opinio: [a] *In garrulo verborum flumen, est mentis gutta*, tamquam à parum prudente prolatorum, nec ullam merentium fidem: & quod virtutis in animo pretium est, id sermonem nimiùm effundente se lingvâ vilescit. Ità S. Gregorius observat, cùm ait: [b] *Cùm intentionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vitium vertitur.* Quo satis ostendit Sanctissimus Pontifex; verbositatem eò noxæ procedere, ut & ipsam pietatem, quâ quis præditus est, suspectam reddat, eique tenebras offundat.

7. Enim verò non hìc adhuc sistit incontinentia lingvæ, nisi virtutum etiam impediat exercitium. Ad quod comprobandum sufficere deberet illud; quod superiùs innuit divinus Psaltes de viro lingvoso; quòd videlicet. *Non dirigetur in terra*; id est: non facilè poterit habitus sivè infusos, sivè acqvisitos earum virtutum, quas animo possidet, in actum exercendum dirigere. Quia, cùm certum sit, garrulitate, sicut alibi iam ostendimus, spiritum exhauriri, non est etiam dubium, in animum induci teporem, qui religiosam animam reddat ad exercitium disciplinæ langvidam; ex langvore deindè nascitur sensim ad quietem aliquam inclinatio; denique tædium se se insinuat: undè facilè sequitur exercendæ virtutis intermissio; quam rectè perstrinxit regius Psaltes, ubi dixit: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Quæ dormitatio notat animæ negligentiam in exercenda fervidè virtutum disciplina: non quòd ipse Rex David eam exercitationem intermiserit, & divinum obsequium egerit dormitando. Nam ut rectè S. Ambrosius observat, [c] *Perfectus non dormitat, qui divinis animum intendit ministerijs*. Et inferiùs paulò: *Non dormiebat*, inquit, *qui templum condere Domino verborum cœlestium ædificatione, non lapidum, cogitabat.* *Verbum e-*

[a] *Stob. serm.* 36. [b] *S. Greg. lib.* 5. *Moral.*

[c] *S. Ambr. serm.* 4. *in Psal.* 118. *post med.*

nim Domini repulsorium tædiorum est, quo somnus animæ, sopor mentis, excluditur. David igitur (S. Hieronymus ait) [a] *In huius habitaculi mortalis statione dormitavit tædio quodam imbecillitatis corporeæ* suspirans, & ingemiscens ad exilij sui corporei diuturnitatem; sicut alibi cum ingenti gemitu prorumpit in hanc vocem; [b] *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est:* Non tamen ideò dormitavit & corde; sed semper Dominum, à quo peregrinabatur in corpore, cogitabat, & ad ipsum animo vigilabat. In viro namque perfectò, qualis erat Sanctus ille Rex, non dormitat mens: *Sed vigilat semper* (iterùm S. Ambrosius ait) *etsi caro dormit, cor vigilat.*

8. Iam verò cùm dicit: *Dormitavit anima mea præ tædio*, sivè (sicut exponit S. Hieronymus) *præ stultitia*, notatur dormitatio, neglectus, & desidia, illorum, qui fervore Spiritûs ob innocentiam lingvæ dissipato, à virtutis impediuntur exercitio: quando tempus, quod impendere deberent disciplinæ, dant supervacaneis colloquijs, & subrepente quodam tædio prætermittunt aliquam actionem; quæ cæteroqui vel meditationis examinationi, qualiter illa successerit, & quemnam ex ea fructum hauserint; aút alij piæ precationi, vel super profectu in spiritu reflexioni, ac recollectioni; vel alij bono exercitio, quod vel ex instituti ratione, vel ex privata devotione incumbit, subserviret. Iam quæ maior dari potest stultitia, quàm ob otiosè, vaneq; colloquendi pruriginem, & propter oris incontinentiam impedimentum ponere tàm salubria profectui spirituali opera exercendi? verè dicat iste, qui talis est: *Dormitavit anima mea præ stultitia.*

9. Quare sapienter monet adhuc Mediolanensium Præsul inhærens interpretationi suæ: [c] *Caveamus ergò, ne unusquisque nostrûm eijciatur de statu mentis suæ, & naturali quadam mansione; si habeat foramina mansionum, è quibus fluentia stillicidia tamquam ex fundamentis subruant hominem nullâ sapientiæ soliditate fundatum.* Et post

[a] S. Hieron. in Psal. 118.
[b] Psal. 119. 5.
[c] S. Ambr. ubi sup.

post pauca concludens ait: *Confirmanda est igitur anima nostra, ne stillet, & individuâ virturum compage solidanda, ut possit regis æterni servare mysterium.* Quod quidem mysterium æterni regis, id est, spiritum religiosum, virtutum splendorem, & exercitationem earum, non servat commodiùs, nec custodit securiùs anima, quàm lingvæ continentiâ, silentioque, alterâ nimirùm solitudine; quæ sola meretur Christum in se habitantem habere; gratiam eius, & auxilium ad proficiendum in spiritu experiri. Siquidem a *Non in tabernaculo loquacis, & garruli* (Sanctus ait Bernardus) *quia multiloquio peccatum admittitur* (observa notabile profectûs, & exercendæ virtutis impedimentum) *sed in viri serij, qui sit parcus alloquij, nec sermonis intemperans, & verborum sobrietate temulentiam loquacitatis evitans, caput suum Christus inclinat.* Hucusque de lingvæ incontinentia, sivè de vitio loquacitatis sat dictum esto. Iam & de loquendi circumstantijs subsequatur.

a S. Bernard.

§. IV.

Licet, & decet loqui cum certa circumstantiarum ratione.

I. Etsi commendabile, summeq; necessarium sit in religioso viro silentium, cùm id non tantùm custodiat, sed etiam ornet eius vocationem, fervorem in spiritu solidet, foveatque; divinis illustrationibus viam sternat; Dei gratiam, & auxilium ad in spiritu proficiendum, ad vincendas tentationes, & ad heroicarum exercitationem actionum impetret ampliorem: tamen certæ sunt etiam circumstantiæ (de quibus hìc agendum) intra quarum limites tàm activa vita, quàm mixta, sine reprehensione, culpa, & nota, loquendi sustinet usum. Nec enim Spiritus Sanctus in sacro codice, nec Sancti Patres, ac Doctores in dogmatibus, ac doctrinis suis, nec Magistri spiritûs in monitis reprehendunt, aut vetant penitùs omne colloquium, & locutionem. Sed quidquid

adver-

adverſus incontinentiam lingvæ dicitur, aut ſcribitur; id ſemper accipiendum eſt ſano ſenſu; videlicet: non reprehendi, nec vetari colloquia; ſed nimiam loquendi pruriginem, loquacitatem, & garrulitatem, non ſolùm in Religioſo, ſed etiam in politico ſtatu, ſemper vitioſam, culpâque minimè vacantem, ſaltem veniali; ſæpè etiam, & vix non frequentiùs, mortali. Id quod cùm non ſit huius loci, neque propoſiti mei, miſſam facio quæſtionem iſtam; & ad loquendi circumſtantias examinandas venio, partem utramque tam decentiæ, quàm indecentiæ comprehenſuras. Quarum plures alij, alij pauciores inveniunt; mihi præcipuè ſex occurrunt.

2 Prima, quam ipſe Spiritus Sanctus per os Eccleſiaſtæ ſuggerit, eſt *tempus*. Ait enim: [a] *Tempus tacendi, & tempus loquendi*. Quo luculenter docemur; diſtingvendum eſſe tempus, quo tacendum, & quo loquendum. Siquidem imprudens, & incautus utrumque pervertit, & confundit. loquitur, cùm tacendum eſt; tacet, cùm loquendum. Id quod præclarè tetigit Eccleſiaſticus, dum ait: [b] *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus. Laſcivus autem, & imprudens, non ſervabunt tempus*. Relinquamus autem in genere cuiuſcunque ſtatûs, & conditionis homines omnes; ad ſolos activæ, vel etiam mixtæ vitæ Religioſos hanc pertinere doctrinam accipiamus. Hi rursùm in varias diſtingvuntur claſſes. Sunt enim alij tyrones, alij profeſſi, iuvenes alij, alij veterani, alij ſenes. Ex iſtis alij Magiſtri; alij concionatores, ſuperiores, Confeſſarij, Patres Spirituales &c. Quorum ſingulos Spiritus Sanctus, Sancti Patres, ac Doctores præceptionibus ſivè tacendi, ſivè loquendi, inſtituant potiùs, quàm ut aliquid adferre poſſim ego; qui huc uſque ſemper diſco, & ad ſcientiam perfectionis non pervenio. Quia tamen præſens materia poſtulat, & cogit, de loquendi circumſtantijs aliquid addere, progredior.

3. Igitur Religioſus tyro-

[a] Eccle. 3. 7.

[b] Eccli. 20. 6.

bien-

biennium habet in instituto nostro, silentio destinatum. Quo tempore vix aliud ad agendum habet magis præcipuum, quàm ut vocationem suam cum Domino Deo diligenter dispiciat; religiosum spiritum imbibat; & discat ea, quæ toto vitæ suæ tempore acturus est, & quomodò professionem instituti exerciturus, in silentio. Quod adeò sibi charum esse debet, ac familiare, ut loqui piaculum arbitretur esse, dum vel necessitas, vel facultas est nulla. Hinc & consvetudo laudabilis obtinet in ordine nostro; quòd, si quando tacendi regulam contingat cuipiam extra tempus & necessitatem, infringere, humiliter in communi Refectorio publicè se genuflexus accuset, & à superiore levem aliquam expectet, suscipiatque pœnam ad sensim abolendum vitium loquendi, quod cognatum sibi secum communiter adfert Novitius in religionem. Semper autem laudabilis existimet non infringere tacendi tempus, quàm in medium proferre culpam. Hæc enim accusatio sui ad confusionem, & emendationem spectat; sed ad perfectionem taciturnitas, & lingvæ continentia. Quæ quidem tacendi regula non tantùm Novitijs, sed etiam professis, in studio præsertim constitutis iuvenibus esse debet cordi, & perquàm familiaris. Non enim sine causa Spiritus Sanctus tempori loquendi præmisit tempus tacendi. Nam in tyrocinio Religiosus, & in iuventute discat, oportet tacere; ut postea, cùm tempus ei datum fuerit loquendi, lingvam adhibeat, & os aperiat ad loquendum, & docendum ea, adquæ per Instituti rationem vocatus est.

4. Atque hinc S Hieronymus in Pythagorica disciplina quinquennale silentium originem traxisse putat, ut eruditi postmodùm prudenter loquerentur. Quare subdit Ecclesiæ Doctor maximus: a *Discamus itaque & nos priùs non loqui, ut posteà ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, & ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur*

a *S. Hieron. in Eccle. c. 3. 7.*

tur

tur rectum esse; nisi quod discimus, ut post multum silentium de disciplinis efficiamur magistri. Ità Divus Hieronymus. Ad hoc nimirùm vocati sumus, non ut tyrones, & iuvenes in sermonem effusi tàm nobile, pretiosumq; tyrocinij, iuventutis, & studij tempus impendamus loquendi, fabulandi, garriendique prurigini: sed, *ut post multum silentium de discipulis efficiamur* Magistri. Secùs in eloquendo futuri magistri pessimi; si non priùs boni discipuli fuerimus in tacendo. Et hæc quidem in gratiam iuventutis dicta sint paucis; ut sciant tacendi, discendique tempus æstimare. Sed & veteranis, senibus, ac superioribus alia non favet regula; quàm ut & ipsi tempus utrumque, tacendi videlicet, & loquendi noverint; nec pervertant ordinem ab Instituto, vel potiùs à Spiritu sancto præscriptum. Loqui eos dècet, consilij sivè dandi, cùm requiruntur; sivè accipiendi, cùm opus habent, monendi, corrigendi, vel mandandi (quod superioribus competit) causâ. Hi tamen omnes, & singuli, semper dispiciunt (vel saltem dispicere deberent) & habent, tempus suum. Quibus ego meliorem non adferam doctrinam, quàm sicut Divus Gregorius alicubi sapientissimè suggerit, in hæc verba: *a Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quippè vicissitudinum pensanda sunt tempora; ne aut cùm restringi debet lingva, per verba inutiliter defluat; aut cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat.*

5. Secunda circumstantia loquendi sit, *Persona.* In qua dubium nullum est; iuvenem tacere, decere maximè, nisi ex officij cuiuspiam ministerio, vel alia quacunque Instituti, vel ministerij ratione penitùs incumbat aliud; senem autem loqui; cùm id postulat ratio, doctrina, consilium, necessitas, officium. Utrique Spiritus Sanctus sapientissimè prospexit ætati per Ecclesiasticum. Sic enim ait: *b Loquere maior natu; decet enim te verbum diligenti scientiâ.* Primum loquendi locum personæ

a *S. Greg. 3. p. post. admon. 15.*
b *Eccli. 32. 4.*

tribuit seniori, tamquam auctoritatem, doctrinam, & sensum multâ, diligentique scientiâ comparatum habenti. Cui proindè in aliorum consessu verbis obstrepere, loquentem verbositate interpellare, ipsumque obruere; scientiam, & experientiam suam ipsi præferre velle, temerarium quidem est audaciæ iuvenili; seni verò non tàm ignominiosum, quàm contumeliosum, auctori loquaciter obstrepenti noxium.

6. Iuveni deinde, paucis interpositis, idem Spiritus Sanctus ità præscribit: *a Adolescens; loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris; habeat caput responsum suum.* Iam in causa sua si vix loqui iubet iuvenem, nec nisi bis interrogatum, respondere; idq; cum responso iam in capite per considerationem, ac prudentiæ regulam benè destillato, ac præparato: quid dicturum fuisse putes; si temerè, si per loquendi pruriginem, si per audaciam, petulantiam, garrulitatem, & contumaciam in verba prorumpat, & effundat se iuvenis? certè non aliud, quàm cùm animi quadam emphasi, & affectu: *b Audi tacens.* Et hæc duo verba sufficiant adolescenti, seu iuveni, cuius ætati proprium esse debet, audire, non autem loqui. Igitur personam suam, & ætatem unusquisque consideret; & quid ipsum deceat, ex dictis facilè concludet.

7. Tertia circumstantia venit expendenda; videlicet, *Res*: id est: quid loquendum sit. Cùm autem sciatur optimè vel ex ipsiusmet cœlestis Magistri Christi Domini doctrina: *c Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: quid futurum existimamus in illo tremendo iudicij die de verbis alijs vocationem religiosam, & statum, minimè decentibus? Non est hìc meum commemorare, vel potiùs enumerare, in quænam alia verba temeritas humana etiam in religiosis personis effluat, ac diffluat. Est enim verissimum, quod Sanctus Ambrosius ait: *d Multi etiam stabili corde firmati, incauti tamen,*

a *Eccl. ibid. v. 10.*

b *v. 8.* c *Matth. 12. v. 36.*

d *S. Ambr. in Psal. 118.* *sermo-*

ſermonis fluctuantis errore ſæpè ceciderunt. Nec multum abſunt ab hoc ſenſu verba Divi Leonis, alicubi ſic dicentis: [a] *Dum per varias actiones vitæ huius ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Interim benè hìc in mentem venit: recitata ſuperiùs Chriſti Domini, verba legi quidem, & audiri; ſed vix, diligenter expendi, aut in cor, animumque penetrare. Solent enim à verbis otioſis, & à nimia linguæ incontinentia plus ultra procedere etiam illi, qui *ſtabili corde firmati, incauti tamen*, ſunt; vel etiam temerarij menſuram religioſitatis excedunt. Id quod ſapienter Sanctus obſervavit Gregorius in illa Sancti Iob verba, [b] *In ventum verba profertis*, ſcribens, ubi ſic ait: [c] *In ventum verba proferre, eſt otioſa dicere. Nam ſæpè dum ab otioſis verbis nequaquam lingva compeſcitur, ad meritum quoque ſtultæ increpationis effrenatur. Quibusdam enim ruinæ ſuæ gradibus deſidioſa mens in foveæ lapſus impellitur. Nam dum otioſa verba cavere negligimus, ad noxia percurrimus; ut priùs loqui aliena libeat, & poſtmodùm detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingva mordeat.* Huc uſque Sanctus Gregorius.

8. Nec ſolùm venitur ab otioſis ad mordacitatem, & detractionem; ruitur ab his etiam in alia: quæ ſatis erat Apoſtolo Divo Paulo paucis innuere, ac vetare, dicendo: [d] *Nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo: aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Et alibi: *Deponite*, inquit, *omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri invicem.* Addit autem ſapientiſſimè *De ore veſtro.* Nam ira, indignatio, & quæ deinceps enumerat, ex corde in os erumpunt, & ex ore tamquam ex fæda cloaca foràs evomuntur. Quæ cùm in homine ſæculari mala ſint, eique culpæ dentur graviſſimæ; certè in Religioſo, in quo Divus Bernardus etiam nugas eſſe dicit blaſphemias; neſcio, quo nominè poſſint vel debeant appellari ea, quæ A-

a S. Leo ſerm. 4. de Quadrageſ.
b Iob. 6. 26. c S. Greg. lib. 7. moral. c. 24.
d Epheſ. 5. 4.

poſto-

postolus, turpitudinis, stultiloquij, scurrilitatis, & blasphemiarum nomine descripsit. Cùmq; nec nominari debeant, in bono Christiano (*Nec nominetur in vobis*) in Religioso nominandis istis, & alijs horum similibus, in quæ plerumque impingit incuria, nec ego insisto: hoc tantùm addo, quod Divus Bernardus seriò inculcat: [a] *Antequam verba proferas: bis ad limam veniant, quàm semel ad lingvam.*

9. Sed ad rem venio, quam decet loqui Religiosum. At quænam illa? Brevibus exponit spirituali filio suo Tito scribens Apostolus: [b] *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Quæ verba licèt peculiariter spectent ad præpositos Ecclesiarum, qualis erat & Titus, nihilominùs accipi possunt generaliter ad omnes etiam illos, quibus incumbit ex Instituto (sicut in Ordine nostro) docere. Qui postquam tacere didicimus (si tamen didicimus) in iuventute; demùm ubi loquendum est, loquamur ea, *Quæ decent sanam doctrinam, sicut decet sanctos*, & Deo dicatos. Quia verò professione sancti dicuntur omnes Christiani; multò magis professione, & instituto sancti sunt, & esse debent, omnes Religiosi; quibus tamen non prohibetur omninò, loqui: sed tantùm arcetur ab ijs omne verbum, quod religiosam eorum dedecet vocationem, & statum: ut est, iocularitas, scurrilitas, & his affinia; quæ solùm ad hoc spectant, ut risum, cachinnum, & alia huc annecti solita, excitant. Cæterùm locutio, *Quæ* [c] *ad honestam recreationem* (ait Cornelius) *ad animi excitationem, ad sanitatem corporis tuendam; ut scilicet homo alacrior fiat, vegetior, & aptior, ad suas functiones, Deiq; obsequium, honesta est, decetq; Religiosos.* Statis temporibus, aut etiam ex officij, ac ministerij ratione decet ipsos sermo, semper tamen *Sale conditus; sicut decet sanctos.*

10. Quarta loquendi circumstãtia sit, *Locus*. In qua non opus est diutius immorari. Siquidem unicuique Religioso regula præscribit locum, in quo

a *S. Bern. in spec. Monach.*
b *Tit. 2. 1.*
c *Cornel. comm. in ep. ad Ephes. c. 5.*

quo loqui liceat, in quo non; imò ubi nec mussitare: in quo etiam sine loquacitatis nota, quin & ex ministerij ratione sermonem possit serere. Quare prætermissâ loci circumstantiâ priusquàm ultra progrediar; quod ad personam, rem, & locum spectat, illud addo monitum, quod olim apud Græcos erat: *Non omnia, non omnibus, non ubique.* Quo sapienter monemur; ità circumspectos in loquendo nos esse oportere, ut nec omnia proferamus in medium, quæ subindè se offerunt in sermone, & impetu quodam animi importunè se obtrudunt. *Nec omnibus*; id est: non omni, sivè non unicuique, quantumvis etiam, ut interdum videtur, amicissimo. Nam si in ullo decipimur, in amicorum, & eorum, quos in animi arcana, & in amicitiam intimam incauti admittimus, ac sincerè mentem nostram in eorum effundimus aures, egregiè fallimur delectu. Si lingva lubrica est; fides amicorum longè lubricior. Si lingva propria fallit, & errat facilè; fides humana, dico, & amici, multò fallacior est, & inextricabili hominem intricat labyrintho. Roga, obsecra, obtestare, ne prodat, quod eius auribus credidisti. crede mihi; perdidisti verba, preces, & operam. Unum tu numeras, cui putas te credere posse: ille tres, & plures, habet; quibus & se totum aperit, & secum tua. Quòdsi ne tibi quidem ipsi promittere potes, an constantem, quantum ad arcanum tibi communicatum, fidem servaturus sis; de alio quam tibi fidem, & constantiam promittas? Nemo felicior in hac parte, quàm qui difficillimam tacendi condidicit artem, & sibi tantùm fidelis humanam cum fide constantiam omnem suspectam habet.

11. Enim verò non hìc impugnatur (quod Deus avertat) sincera sui revelatio superiori, Patri spirituali, confessario facta. Nam hìc, & erga hos oportet simplicem esse columbam. Nec enim superiores, patres spirituales, & qui conscientiæ præsident tri-

bunali, tàm sunt temerarij (cùm id tàm naturæ, quàm positiva lex prohibeat) ut, quæ auribus à subditis suis, & pœnitentibus exceperunt, in alterius similiter aures effutiant; secùs & ignominiam sibi, & pœnam conflaturi. Sed extra forum hoc serpens esto prudens, cautus, & tacitus. Nec coætaneum, nec æqualem, nec inferiorem, nec iuvenem, nec facilè senem, centies iurantem, & iuratum in arcanum tuum admitte. Sed, quantum fieri potest (cum Seneca dico) *Tecum habita*. Denique *Non ubique* loqui, spectat magis ad considerationem loci: de quo satis esto, superiùs innuisse,

12. Quinta venit consideranda circumstantia; nempè *Modus*, ad quem plurimum pertinet, scire; quomodò sit loquendum, vel quomodo proferenda sint verba: ne videlicet cum verbis in colloquio promantur simul & gestus; qui potiùs histrionem probant, non Religiosum. Nam certum est, ad loquendum opus esse tantùm ore, & linguâ; non manibus, non digitorum, non laterum, aut lacertorum huc, atque illuc agitatione; quæ ioculatores adhibent in scenis. At Religiosos, quorum sermocinatio procul esse debet à theatrica recitatione; tranquillus decet, & quietus sermo; quem nemo docuit meliùs, quàm ipse Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum ità dicentem: [a] *Verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos*. Vult nimirùm verba proferri cum pondere: *Bis ad limam veniant, quàm semel ad lingvam*. Os autem contineri frenis rectis, illis videlicet, qui nonnisi durioris oris fiunt, & imponuntur equis, ad regendum difficilibus, & insolentioribus, qui tamen ad sessoris incedere coguntur nutum, ob carnis ad oris angulos mollitudinem, quæ propter fræni recti duritiem à sessore fortiter prehensi, dum reluctari vult eqvus, haud difficili negotio, non sine belluæ dolore, læsus coërcetur. Sic & os omninò durâ frenandum est disciplinâ. Cui frenum tunc remittitur; cùm clamosâ ni-

[a] *Eccl. 28. v. 29.*

mis

mis, & in cachinnum ore diducto sine moderamine vox erumpit, ità, ut sicubi duo, tres, quatuor, & plures in colloquium veniant Religiosi; consortium illud nihil ab aggrestium hominum vel in silva, vel in popinaria taberna casus suos rusticos, & his similia, narrantium turba discernantur.

13. Igitur & verbis in Religioso stateram, & ori, vocique frenum, & quidem rectum, imponit sapiens; cuius gnomam pulcherrimè S. Ambrosius illustrat, cùm ait: [a] *Proferant sermones ad mensuram librâ examinatos iustitiæ; ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus.* Non clauditur os, quantumvis Religioso, solitudinique dedito sed benè monetur; quem modum, ubi loqui necesse est, teneat. Quia verò cum pondere, graviter, & sine multo vocis strepitu loqui, sicut silentium, ità & in loquendo moderatio, donum quoddam cœleste, & divinum est; ideò modum lingvæ, vel ori suo ponere conanti, cum regio Psalte sæpè precandum est; orandus Deus, ac dicendum: [b] *Ponè, Domine, custodiam ori meo; & ostium circumstantiæ labijs meis.* In quo versiculo singulariter observandum est, quidnam petat divinus Vates. Non penitùs ut sibi claudatur os; non in angulo quopiam totus ut includatur, ibique continuum ut agat eremitam: hoc enim ab activa, mixtaq; vita, ad quam Deus vocavit nos, prorsùs alienum est; sed ut ori necessaria locuturo Deus ipse ponat custodiam: id est, tamquam præsidianâ cohorte (sicut ex septuaginta Interpretum versione colligi potest) & excubijs militaribus, fidisq; satellitibus, os, & labia muniat; ne quod verbum erumpat ex ore, [c] *Quo divina lex,* (ait Corderius) *& communis hominum societas violetur.* Labia quoque ne sic in vocem, & Sardonium solvantur risum, ut modi, moderationisque stateram excedant. Qui excessus si vitio datur alicui Religioso veterano, ætate provecto, in Religione iam emerito; quàm multo indecentius est, & vitio

a S. Ambros.

b Psal. 14. 3. c Corder. in Iob. c. 2. 22.

tio dari debet; iuvenem (quid si & tyronem?) nullâ status, & ætatis habitâ ratione, sibi plurimum in sermone clamoso, risu incondito, & cachinnis indulgentem audire? Qui dum in iuventute nec frenum, nec stateram verbis, & ori adhibet; senex, assvetus, & inveteratus eiusmodi vitio multò minùs eam custodiam admittet. Quia [a] *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*, nihil aliud, quàm egregius ioculator, & blatero, tàm sibi, quàm Religioni dedecus futurus.

14. Ea propter S. Ioannes Chrysostomus illum Psalmi versum, quem superiùs antè paulò recitavimus, explanans, ut modus in loquendo teneri possit, ad oris ostium adijcit insuper rationem, seu iudicium rectum, tamquam seræ clavem, ac dicit: [b] *Os ergò nostrum perpetuò custodiamus, rationem ei tamquam clavem adhibentes*; ut videlicet oris ostium discretè, cum pondere, certaque rationis moderatione, vel aperiatur in verba, vel claudatur in silentium. Undè aureus idem orator ait: *Si enim oporteret ora perpetuò patere; non factæ essent portæ: si autem perpetuò clausa esse, non esset opus custodiâ.* Apertum scilicet Deus homini dedit os, ut per id animi sui sensa, cùm tempus, locus, & ratio requirit, expromere possit. linguam deu tibus, & labijs, tamquam certâ custodiâ vallavit; ut ad circumstantem hanc custodiam ratio, tamquam custodiarum præfectus, tàm verba, quàm vocem, & labia, moderaretur. Et ut hanc circumstantiam, modum, inquam, loquendi complectar brevibus, illâ sapientissimi Senecæ sententiâ totum claudo: [c] *Si disputarem; nec manum iactarem, nec vocem attollerem; sed ista oratoribus reliquissem, contentus sensus meos ad te pertulisse; quos nec exornâssem; nec abiecissem. Non delectent verba nostra, sed prosint. Sit talis sermo; ut res potiùs, quàm se ostendat.*

15. Sextam loquendi circumstantiam adfert ipsa necessitas, ità quidem, ut non voluntas lingvam & labia solvat in

a *Prov.* 22. 6. b *S. Ioan. Chrys. in Psal.* 140.

c *Sen. ep.* 66.

in sermonem; sed imperium, & ratio maximè pendeat à necessitate. Quam in rem S Gregorius eumdem superiùs recitatum versiculum ponderans sapientissimè, sic ait: [a] *Pone Domine custodiam ori meo. Quia nimirùm ostium & aperitur, & clauditur. Quia ergò ori suo poni non obstaculum, sed ostium petijt; aperte docuit, quòd & per disciplinam retineri lingva debeat, & ex necessitate laxari: quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursùs congruo tempore taciturnitas claudat.* Hinc & Cardinalis Hugo scribens in illum Psalmi versiculum [b] *Vir lingvosus non dirigetur in terra,* præclarum porrigit documentum ijs præcipuè, quorum est docere, magniq; præcursoris, ac prædicatoris in deserto Ioannis exemplo prædicare, dicit: perfectiùs esse, sponsum Christum Dominum ut loquentem intùs omnes audiant; quàm ut loquantur, gaudeantquè interiore locutione sponsi, nec os aperiant, nisi postulante necessitate. Siquidem & Ioannes non gaudebat, quia docebat; sed quia audiebat, iuxta illud: [c] *Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Concludit denique mentis suæ conceptum, ac dicit: [d] *Gaudium ergò sit taciturnitatis & sponsum audiendi in voluntate: vox autem doctrinæ sit gaudium, de exterioribus necessitas, non voluntas.* Nimirùm lingvæ, loquendique pruriginem non à voluntatis imperio, sed à necessitatis iudicio regi debere sapientissimè definit.

16. Igitur sine reprehensione, & sine culpa Religiosus ut loquatur, puto non opus esse aliâ regulâ, circumstātias alias omnes moderante; quàm regulâ necessitatis; hæc tempus, hæc personam, hæc rem, locum, & modum, ad loquendum informat. Cæterùm tacere, docet solus Deus; sicut & rectè eloqui, solus Spiritus Sanctus. Nam ad hominem spectat cor, & animam per orationis, ac disciplinæ studium disponere: sed os, & linguam gubernare, supra vires, & omnem industriam hominis est; ut in canonica sua S. Iacobus Apostolus ait:

a S. Greg. lib. 7. mor. c. ult.
b Psal. 139. 12.
c Io: 3. 29.
d Hugo in Psal. 139.

[a] *Lingvam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum.* Solus Deus inquietudinem lingvæ frenat, & gubernat: id quod in proverbijs suis egregiè Salomon expressit dicens: [b] *Hominis est animam præparare; & Domini gubernare lingvam.* At loqui perperam, excedere sermone, garrire; sine pondere, verba, facetias, & ioculationes fundere; sarcasmos, obtrectationes, detractiones, & mendacia effutire; ars hæc absque præceptore discitur, itá, ut, quod S. Hieronymus de perversis in Ecclesiarum pulpitis oratoriè crepantibus, & dogmatum errores vel [c] *Compositione verborum, vel instinctu diaboli, qui fautor erroris est, spargentibus* dixit; hoc de loquacitate, dequè alijs vitijs huic annexis appositissimè proferre liceat: *Omnes artes absque doctore non discimus: sola hæc tàm villis, & facilis est; ut non indigeat præceptore.*

17. Itaque quicunque Religiosus vocationem & statum suum amat, eumque Deo auspice ad finem usque conservare desiderat integrum; silentium quidem amet, & colat: loqui autem nonnisi compellente necessitate seriò consvescat. Præcipuè instituti nostri Religiosus, cui ex professione docere, cum scholastica iuventute, & alijs hominibus conversari incumbit, illud sæpiùs animo verset, & exercere studeat, quod nobis Venerabilis Patriarcha noster per constitutionem Parte. 1. cap. 6. in hæc inculcat verba: [d] *Elatam vocem, & collocutiones, omninò vitabimus; neminiq; cum alio loqui, nisi superior concesserit, permittatur.* [e] Et alibi: *Obmurmurationes*, inquit *tàm de nostris, quàm de externis, non fiant: caveant omnes à verbis scurrilibus, mordacibus, seu contumeliosis; & similiter à multiloquio, & ab omni eo, quod speciem immodestiæ, aut dissolutionis præseferat. Neque in collocutionibus vocem extollant; nevé alios effictis nominibus vocent.* Quæ omnia, certum est, quòd non tantum necessitas, sed etiam charitas, & religiosa modestia penitùs excludant.

a Iac. 3. 8. *b* Prov. 16. 1.
c S. Hieron. lib. 1. c. 3. in Eccle. v. 7.

d Const. P. 1. c. 6. *e* P. 2. c. 7.

§. V.

§. V.

Colloquia ſpiritualia adeò nihil obſunt vocationi, ut etiam in ea, ſicut & in ſpiritu, confirment.

I. ETſi hucuſque plurima ſint dicta contra colloquia minùs utilia, quæ nonniſi lingvæ prurigo, vel curioſitatis aliquis excitat impetus: & ſatis ex ijs, quæ iam attulimus, exigua probetur religioſitas; ac ſpiritus ille, quo Religioſus erga Deum, ac divina continuè totus ardere deberet, eoque vocationem ſuam fovere, nec aliter, quàm ſicut materiali cibo corporéam ſuſtentat vitam, ità vitam animæ, religioſæque vocationis nutrire, cuſtodire, & ad finalem, auxiliante Deo, perſeverantiam in obſequio divino conſervare: ſed imbecillitatis humanæ mactatum infortunio ſpiritum in primordijs ſuſceptæ vocationis imbibitum plerumque contingit (ut diximus alibi) exhauriri, dum oris, & lingvæ cuſtodia minùs habetur cautè; nec ità ſolidè cuſtoditur ſilentium, vocationis, religionis, & virtutum omnium cuſtos, uti ſtatus ipſe requirit: tamen, dum leges, tempus, modum, & alias in loquendo circumſtantias eidem (religioſo præſertim) ſtatui præſcribunt, quibus ſervatis nec infringitur ſilentium, nec culpa incurritur; tùm & illud ſapienter providit omnium pœnè religioſorum ordinum ratio; quòd loqui liceat, deceat ea, quæ nec indecora, nec noxia, nec inutilia, ſed honeſta, congrua, & utilia ſunt vocationi. Igitur poſitâ ſuperioris facultate, profeſſionis, & miniſterij neceſſitate; vel aliâ ex inſtituti ratione causâ; puta doctrinâ, conſilio, & id genus alijs, ſpiritualia colloquia, ad quæ Religioſus in omni occaſione debet collineare, & eos, cum quibus agit, etiamſi domeſticis, pertrahere; vocationem tantum abeſt ut debilitent, ac labefactent, ut etiam illam, ſicut & religioſum ſpiritum, ampliùs excitent, foveant, & confirment.

2. Hoc innuere videtur Spiritus Sanctus in proverbijs Salomonis; ubi prorsùs ad hoc propo-

propositum ait: [a] *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et alibi: *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.* Id est: qui cautus, & circumspectus est in loquendo, nec indulget, aut permittit ori, lingvæque suæ freni remissionem, ac diligenter examinat verba, & sensum sermone proferẽdum; idem facit, quod animæ suæ in religiosa vocatione ad Deo gnaviter obsequendum prospiciens, & tanti thesauri, qualis est religiosus status, custodiam, ne perdi possit, adhibens diligentem. Undè & primam Proverbiorum sententiam hìc recitatam Chaldæus exponit sic: *Qui tegit os suum, cavet animæ suæ;* videlicet, os suum qui obstruit, & silentio tamquam aliquâ cortinâ, seu quavis aliâ firmiore munit opertione, tàm solidè cavet, ac prospicit animæ suæ, ut gratiam ei vocationis, & religiosum spiritum, quo Domino Deo semel consecravit se, nulla res vel minuere, vel auferre possit: eò quòd constanter adhæreat amabilissimo Deo suo; quem non tantùm inordinatissimo, sed etiam ne minimo quidem otioso verbo vult offendere: sicque verè caveat animæ suæ, eamque per accuratam loquendi (cùm necessarium est) moderationem custodit in æternam vitam.

3. Alteram verò, quam hìc superiùs ex Proverbijs attuli, sententiam, videlicet: *Verbum custodiens filius.* &c. S. Augustinus ità legit: *Verbum excipiens filius, à perditione longè aberit. excipiens autem excipiet illud sibi; & nihil falsi de ore illius procedit.* Quâ sententiæ phrasi Sanctus Doctor premens hæc verba, *excipiet illud sibi*, videtur hoc urgere; quòd locuturus, faciet verborum à se proferendorum delectum, & quamdam quasi exceptionem, ac in omnibus dicendis ità seliget singula; ut nonnisi veritati, & honestati conformia sint ad Deo soli, non autem hominibus, sicut faciunt nonnulli, placendum. Sensum igitur suum Sanctissimus Præsul his exponit verbis: [b] *Qui excipit verbum, id est, veritatem; non sibi, sed ut hominibus placeat; non*

[a] *Prov.* 13. 3. c. 29. 27.

[b] *S. Aug. lib. de mendacio c.* 18.

at; non eam custodit, cùm eis videt posse placere mendacio. Qui autem excipit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedet. Quia etiam, cùm placent hominibus mendacia, non mentietur illi, qui veritatem, non quâ illis, sed quâ Deo placeat, excipit sibi. Hactenus Divus Augustinus. Consequenter itaque custodiens verbum, id est, veritatem, quæ ipse Deus est, vita nostra, verè custodit animam suam, vocationem, & spiritum religiosum. Quia per hæc servatur in vitam immortalem ad Deo fruendum in illa beatitudine, quæ iam extra periculum perditionis est perfecta, constituta in illo gaudio, quod secundum Christi promissionem est plenum: [a] *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Hinc satis iam liquet; spiritualia colloquia, dum facultas, tempus, necessitas, & ratio permittit loqui, nihil penitùs officere vocationi religiosæ; quin potiùs in ea solidant loquentem, sed & audientem ædificant, excitantq; ad magis amandum, & conservandum id, quod semel pro Dei gloria, pro animæ salute, & pro æternæ beatitudinis consecutione susceptum est, vitæ institutum: modò sermo sic prodeat à loquente, ut verbum excipiat sibi, illudque prudenter seligat ad Deo placendum, non hominibus; ad profectum tam suum, quàm proximi; non ad perditionem, & sic *Extra perditionem erit.*

[a] *Io. 16. 24.*

4. Ac propterea apud priscos illos Eremi cultores, & Monachos usu receptum erat, ut non solùm statis temporibus ad spiritualia convenirent colloquia (collationum hinc inolevit nomenclatio) in quibus aliæ non erant inter ipsos sermocinationes, quàm quòd alius quidem de facili in virtute, modò ptompta sit voluntas, progressu dicebat sententiam; alius modum vincendi tentationes suggerabat; quid magis ad perfectionem consequendam spectaret, disserebat alius; alius, in quonam perfecta consistat charitas, dicebat; alius, quænam virtus alia præferri debeat humilitati, admonebat; virtutum omnium vel matrem vel reginam, vel epitomen, obedientiam alius

lius afferebat: denique sicut in virtutum stadio sanctâ quadam contendebat æmulatione; sic & de virtutibus, in quibus, erat singulorum frequentius exercitium, unusquisque suam in medium proferebat sententiam; & ità sine doctrina, nemo sine spirituali fructu in suum se se recipiebat tugurium. Non solùm, inquam, sancti Patres illi Eremitæ, Monachi, mundi contemptores statis temporibus hos ad collationes instituebant conventus; sed etiam quotiescunq; contingebat alterum ab altero conveniri, non alia ferebantur inter ipsos colloquia, quàm de re quapiam spirituali, & ad animæ salutem pertinente, eo videlicet fine; semper ut aliquid vel discerent, vel docerent, quod ad in Christiana perfectione, multo magis autem in eremitica vocatione, vel monastica disciplina proficiendum, & perseverandum pertineret, vel Deum simul in Psalmodia ferventiùs laudarent, uti rectè S. Ioannes Chrysostomus de colloquijs ipsorum alicubi differens ait: [a] *Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere; nihil scurrile, nihil asperum; sed omnia cœlis digna. Nullus aberraverit, comparans horum ora fontibus melle manantibus, & pura fundentibus fluenta.* Quæ tantò magis (ora videlicet) servanda sunt ab omni eo, quod religiosum statum vel modicè profanare possit, immunia; quantò pretiosiorem thesaurum circumfert Religiosus; id est, vocationem à se susceptam, non secùs, ac ipsam animam suam diligendam, omnique studio à profana loquendi licentia, à scurrilitate verborum, & vanitate custodiendam.

5. Iam verò S. Gregorius in spiritualibus hisce colloquijs duplicem observat religiosorum fructum. Unum quidem, quo sibi; alterum, quo audientibus prosunt: vel auditoribus etsi minimè prosint; plurimum tamen adferunt emolumenti sibi: eò quòd non tacuerint hoc, quod ad auditorum conversionem & fructum pertinebat. Do summi Pontificis verba: *Boni* (inquit

a *S. Io: Chrys. ad pop. Antioch. hom. 56. ante finem.*

ille,

ille, addam ego, Religiosi) [a] *cum loquuntur, duo sunt, quæ in suis locutionibus attendunt*, & attendere debent. *Vt videlicet aut sibi, & auditoribus suis; aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse non possunt.* Rationem huius assertionis suæ mox subdit, ac dicit: *Cùm enim benè audiuntur bona, quæ dicunt; simul sibi, & auditoribus prosunt. Cùm verò ab auditoribus deridentur* (sicut plerumque fit ab ijs, qui nihil quærunt aliud, quàm garrire, profanosque sermones iuxta cordis sui desideria miscere) cùm inquam, *deridentur, sibi procul dubio profuerunt, quòd se culpâ silentij liberos fecerunt.* Ità S. Gregorius. Est enim certum; quòd, sicut datur vitio loquacitas, ità culpâ non vacat silentium; cùm id, quod in alterius animæ cedere debet utilitatem, verbum reticetur.

6. Meritò propterea vates Evangelicus exclamat alicubi: [b] *Væ mihi, quia tacui. Quia vir pollutus labijs ego sum; & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Quærunt hìc interpretes: quomodò propheta iste labia sua polluerit? Quomodò vir à Deo super alios prophetas illuminatus, & peculiariter electus ad hoc, ut nullus alius prophetarum luculentiùs, fusiùs, & nervosiùs incarnationem æterni Verbi, Christi Domini Salvatoris imperium multiplicandum, passionem eiusdem & mortem pro generis humani salute, iudicium eius & exaltationem; gentium ad eum conversionē annuntiaret, quàm Isaias; & tamen virum pollutum labijs ipse se confitetur? *Vir pollutus labijs ego sum.* Fieriné potuit, ut eius labia verbositate quapiam contaminarentur, & profanarentur? Equidem responderi potest, sicut & respondent interpretes aliqui; ipsum labia sua polluisse verbo aliquo minùs cautè prolato; præsertim in medio populi nimium quantum licentiosi, quales erant Hierosolymitæ, & populus Isràël universus. cùm nihil æquè difficile sit, ac non peccare lingvâ. Sed sancti, Hieronymus, Cyrillus, & alij, dicunt; Isaiam labia sua polluisse non lo-

a S. Greg. lib. 15. Moral. c. 11.
b Isa. 6. 5.

cutione, verùm silentio, proptereà etiam præmittit: *Væ mihi, quia tacui.* Dicit igitur ex S. Hieronymi, & aliorum sensu Cornelius à lapide: [a] *Peccatum illud fuisse linguæ non tàm locutionis, quàm taciturnitatis: scilicet quòd peccata populi ac procerum vel tædio, vel metu victus insectari destiterit.* Igitur quando res, tempus, ratio, maximè verò necessitas proximi postulat, loqui non tantùm peccatum nullum est; ut etiam facilè culpam consciscat silentium.

7. Undè R. P. Iacobus Alvarez super illud Christi Domini mandatum, quo præcepit discipulis, ut regnum cœlorum annuntiaturi, semper in domûs alicuius ingressu dicerent: [b] *Pax huic domui: Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur,* scitè observat; præceptum illud non de solo prædicationis, sed etiam de quocunque ædificationis intelligi debere verbo, ex quo tàm loquens, quàm audiens capiat utilitatem. Dicit itaque: [c] *Quod autem de verbo prædicationis Evangelij dicitur, de quocunque ædificationis verbo intelligendum est: ut, si audiens amator virtutis fuerit, audito ædificationis verbo proficiat: si verò cum indignatione, aut cum tædio, sanctos sermones exceperit; saltem ille, qui loquitur, nullo modo emolumento loquendi frustretur.* Et ratio est in promptu pro loquentibus, & audientibus bona. tùm quia Christus ipse colloquijs eiusmodi se se libenter sociat, sicut promiserat olim dicens: [d] *Vbi sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Id quod ipso facto suo Dominus post gloriosam anastasin suam exhibuit; quando proficiscentibus Emaunta duobus discipulis, & loquentibus ad invicem non de rebus huius mundi ad fallendum tempus, & itineris tædium; sed [e] *De his omnibus, quæ acciderunt in* Ierusalem, puta de acerbissima Domini passione, & morte probrosissima: sed & de resurrectione, quam annuntiàrant mulieres, & de alijs admirandis, ac divinis operibus Christi; apparuit habitu longè alio, quàm

a Cornel. hìc. b Lu. 10. 6.
c Iac. Alvar. lib. 5. p. 2. c. 28. de vita spirit.
d Matth. 18. 20. e Lu. 24. 14.

quàm ipsis olim cognito: *Ipse Iesus appropinquans iunxit se, & ibat cum illis.* Quare S. Bernardus ait: a *Vbique libenter appropiat* (Dominus) *de se loquentibus. Sic euntibus in Emmaum, & conferentibus inter se, iucundum se, facundumq; exhibuit comitem:* tùm quia corda, mentesque ex spirituali colloquio magis ad amorem Dei, ad virtutis exercitium, & ad in religiosa vita proficiendum excitantur, & inflammantur; sicut accidit ijsdem duobus illis discipulis, quando Christus Dominus b *Incipiens à Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*; ut ipsi postea disparente Domino dicerent *Ad invicem: Nonné cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Equidem satis esse debebat ad ipsos accendendos amabilissimi IESU præsentia, & comitatus ad hospitium usque: sed quia tenebantur eorum oculi, ne præsentem agnoscerent; vix aliquod operæ pretium erat, illis se comitem præbuisse, nisi locutus etiam in via fuisset, *In omnibus scripturis, quæ de ipso erant*, & aperuisset ipsis easdem *scripturas, quæ* pariter *de ipso erant.*

8. Habent nimirùm eam de Deo, & amabilissimo Iesu, colloquia vim, & energiam: ut singularem quamdam Christi per gratiam in corde præsentis confessionem probent; & animas ad profectum in Dei servitio mirabiliter accendant; sicut rectè monet S. Cyprianus, cùm ait: c *Qui pacifica, & iusta secundum Christi præceptum*; (id est, sancta verba, res ad amorem Dei, eiusque gloriam, & honorem, atque ad animæ salutem pertinentes) *loquitur; Christum quotidie confitetur.* Concludit denique Sanctus hic Præsul, ac dicit: *Corroboremus igitur nos exhortationibus, & magis, ac magis proficiamus in Domino.* Ità videlicet instituantur colloquia nostra, ut ex illis & animemur ad viam Domini sine tædio currendam, & ad eam constanter usque ad mortem prosequendam, in eaque perseverandum, in omni colloquio profe-

a S. Bernard. serm. 9. b Lu. ubi sup.

c S. Cypr. lib. 1. ep. 5.

profectum nostrum quærentes, *Vt magis ac magis proficiamus in Domino.* Hinc magnus ille spiritualis vitæ magister Thomas à Campis ait: [a] *Iuvat non parùm ad profectum spiritualem devota spiritualium rerum collatio, maximè ubi pares animo & spiritu in Domino sociantur.* Quorum colloquia non ineptè conferri possint cum illorum privatis, & solitarijs in eremo commercijs monachorum, de quibus S. Ioannes Chrysostomus ad populum Antiochenũ differens, ait: quòd post absolutum in choro divinum cantum, & orationem, statim ad sacrorum lectionem librorum se se conferre soliti fuerint, & cum prophetis Apostolisque seruerint colloquia sua. Sic enim os illud aureum de ipsis ait: [b] *Cùm chorum dissolverint; hic quidem Isaiam sumens cum illo loquitur; hic autem cum Apostolis conversatur; alius ab alijs elaborata percurrit; & de hoc universo philosophatur, de Deo, de invisibilibus, de intelligibilibus, de vitæ præsentis vilitate, de futurorum beatitudine; & optimo cibo pascuntur, non brutorum carnes elixatas habentes appositas: sed eloquia Dei super mel, & favum, mel admirabile, & multo melius, quàm quod Ioannes per desertum olim degustabat.*

9. Eadem prorsùs & hodie Religiosorum esse deberet conversatio, eadem esse deberent & colloquia; ut, postquam privatim legerunt, aut legi audiverunt Isaiæ, cæterorumque Prophetarum vaticinia, comminationes adversus iniquos, & impios; divinorum exaggerationes beneficiorum, & alia eorum oracula! postquam in cella de divinis tàm veteris, quàm novi testamenti scripturis, aut aliquem ex sanctis Patribus, Doctoribus, alijsque scriptoribus sacris, legerunt; vel ad communem mensam in refectorio legi audiverunt, in congressibus deindè, & in communi consessu de his colloquantur; *De Deo, de visibilibus, de intelligibilibus, de vitæ præsentis vilitate, de futurorum beatitudine philosophentur.*

10. Atque hoc etiam est, quod Venerabilis Pater noster Ioseph

a Tho. camp. de imit. Christi lib. 1. c. 10. b S. Io: Chrys. hom. 56. ad pop. Antioch.

Ioseph à Matre Dei constitutione sapienter providit; quando ad communes conventus, puta ad focum hyemis tempore (ut fit in Italia) causâ calefactionis , & ad alia communia. exercitia, vel opera quæcunque , post prandium , aut cænam conveniunt, vel sileatur, vel a *De promovenda scholarum nostrarum perfectione , aliquis verba faciat*, cavit. Et alibi, dum mensam sacrâ lectione condiri præcipit, eamque audiri cum silentio , in communi deindè post refectionem consessu vult aliquid de ea ad ædificationem conferri : de quo sic habet constitutio Parte 2. cap. 4. b *Mensa condiatur sacrâ lectione; quam omnes silentio audiant; ne corpus tantummodò, sed etiam animus nutriatur. De qua posteà in communi recreatione poterunt aliquid ad ædificationem recolere : ut ipsa etiam recreatio sit utilis.* Quibus in verbis duo præcipua spectare videtur Venerabilis Patriarcha. *Primum*; ut unà cum corpore nutriatur & animus : & sicut corpus habet suam refectionem ; ità nec anima suo privetur nutrimento, quod est attenta sacræ lectionis auscultatio. *Alterum*; ut ex eadem lectione formetur posteà colloquium in communi consessu, annuente superiore, ad ædificationem, & ad communem religiosi spiritus utilitatem. hoc enim indicant verba: *Vt ipsa etiam recreatio sit utilis*: utilis, inquam, tàm loquenti, quàm audientibus. Inutilis autem foret, & re verâ est; cùm in colloquium omnia veniunt alia quàm ea, quæ statum, vocationem, & spiritum sapiunt religiosum; puta, si quis excitet sermonem de statu politico, de nationum moribus, de factionibus inter principes, & civitates, ac cives; de rebus vanis, & ad Religiosos minimè pertinentibus: vel statim oboriatur factorum, aut periculorum suorum prolixa narratio; de ciborum in mensa vel benè, vel malè conditorum qualitate; vel alius sermo quispiam, qui risum magis sardonium, & cachinnum moveat, quàm sit ad ædificationem.

a *Const. p. 1. c. 6.* b *P. 2. c. 4.*

11. Itaque quod ad Religiosorum attinet conventus in com-

communi post prandium, & cœnam recreatione; non sunt in hoc genere superiores tam tetrici, stypticiq; , ut omninò velint omnes sedere, stare, vel deambulare taciturnos, & tamquam in silicernio mæstos, aut mortem, aut tremendum Dei iudicium, aut inferorum supplicia contemplari. Nam his, & similibus alijs meditationibus vel cella, vel oratorium, vel alius locus solitarius destinatus est, similiter & tempus aliud: sed hoc desiderat, & urget constitutio nostra; ut recreatio instituatur cum utilitate communi ad spiritum pertinente. Hinc laudabilis, & tantò laudabilior, quia nullo regulæ præscripto cauta, quorumdam in hac provincia nostra superiorum obtinuit consvetudo; quòd post communem corporum refectionem in omnium consessu plerumque iubeant priùs ab uno alterovè ex iunioribus, (olim & à veteranis magistris & sacerdotibus id requirebatur, & fiebat sine ulla, quæ nunc forsitan esset, admiratione) quòd iubeant, inquam, dici vel lectionem suam eius diei spiritualem, vel quemnam fructum ex sacra communione (si fuerat eâ die) vel ex meditatione, perceperint spiritualem, referre; tùm demùm additâ brevissimâ quapiã parænesi progrediuntur ad facultatem de re aliqua ad utilitatem communem faciente loquendi, vel, si dies sit vacationis à studijs, & Scholis, honesto aliquo lusu Religiosos decente, se se, præsertim iunioribus, occupandi, recreandiqne, iuxta ut dictum est alibi. Et quidem hæc de spectantibus ad communem consessum, & recreationem, post corporum refectionem: at in alijs privatis colloquijs utilissimum semper est; sermonem ad spiritualem trahere materiam; eàque pascere animam tamquam eius præsentissimo nutrimento; quo mens, & spiritus tàm loquentis, quàm audientis reficitur, & in obsequio divino roboratur,

CAPUT XI.

§. I.

Illorum consortium, quos à religi-

religioso spiritu deficere compertum est, vitare debet iuventus, cui vocatio religiosa est cordi.

I. MIrum fortasse videatur alicui, cõsortij minùs utilis hìc fieri mentionem, ubi nemo non probus, nemo non dignus esse commercio existimatur. Sunt enim omnes in domo Dei, & in societate quadam unius moris, & reipublicæ; omnes (uti loquitur scriptura) [a] *Docibiles Dei*; omnes in una Congregatione, de qua dicas: [b] *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum.* In quæ Psalmi verba scribens S. Hieronymus ait; [c] *Propriè Psalmus iste cænobijs, & monasterijs convenit; licet de Ecclesijs intelligatur.* Et postquã rationem attulit, cur non tàm de Ecclesijs, quàm de cœnobijs intelligendus sit hic versus, appositè subdit: quòd nimirùm *In monasterijs, sicut unum propositum, ita & unus animus est; verè fratres mente, non corpore.* Ità S. Hieronymus. Sed sicut in auri metallo scoriam; in tritico zizaniam, in amœnissimo pomario unam, alteramvé degenerem invenias arborem, non terreni, in quod arbores illæ transplantatæ sunt, vitio; sed vel indolis innatæ corruptione, vel accidentis aliûs aliundè provenientis eventu fortuito: sic in Collegijs, societatibus, & monasterijs, est reperire non semper, nec omnes [d] *Vnius moris in domo*; non vitio Religionis, & monastici statûs, aut educationis negligentiâ: sed vel imbecillitate humanâ sensim per ætatis, aut sæculi corruptelam invalescente; vel indolis aliquâ pravitate, quæ plerumque certo proposito sub tyrocinij tempus vaferrimè se se occultat, non secùs, ac unius eiusdemque matris filij, quos uterus idem unus enixus est, imò gemellos eàdem horâ in lucem effudit, ingenia secum adferunt diversa, sibique contraria, mores, ab invicem toto cœlo diversos: id quod in unius Rebeccæ geminis Esau, & Iacob manifestum est: ità Religio multorum in Christo filiorum mater non est tam felix, ut o-

a Io. 6. 45. b Psal. 132. 1. c S. Hier. hìc.

d Psal. 67. 7. e Gen. 25.

mnes pariat, educet, edoceat, & efformet in eamdem virtutis, & probitatis formam, quam ipsa requirit instituti ratio, quantumcunque laboris, industriæ, & solicitudinis adhibeat. Desiderat ipsa quidem omnes habere probos, rectos, & sãctos, & in hoc tota desudat: sed quia non æqualiter omnes eamdem gratiæ divinæ recipiunt informationem, nec omnes æqualiter eiusdem capaces sunt docilitatis; ideò necesse est eos, quibus incumbit educare, non raro falli: & ubi pacificum Salomonem se genuisse mater putat Religio, factus est filius *Vnus de insipientibus in Isráèl* fratricida, patri perduellis, paterni sceptri sceleratus extortor, parricida sacrilegus si non opere, certè integrâ voluntate. Qui mansvetus in tyrocinio videbatur agnus, posteà ferocem ursum, sævum leonem, incicurem tigridem, se in ordinem suum religiosum intulisse ingemiscet. Apiculam sine aculeo quondam arbitrati, & mirati sunt omnes; sed ô quàm in aculeatam postmodùm evasit vespam! an etiam in venenatissimum scorpionem, aut crocodilum?

2. Quàm multos habuit cœlestis ille Magister Christus vocatos ad se discipulos! & tamen paulò post quidam doctrinam eius interpretati perperam, facti murmuratores, non tantum reprehendebant, dicentes [a] *Durus est hic sermo* (locutus erat Dominus de manducatione suæ carnis) *& quis potest eum audire?* Sed etiam secessione factâ [b] *Multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.* Ecquis illud cœlestis eloquij mel putâsset in absynthium apud malè moratos mutatum iri? Dico plus. Elegerat idem Dominus duodecim in peculiares Evangelij præcones Apostolos, & hos duodecim; sibi, dum versaretur in terris, assiduos (ut ità dicam) adstites; vitæ, innocentiæ, & doctrinæ suæ testes, sicut & miraculorum à se patratorum spectatores; opprobriorum, persecutionum, & tentationum, quas sustinuit, socios individuos, imò & amicos

a Io. 6. 61. *b v. 67.*

micos: a *Vos autem estis* (ad Apostolos ait) *qui permansistis mecum in tentationibus*. Et: b *Vos dixi amicos. Quia omnia, quæcunque audivi à Patre, nota feci vobis*, & tales appellati sunt non solùm electi discipuli; verùm & ipse traditor Iudas audivit: c *Amice, ad quid venisti?* Et tamen idem hic inter undecim probos duodecimus, factus ex œconomo peculator perfidissimus, ex dispensatore fur, ex Apostolo desertor, ex discipulo proditor, ex amico sacrilegus parricida, ex annunciatæ pacis angelo diabolus: *Vnus ex vobis diabolus est*; non Magistri optimi neglectu, non condiscipulorum vitio, non Apostolici muneris eminenti fastigio, sed indolis in vitium cereæ pravitate degeneravit.

3. Igitur cùm nec locus, nec status, nec societas ulla tàm sancta sit, ut gaudeant ab omni parte perfectis; sed neque magisterium ullum, aut institutio tàm beata; quæ discipulum unum quemque probum, & proposito suo respondentem habeat: certè neque religiosus ordo tàm felix, & sanctus ullus est; qui pariter omnes probos, & virtutis amantes numeret; cui sæpè pulchra principia, satis infelici postmodùm exitu terminantur. Et adeò quidem improbis filijs conflictari subindè cogitur afflicta mater Religio, ut nonnisi vel à prodigiosa improbi conversione; vel demùm nonnisi à depravati morte, quod naturæ debitum ultimum est, remedium expectet; non quia improba ipsa est, sicuti plerumqne solent imprudentes ei appingere: sed quia vel ex improbo, propensionem, & indolem suam occultante probum facere non potuit; vel diaboli fraude deceptus, aut alicuius improbi nequitiâ seductus, in malum facilè evasit. Nec opus est ad decipiendum, seducendum, ac depravandum multis improbis; sufficiunt in una domo religiosa tres: dixi multum; sufficiunt duo: dico minùs; unus sufficit. Vrbem integram, quin & universam regionem, aut provinciam, ut corripiat pestilentia, & internecione consi-

a *Lu.* 22. 28. b *Io.* 15. 15.
c *Matth.* 26. 50.

conficiat omnes, ex uno serpit malum in universos. Ad huius comprobationem rei meritò potest hìc quæri: cur Deus, postquam ad eius imperium aquæ produxerunt [a] *Cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem*, die quinto, statim *Benedixit eis dicens: crescite, & multiplicamini. &c.* Et non etiam benedixit iumentis, reptilibus, & bestijs terræ creatis die sexto? Quæstionem hanc solvit Glossa ordinaria, quam citat Didacus Lopez in sua mensa spiritualium ciborum, & dicit: [b] *An ideò fortè animalibus sextæ diei non benedixt Deus; quia inter ea erat & serpens, cui post paululum erat ipse maledicturus?* Ac demùm commemoratus Author acutè observat, & ad propositum nostrum ità dicit: [c] *Ex dictis collige, quantum noceat societas mala etiam unius.* Scilicet animalia die sexto producta ne benedicerentur, nequam serpens unus eorum universæ nocuit reipublicæ.

4. Sic in collegio, sivè cænobio Religiosorum sufficit malus unus, qui consortio suo non unum, sed plures facillimè destruat. Discent ab uno murmuratore murmurare plures; ab uno malè contento consvescent esse malè contenti plures, ab uno licentioso plures in licentiam effrenabuntur; ab uno legum, & institutì contemptore, contemnere discent multi, ab uno proprietario (uti vocamus) inobediente, refractario, contumaci, commoditatum sectatore, garrulo; cellas, & angulos omnes pervagante; & (paucis ut comprehendam omnia) ab uno dæmonio meridiano ô quàm multi subnascuntur dæmones unius exemplo pessimo depravati! Advertit hoc benè magister gentium Divus Paulus, quando præcepit Corinthijs, ut unum uxori patris sui matrimonio iunctum traderent [d] *Satanæ in interitum carnis*; ne à tàm nefario scelere discerent incestare multi; imò unius nefandâ fæditate ne contaminarentur omnes. Ait enim: [e] *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* satiùs iudicavit

a Gen. 1. 21. *b* Glos. Ord.
c Didac. Lop. V. societas mala. nu. 1.
d 1. Cor. 5. 5. *e* v. 6.

vit Apostolus, unum hominem in nefariam effusum libidinem tradere satanæ; id est, Ecclesiastico fulminatum anathemate permittere diabolo divexandum: hoc enim indicant verba, *In interitum carnis*; siquidem in Ecclesia primitiva (sicut est traditio Patrum) excommunicati, secundum corpus ilicò possidebantur à diabolo, vehementerque cruciari solebant: satiùs inquam, iudicavit Apostolus, unum infandissimi incestûs hominem tradere satanæ secundum carnem cruciandum ad aliorum exemplum à tam horribili crimine deterrendorum; quàm multos, aut etiam omnes unius fœdâ libidine, qui inter omnes Corinthios eminere sapientiâ videbatur, exsecrando matrimonij commaculari abusu. Tantùm videlicet vel unius obesse potest universæ societati pravitas; ut omnes sibi metuere debeant contubernales, ne & ipsi pravis eius moribus inficiantur.

5. Cùm igitur ea sit malitiæ vis, ut ipsa bonum corrumpat citiùs, quàm ut bonitas pravum convertat; & unus malus citiùs destruat tres, aut quatuor, aut plures bonos; quàm ut totidem boni malum unum frugi faciant: ideò consortium, familiaritatem, & colloquia cum ijs, quos à religioso spiritu mores, & pravitas alienos ostendunt, non secùs ac pestem aliquam fugiant, oportet, iuvenes (nam de veteranis, ac maturi iudicij viris non est periculum) qui vocationi suæ, spirituique, quem aspirante divinâ gratiâ hauserunt, esse volunt consultum. Nam plerumque diabolus, ubi nihil efficere potest suggestione suâ, utitur mali socij ministerio, eiusque colloquio familiari. Sanctus Ioannes Chrysostomus observat hanc dæmonis astutiam in prima viventium omnium matre Eva: quæ licèt sæpiùs aliàs in paradiso viderit lignum, [a] *Quòd bonum esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*; nunquam tamen ex eo comedit, verita Dei mandatum infringere, mortemq; subsecuturam. Non defuerit, sine dubio, suggestio diaboli,

[a] Ge. 3. 6.

quæ mulieris animum identidem sollicitaret, tentaret, & ad esum vetiti fructûs incitaret. at nihil efficere potuit veteratorius ille susurro, muliere Dei præceptum semper opponente, mortemque meritò metuente. Sed ubi veterator ipse nihil efficere se posse animadvertit, serpentem in eius alloquium familiare summisit, ut hoc ministro persvaderet mulieri, quod ipse suggestionum suarum machinationibus haudquaquam effecisset. Itaque familiariùs ubi serpentem admisit in alloquium mulier, consilium pessimi consultoris habuit successum. Infelix enim mulier *Tulit de fructu illius ligni, & comedit; deditq́ viro suo, qui* & ipse *comedit*. En habes fructum colloquij cum serpente, malo socio, diaboli ministro. Verba sancti Doctoris adfero. Sic enim ille: a *Verè sicut Apostolus ait, corrumpunt bonos mores colloquia mala. Ante diabolicum consilium mulier pulchritudinem arboris viderat; sed timebat mandatum Dei, & subsecuturum supplicium. Postquam autem cum mala bestia conversata est,* & *collocuta, cibum sumpsit, dedit viro.* Sicque dæmon, quod ad crebriorem ligni aspectum, *Quòd esset bonum ad vescendum*, efficere suggestione continuâ minimè potuit; effecit conversatione, effecit colloquio cum serpente.

6. Sic in Religiosorum cænobijs, multas innocentes invenies animas, quas à proposito, susceptoque semel generoso consilio constanter in religiosa vocatione perseverandi, vel etiam à primi spiritûs fervore nullis industriæ suæ machinationibus, nullâ suggestione dimovere diabolus potest. Sed habebit denique stygius hic veterator aliquem satellitem suum, cuius operâ perficiet intra breve virulenti colloquij tempus, quod ipse diutissimè suggestione machinatus effectui dare non potuit; & innocentem huius, aut illius iuvenis animam conversationis hamo captam citò seducet. Divinissimè propterea S. Basilius ait: b *Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum inijcit: sic etiam*

a 1. Co. 15. 33. *S. Io: Chrys.*

b *S. Basil. hom.* 9. *quòd Deus non est Author malorum.*

in prava consvetudine, ac conversatione, maxima nobis mala hauriuntur; etiamsi statim incommodum non sentiatur. Non sentit, inquam, nec advertit innocens anima, se citiùs ab improbo depravatum iri, quàm ipsa possit improbum lucrari Deo. Sed dum ipsa probitatis instillare nititur exemplum, per consortium cum homine pravo, breùi se deceptam, & improbam esse factam deprehendet, ac obstupescet. Proindè Lipomanus sapienter ait: *a Novit Dominus conditiones fragilitatis humanæ, quàm proclive sit ad deteriora inclinari, & accipere exempla pejorum, faciliùs decipi justos ab impijs, quàm improbos à melioribus emendari.* Ut ergò tàm novitius, in arrepto perseveret instituto, quàm professus iuvenis in religiosi spiritûs fervore constanter, & feliciter usque ad maturiorem ætatem conversatione dignam, imò usque ad finem agat; consortium, & familiare colloquium cum aliquo pravo, & à religioso spiritu deficiente, quantum stat per ipsum, fugiat, & evitet.

a Lipoman.

§. II.

Indicia deficientis à religioso spiritu sunt; cuticulæ cura; nugarum, facetiarumque sæcularium, & rixarum usus, ac consvetudo.

I. IAm ut ij, qui defecerunt, & deficiunt à religioso spiritu, vel qui nec imbiberunt eiusmodi spiritum, dignosci possint; eoq; faciliùs eorum consortia, colloquiaque fugiant præcipuè tyrones, & ij, quorum ætas nondum ad solidum vitæ spiritualis est provecta cibum, nonnulla huc adferam indicia; quæ facilè *Docibiles Dei* discernunt à disciplinæ parùm capacibus, & habitu magis, quàm moribus, ac professione Religiosis, & quorum consortia iuventuti (nam ad veteranos, ætate provectos hæc admonitio parùm attinet) cane peius, & angve, fugienda sunt. Genius itaque reconditus intra naturæ viscera non potest tám occultè latere, quin etiam erumpat, &

quidem

quidem frequentissimè, foras, aut instar ignis, sub cinere tecti scintillatim, aut instar flammæ intra Vesuvij, vel Æthnæ cavernas clausæ, certo tamen tempore per patentia repentè quædam ostia facto impetu prorumpentis. Ità indoles humana, præsertim disciplinæ studio vel parùm exercitata, vel post exercitationem denuò laxatis habenis alicui licentiæ permissa, semetipsa, prodit; & ex cordis, animique latebris in apertum exit. Nam quid quis animo verset, indicant opera: quid in corde foveat, os promit. Utrumque Christus Dominus hoc verissimo elucidavit aphorismo: *a Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis, os loquitur.*

2. Nec magis, quàm ex loquela, cognosci ingenium hominis etiam Socrates olim docuit. Cùm enim ad ipsum quidam adolescens adductus propter eruditionem ei plurimùm commendaretur à modestia, vir sapientissimus experimentum commendationis eius ut exploraret, intuitus ipsum his allocutus fertur: *b Loquere adolescens, ut te videam.* Adeò namque verba sunt hominis interioris, sivè latentis in corde genij indices; ut non sit opus ullo speculo, quod Momus ad pervidendos animorum animos requirebat, nec oculis: sed ex loquela, tamquam in tabula depictam se legendam commonstrat indoles. Hæc si moderata, si Christi spiritu plena, si professionis, quam Religiosus habitu præfert, amans est; certè in colloquio, quantumcunque familiari, nihil, nisi Christum, vel ea, quæ sunt instituti, vel quæ professionem suam decent, etiamsi subindè quidpiam ad exhilarandum audientis animũ venerit recensendum, aut agendum fuerit aliquid, de quavis alia materia, cum magna moderatione verborum & pondere loquetur. Contra, qui nec Deo, nec instituto, sed suo tantùm genio non tàm religiosus, quàm (uti S. Bernardus ex profundissima humilitate de se dicebat) quæ-

a Lu. 6. 44.

b Socrat.

dam huius ſæculi chimera, vivere conſvevit; in clauſtro corpore, ſed animo per omnia mundi, urbium, & oppidorum compita, vicoſque vagabundus, aliud non promet ore, quàm quod animo perpetuò coquit, ſcilicet veriſſimè vanitatis, & inordinatorum deſideriorum plenus, *De malo theſauro cordis ſui profert malum.*

3. Et hi, quales ipſi ſunt, tales & alios adnituntur efficere; ac ne ſoli pendeant in patibulo, quærunt ſocios. Qui ſicut inſtituto parùm addicti ſunt, ſic etiam foramen aliquod ſubtile quæritant, per quod vel ad ſæculum redeant, quidni canes ad vomitum? vel ſaltem extra clauſtrum, & extra diſciplinam, non habituri tàm facilè morum ſuorum inſpectores, & (quibus opus ipſis maximè foret) cenſores, habitent; ibique dies iucundos unà cum ſui ſimilibus agant ſæcularibus; vel ſaltem ſuperiorem, quin & domum (ſi non etiam totam provinciam) ob privatum nihilominùs commodum ſuum, in aliquam confuſionem, & anguſtiam redigant, nullius, niſi ipſorum operâ (ſpecioſo videlicet experientiæ, dexteritatis, & erga religionem, domum, ac ſuperiorem ſtudij titulo) componendam, levandam, & avertendam. Hi, inquam, ſicut inſtituto parùm addicti ſunt, habitu religionem oſtentāt; animo ſæculum, & ſæcularia verſant; ità cæteris etiam peſſimum eumdem ſpiritum, præſertim in iuvenes, eructant, & evomunt. Regulam ut parùm prudenter, minimè diſcretè, ſupra vires humanas, ſcriptam reprehendunt; ſuperiorum, aliorumq; vitam etiam per mendacia, & calumnias impudentiſſimè carpunt; Religioſo ſatis eſſe, tria vota, quantum ad eſſentialia, ſervare: non autem cæteras nimis anxiè, ſcrupuloſèquè ad votorum lancem ponderare circumſtantias. A Doctorib9 eum rigorem, quem titulo ſervandæ conſtitutionis ſcrupuloſiùs accipiunt ſuperiores, aliter non intelligendum, nec explicandum eſſe, quàm ſicut humanæ rationi, multò magis imbecillitati conſenta-

neum est. Cæterùm indulgere sibi modò vota non violentur, in essentialibus, v. g. habere quidpiam pecuniæ, cæterarumque rerum, quæ non tam pro privato commodo suo, quàm pro captandis, conciliandis, & humaniter habendis amicis, ac beneficijs, nullum esse peccatum, ne veniale. Quidem quidquid enim in amicorum, & beneficorum tractationem, quantumlibet lautam, in munera quoque licèt pretiosiora, impenditur: id totum non in suum, sed vel in Religionis, vel in domûs, cedere emolumentum.

4. Sed paralogismus hic malus est. Nam quod arbitratu suo neque sciente superiore; vel, superior ipse si domûs sit alicuius, invito, nec sciente maiore superiore, facit & impendit ad liberalis & magnifici genij sui ostentationem, præterquam quòd ex accidentium indulgentia veniatur etiam ad votorum essentiam negligendam, & conculcandam; hæc insuper liberalitas & humanitas insignia duo tot communitati adfert detrimenta. *Primum*, quòd amici, & benefici illi tàm splendidi haberi soliti de magno domûs aliquo proventu, dequè divitijs eius, & opulentia concipiant opinionem: & propterea, si quam præstare velint eleemosynam, eam alicui alteri pauperiori malint impertiri cænobio, vel ordini secundum opinionem ipsorum egentiori; quàm huic, in quo lautissimè habentur, & de quo magnam in conceptu suo formant opulentiam. Vel, si quod præstant beneficium, faciunt id, non ut pauperi collegio, vel communitati, cuius ignorant necessitates, eleemosynam præbeant; sed tantùm ut amici amico suo privato Religioso gratum exhibeant animum; & ità beneficium extrudant beneficio. *Alterum* detrimentum adfertur: quòd ubi splendidus hic amicorum, & beneficorum venator in aliam migrat domum, iam ab hoc collegio, sivè cænobio non solùm animis erunt alieni tales amici; sed etiam in maiores superiores, in ipsum officij successorem, iniuriosi. hunc

quidem ut hominem ſtypticũ, bardum, agreſtem, inurbanum, hominibus accommodare ſe neſcientem, aut præ ſuperbia, faſtuque nolentem, ad avertendos aliorum à ſucceſſore, conſequenter & à toto Collegio, vel cœnobio animos, deſcribunt, calumniantur, & infamant. illos autem ut ſtolidos, ignaros, & rerum imperitos, qui neſciant ſuorum ingenia ponderare; ſed temerè, nullo ſano conſilio, ſolâ vel invidiâ, vel odio, vel contumaciâ quadam impellente, virum tàm excellentem, omnibus acceptum, utiliſſimum huic cœnobio (quaſi verò iam alius omnis inutilis ſit,) aliò translatum, reprehendunt.

5. Hæc, & alia plurima iſti tàm egregij amici non cauſæ, ſed perſonæ, non domûs, ſed donorum; non communitatis, ſed comeſtionis, & menſæ; non Religionis, ſed hominis unius. Intereà verò non conſiderant; ſe loqui tantùm, & perorare pro domo ſua, pro bono ſuo privato, illudque tueri: bonos videlicet commemorant bolos, quos olim cum illo tàm liberali manducabant amico, Chriſti patrimoniũ dilapidãte, cæteris intereà famentibus, & portionem aliquam meliorem, quin & ordinem domeſticum, ſuſpirantibus Religioſis. Amotus ille, quia conquiſita in privatas amicitias, & in cuticulæ ſuæ curam, adhibuit, & peculium habuit ſingulare, ſcrupulum autem non habuit; ideò bonus fuit. Iſte ſucceſſor quia nihil aliud, præter proventum domûs, & ſatis tenuem habet; ad inſtruendas autem menſas opiparas, ad largienda munera non habet, nec vult habere peculium; ad ea, quibus domum, & pauperem familiam ſuſtentet; in alios profundenda ſcrupulum habet; breviùs ut dicam, quia bonus Religioſus eſt, ideò malus; ideò bardus, & barbarus eſt. Cæterùm hæc quidem hìc ex occaſione forſan extra propoſitum dicta: ſecùs & plura dicenda forent. Ad materiam verò noſtram ut redeam; hi tam effrenis oris, & lingvæ, laxique Theologi, ven-

tris sui, non boni communis egregij curatores, quia manifesti sunt, iuventuti per omnia sunt vitandi, & fugiendi. Nam pestem eamdem, quam in visceribus suis fovent, etiam innocenti ætati certissimè inspirabunt, & eam reddent perniciosam.

6, Non minùs autem hi loquaces, & licentiosi, regulæ, constitutionumque, sed & conscientiarum, mali interpretes evitandi sunt; quàm & illi, qui in risum, in cachinnos, in iocos, & sales, in cibum etiam, & potum sunt effusi. Horum consortium æquè dissipat religiosum spiritum, & vocationis suæ parùm tenacem efficit iuventutem. Aut enim eam dicacitatem; eam cachinnorum, salium, & iocorum inconditam nimietatem; cibi quoquè, potûsque nimiam indulgentiam probabunt iuvenes, aut non. Si primum admittunt; iam Religio non educat Religiosum in eo, qui talia probat; sed histrionem, sed comedonem, bibonem, scandalum, domesticam pestem. Si alterum; ô quantum hinc misero superiori tormentum nascitur! ut illos in spiritu, & vocatione conservet; conceptus eorum, & opinionem de instituti exigua modestia ut discutiat; ipsos ad perseverantiam ut hortetur, atq; confirmet. Non enim illi (nisi iam valdè maturo iudicio sint) hunc, aut illum arbitrantur licentiosum; sed plerumque toti sinistram notam tribuunt communitati; sæpeq; cogitant, si tyrones sint, vel perindè, vel etiam quietiùs, ac modestiùs in sæculo se posse vivere; sicque non sine Religionis dedecore mutant propositum; vel si iam professi, pœnitet ipsos in eiusmodi consortium se incidisse. Igitur præterquam quòd ipsa religiosa iuventus istorum in tantam licentiam, iocularitatem, & in alia statum monasticum minimè decentia effusorum vitare debeat colloquium, & commercium, incumbit etiam unicuique superiori non tantùm inter hos, & iuventutem omne commercium impedire; verùm & prohibere, pœnis in contravenientes animadvertere;

nec

nec ulli parcere diligentiæ, quâ communi profectui iuventutis sit prospectum.

§. *III.*

Alia ponuntur indolis pravæ indicia.

I. HUcusque malam, depravatam, & à religioso spiritu alienam indolem, mores eorum, & verba licentiosa demonstrabant; ex quibus assequi coniecturâ liceat facilè, quid quis in animo coquat, & ad quid propendeat perversum ingenium: nunc ad ea venio testimonia, quæ malam produnt indolem non tàm ex hominum coniecturis, & opinione, quàm quæ ipse Spiritus Sanctus, optimus & (ut ità dicam) infallibilis physiognomus, ut potè [a] *Cuius sapientiâ conditi sumus*, & qui *Vivificat spiritum hominis, & continet in unum*, ut ait S. Bernardus. Igitur idem Spiritus Sanctus apud sapientissimum Salomonem, postquam descripsit hominis perversi, & verbosi ingenium, quòd videlicet lites, & iurgia suscitet, discordias inter principes, & separationes animorum seminet, illud etiam addit graphicè; quomodò ex vultu, ex oculis, & ex alijs quoque gestibus hominis nequam legenda sit pariter eius perversitas, & in malum non magis cogitandum, quàm & opere perficiendum inclinatio, cùm ait: [b] *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua, perficit malum.* Adeò videlicet ex attonitis oculis, ac stupore quodam defixis, & ex assiduo quodam nictantibus in suis morsu labijs manifestum est, hominem eiusmodi nihil cogitare boni; ut quamvis ex alijs frontis lineamentis physiognomi sæpè fallantur eò, quòd virtus naturam superet, corrigatquè; sicut de Socrate summo Philosopho legimus: quòd, cùm Pyropus Physiognomus ipsum dixisset omnium esse libidinosissimum, & cives Athenienses talia de Socrate dicentem risissent, tamquam falsò coniectantem, responderit ipse: [c] Pyropum minimè fuisse mentitum; sed virtute animi, naturæ vim oppressisse: attamen homi-

[a] *S. Bernard. de vita solit.*

[b] *Prov. 16. 30.* [c] *Socrat.*

hominem hìc à Spiritu Sancto descriptum adeò nihil boni cogitare verum est; ut quamvis in alijs (uti dictum) à natura descriptis in vultu lineamentis Physiognomi sæpènumero fallantur ; hìc tamen attonitis oculis, & mordens, assiduoque motu jam contrahens , iam proferens labia sua, iuxta Spiritûs Sancti oraculum rarò, vel nunquam fallat coniecturam. Eo namq; oculorum habitu satis indicant ità se mente contueri, & cogitare malum, ut bonam aliquam cogitationem aliam non admittant ; sed cogitatione toti sint affixi malo, vel malis, quæ machinantur, & obfirmato proposito perficere constituerunt.

2. Undè recitatum superiùs Sacræ scripturæ textum dum exponit Cornelius Interpres, duo perversitatis, & malitiæ latentis in animo eruit ex hoc loco signa. [a] *Primum : Ità malæ cogitationi intentum esse, ut in ea mentem, & voluntatem absorberi sinat, nec de re alia bona cogitare possit ; imò ab ea animum avocare , & distrahere nequeat. Alterum ; Mordere labia, seu nictare labijs.* Ad quæ duo indicia non opus est aliâ perversæ indolis coniecturâ. Siquidem cogitationem & voluntatem affixam malitiæ sic tenent , ut nec ipsi sibi satis præsentes sint animis, nec advertere possint ,se ab alijs in eo deformi oculorum stupore, labiorumque nictatione observari, mente, voluntate, simul & corporis oculis in nefarium opus , aut in opera prava, per fortem imaginationem eius, vel eorum , quæ nequiter machinantur, & animo versant, tamquam in coram posita, iamque ipso opere ex cogitationibus in actum deducta , vel iam iam deducenda, toti absorpti. Ideoq; videri mirum non debet ; hominem eiusmodi inter Religiosos alios in oratione seu vocali, seu mentali simul consistentes, ipsum attonitis oculis aut in terram, aut in parietem aliquem, aut in aliquem ex simul consistentibus , defixis , cum reliquis ne verbum quidem unum promentem; labia non ad precum , vel

[a] *Cornel. à Lap.*

Pſalmorum verba moventem; ſed tantùm ipſa labia mordentem, vel ungves intereà rodentem; aut manu, vel digitis pueriliter colludentem; auriculas ſibi, vel labia vellicantem; cincinnos, aut cilia mulcentem, & corrigentem: Quia talis de oratione, de Deo, vel *De re alia bona cogitare non poteſt*; nec ab ingenij ſui perverſitate animum avocare, vel diſtrahere tamquam à certa malitiæ officina.

3. Id quod ſeptuaginta interpretes in ſuperiùs recitati textûs expoſitione luculentiùs ut oſtenderent, ſic ipſum expoſuerunt: *Qui obfirmat oculos ſuos, cogitat perverſè; & ſtatuit, & decidit omnia mala labijs ſuis, hic fornax eſt malitiæ*. Quid ampliùs in hac expoſitione ſua ſapientiſſimi viri dicere voluerunt; quàm hominem, cui ſit conſvetudo attonitis, & obfirmatis oculis cogitare perverſa, mordendo labia ſtatuere, ac decidere labijs ijsdem omnia mala tamquam omnis malitiæ fornacem, formidandum, & fugiendum eſſe? [a] Fingamus, & imaginemur nobis fornacem illam, quæ à mandato Babyloniæ Regis ſuccenſa fuit ſeptuplum, quàm accendi conſveverat, ſpectare coram: quid aliud expectemus ab ea, quàm horrendas, voraceſque flammas, quidquid iniectum eò fuerit, aut ſi foràs erumpant, omnia depaſcentes? aut foveam omni ſerpentum, aſpidum aliorumque mordacium, & venenatorum inſectorum genere plenam: quid aliud ibi, niſi certum exitium naſci, foveri, nutririque exiſtimetur? Idem eſto iudicium de homine ſuperiùs hìc deſcripto. Nihil aliud iſte in corde fovet; quàm fraudis, invidiæ, odij, ferociæ, rabiei, & omnis malitiæ venenatas beſtias; id eſt affectus inordinatos. Eſt nimirùm omnis perverſitatis fornax, & officina, & quam ſecum aſſiduè circumfert malitiam, hanc etiam alijs, ceu præſentiſſimum venenum, ubi campum habuerit, ſolet inſpirare. Nam verè eſt *Hic fornax malitiæ*.

4. Enim verò non hìc iam ſiſtit divini phyſiognomi de homine, perverſæ indolis ratio-

[a] Dan. 3. 19.

cinatio

cinatio; clariùs, & explicatiùs eius indicia delineat alibi, cùm ait: a *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso* (quod perindè est ac continuè labia rodere, & mordere, vel nihil aliud, nisi mendacia loqui) *graditur*, inquam, *ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.* Quâ sententiæ phrasi depingitur vivo quasi colore, pravum hominis apostatæ, id est Deo, virtuti, & omni bono, honestoque rebellis ingenium. Nam apostata in Hebræo significat Belial; id est, *Primo* inobedientiam, rebellionem, impietatem. *Secundò*, Inobedientem, rebellem, impium. *Tertiò*, diabolum, principem omnis apostasiæ, rebellionis, inobedientiæ, & impietatis. Et in hæc sapientissimi Salomonis sententia depinguntur omninò septem proprietates hominis apostatæ, videlicet Deo rebellis, & nihil boni cogitantis. *Prima*, quòd sit vir inutilis: hoc est; quòd nihil boni faciat, semper noxius; neque pro Dei gloria, neque pro communi bono societatis, in qua vivit, aliquid laboret: sed totus otiosus, suo tantùm nequam intentus genio. *Secunda*, quòd gradiatur ore perverso; id est, uti vertunt septuaginta: *Ambulat in perversitate*: vel, secundum Symmachum, *In perversitatibus*, tamquã nihil boni cogitãs unquam aut faciens; sed totus immersus est omni perversitati. *Tertia*; annuit oculis, id est: sicut mente continuè versat aliquid pravi, & ex una cogitatione vel etiam actione mala devolvitur in aliam; ità & oculis assiduè mobilibus indicat ingenij pravi volubilitatem. *Quarta*, terit pede; Pagninus autem vertit, *Loquitur pedibus*, tamquam ad ingenij linguæque volubilitatem in malum, in fraudes, & mendacia, ipsi quoque pedes eorum in malum ire semper sint parati. *Quinta*; Digito loquitur, septuaginta vertunt: *Docet nictibus digitorum*. Habet nimirùm hoc superbia, & fastus animi pravi, ut velit sensum suum non tantùm patheticâ

a *Prov. 6. 12.*

verbo-

verborum phrasi, sed etiam digitorum nictibus, sicut & stolido palpebrarum diductu, pupillarum tumidâ in audientem porrectione depromere; digitum indicem iam sursùm, iam deorsùm, dextrorsùm, sinistrorsumquè protendere; iam extentos omnes cum palma digitos, huc, & illuc agitare. Id quod plerumque sinistrâ magis, quàm dextrâ manu utentibus est usitatum, manifesto vitiorum in animo latentium signo. In his, inquam, alijsq; digiti, manuumque agitatione loquentibus incònstans, & instar fluctuantis in mari lembunculi, per procellas animus, idemque perversus, indicatur. *Sexta*, Pravo corde machinari malum. Nam sicut nihil unquam potest, quia neque vult, cogitare boni; sic nec aliud solet moliri, nisi malum: non contentus unum perfecisse nefarium opus, oportet, ad aliud, & rursùm ad aliud animum, & machinationem intendat. *Septima* denique proprietas hominis est perversi: omni rempore iurgia seminare. Sic enim pravitati suæ campum aperit ampliorem, dum iurgijs, & discordijs in societate, sivè in domo religiosa glíscentibus, ac præsertim inter eos, quibus incumbit observare vitia, deferre admissa, reprehendere culpas, & castigare noxas, liberiùs exercet sua. Iam tunc ad votum huius apostatæ cedunt omnia; dum hunc quidem per mendacium traducit, illum per calumniam defert; alium per fraudem circumvenit; per adulationem alium; & ità nihil erit penitus, quod perversum hunc hominem Deo, virtuti, omnique honesto rebellem à pravitate sua vel deterreat, vel dimoveat, vel avertat; verè *Virum inutilem*, noxium, & per omnia perniciosum.

5. Bene propterea S. Gregorius indolem eiusmodi, virtute vacuam, describens ait: [a] *Qui statum mentis perdidit: subsequenter foràs inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quòd nullâ interiùs radice subsistat*: tamquam certissimum sit; nullam in illius animo virtutis, honestatis, & probi-

[a] *S. Greg. p. 3. Past. admon.* 24.

probitatis, esse radicem, qui motione pedum, manuum, digitorum, & oculorum loquendo, mentis etiam indicat mobilitatem, & inconstantiam. Rationem huius addit accommodam S. Ephrem, cùm ait: *Sicut enim ex latebris multitudo venenatarum bestiarum egreditur; sic ex corde similium hominum multitudo pessimarum cogitationum procedit.* Sed & S. Bernardus peritissimus ingeniorum pictor Religiosum digitis, oculisque loquentem graphicè delineavit in hæc verba: [a] *Si videris monachum, de quo prius benè confidebas, ubicunque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures suspensas portare; è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoscas. Vir quippè perversus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex insolenti coporis motu recens animæ morbus deprehenditur: quam dum à sui circumspectione torpescit, incuria sui curiosam in alios facit.* Hucusque S. Bernardus.

6. Superest igitur hoc unum, ut Religiosus iuvenis, ac præcipuè tyro, commercium eiusmodi plerumque se importunissimè ad alloquium ingerentis omninò fugiat; certus sibi per eius consortium venenum aliquod malitiæ, instillandum. Nam is, qui nec Deum præ oculis habet, nec per regulam benè constituta custodire paratus est, nec cõscientiæ suæ rationem habet ullam, verus apostata, quid aliud loquatur, & doceat, quàm quod ipse didicit diaboli magisterio? Non hortabitur ad virtutem; quia diligit vitia. non svadebit in obsequio Dei perseverantiam; quia ipse machinatur apostasiam, quam in corde iam fovet. Non excitabit ad Dei, ad divinorum, ad cælestium amorem: quia cor, & mens illius pravorum quidem desideriorum ardore plena sunt, fornax sunt, & officina malitiæ; spiritualium autem rerum odio riget totus, instar Marpesiæ cautis ad Dei amorem, & ad virtutis dulcedinem, emolliri non potest.

7. Proindè sancta illa anima, cui Deus tantùm sapuit, & constans in virtute perseverandi fuit animus, divinis

a *S. Bern. tract. de grad. humil.*

ut me-

ut melius inhærere poſſet mandatis, prudenter in ſocietatem ſecum admittere nullum malignum voluit. Ait itaque: [a] *Declinate à me maligni; & ſcrutabor mandata Dei mei.* Scivit optimè: ſuſurrones eiuſmodi malignos, ſicut ipſi nihil unquam boni cogitant, ſic ad omne bonum, ac præſertim ad Dei mandatorum obſervantiam, etiam alijs eſſe impedimento. In quem Pſalmi verſiculum S. Ambroſius ſcribens, poſtquam dixit: [b] *Si quis ſperat in Chriſtum, ſeparare ſe debet à conſortio perfidorum*, mox recitato verſui rationem addit: *Quia, ubi malignitas eſt, ibi cuſtodia mandatorum cœleſtium eſſe non poſſit.* Et confirmat aſſertionem ſuam alio ſacræ ſcripturæ teſtimonio dicentis: [c] *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Quia videlicet (ut idem Sanctus Pontifex ait) *Simplicem mentem, ac defæcatum animum diligit Chriſtus; nec poteſt immaculatæ virtuti ullum cum maculoſis contubernium eſſe flagitijs.* Nimirùm malus homo, virtute vacuus, inops divinæ gratiæ, probitatis expers, ea, quæ loquitur, cogitat mala; quæ machinatur, ea profert mobilitate prava; quæ verſat, & coquit animo, cum ijs ebullit, non tantùm ut perversè faciat, ſed etiam ut pravitatis ſocios ſibi conciliet; veneno, quod in viſceribus fovet, etiam alios ut inficiat; malignitatem, quam adverſus honeſtum, imò adverſus ipſum Deum impius in animo gerit, ut cum alijs quoque communicet, eoſque ſui ſimiles efficiat. Quare ſi corporis infectos peſtilentiâ fugiunt homines, eò magis has animorum peſtes, innocentes fugiant animæ: ne, quos Chriſtus in amænum Religionis vocavit paradiſum, vir apoſtata cum Angelo deſertore faciat apoſtatare.

a *Pſal.* 116. 115. b *S. Ambr. hic.*
c *Sap.* 1. 4.

CAPUT XII.

§. I.

In Vocatione & Spiritu religioſo roborat, non ad benè facta, ſed ad facienda, mentem intendere.

I. QUàm sit actus heroicus, mundo, carni, quin & ipsi sibi, renuntiâsse per religiosam professionem, & à temporariæ vitæ commodis ad certum in obsequio Dei totum se consecrâsse martyrium, satis explicari non potest. Est enim hoc nihil aliud, quàm voluntariam quamdam adire pro Deo mortem, ac per contemptum vitæ, quâ post Deum nihil est homini charius, in ardentem, eamque diù sustinendam fornacem se dedisse præcipitem; est, totum se cum Isaac in holocaustum obtulisse, ità, ut & corpus, & anima non iam sua sint, sed alterius, id est Dei; sed Christi, cum quo prorsùs in diuturna pendere cruce debeat, ab ipso videlicet ingressu Religionis, usque ad mortem. Hinc Divus Thomas non aliundè religiosi statûs desumit perfectionem, quàm ex eo, quòd *a Religiosi antonomasticè dicantur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes; sicque totaliter Deo adhærentees.* Igitur aspirante Deo licèt actum iam fecerit tàm heroicum, ut ei parem invenire non sit; quia propter Deum, ac propter Creatoris sui charitatem reliquit non solùm ea, quæ vel habuit, vel habere potuit; sed reliquit etiam semetipsum, ut iam non ipse viuat, sed vivat in ipso Christus: attamen non propterea debet existimare se ad aliud non ampliùs obligari, nec aliud iam sibi faciendum esse, quàm quod fecit semel, amplexus amabilissimi IESU Christi Domini Crucem, in qua pendens non iam expectet aliud, quàm vitam æternam. Sed aliud erat, audire Christum Dominum dicentem latroni confessionem in Cruce promenti; *b Hodie mecum eris in paradiso*; aliud, Apostolos, accepisse promissum: *c Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim &c.* vel: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

a S. Tho. 2. 2. *q.* 106. *a.* 1. *in c.*

b Lu. 23. 43. *c Matth.* 19. 28.

Quia latro, cui promiſſus erat paradiſus hodie poſſidendus, iam erat in ultima certaminis ſui meta; ſed Apoſtolis, & omnibus in religioſa vita Chriſtum ſequentibus, grandis adhuc certaminum, atque laborum reſtat via. [a] *Latro videt in tormentis, & tamquam iam in gloria adorat Chriſtum*, ait S. Ioannes Chryſoſtomus; Apoſtoli, & qui nunc Apoſtolorum exemplo ſequuntur Chriſtum, adhuc in certamine, vel in principio, vel in progreſſu relinquuntur ad pugnã: ex quibus nemo fuit coronatus, neque [b] *Coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.*

2. Audivit idem Domini promiſſum Iudas Iſchariotes; ſed coronam conſecutus non eſt: quia cœptum agonem deſeruit. Audiverunt & multi diſcipulorum alij: ſed quia ſupra ſequelam noluerunt fidem, & charitatem ergaChriſtum Dominum attollere, nec quidpiam ad ſequelæ ſtudium ampliùs addere, ut agonis contingerent finem: ideò [c] *Multi diſcipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum eo ambulabant.* Sic in ſucepto Religionis inſtituto, nullum dubium eſt; actionem illam fuiſſe prorsùs heroicam, huсuſque multa iam perpeſſum eſſe paupertatis incommoda, obedientiæ contra humani iudicij rationem acerba; caſtimoniæ per carnis afflictationem pluſquam aſpera. Quis ambigat, hæc, & ſimilia fuiſſe, vel eſſe certum quoddam capeſſendæ beatitudinis æternæ pignus, & datum in anteceſſum? Eſt enim certa, nec fallit, Chriſti promiſſio, *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Ideoque nihil ampliùs inpoſterùm ſolicitus ſit Religioſus, reliquit iam patrem, matrem, ſorores, fratres; reliquit domum, agros, patriam, reliquit omnia, reliquit denique ſemetipſum; ſecutus eſt Chriſtum, & ſequitur: iam in tuto religionis eſt portu; ſacrum habitum induit, vota nuncupavit; vivit ex regulæ præſcripto: nihil iam illi ſupereſt aliud, quàm ut audiat vocantem Chriſtum Dominũ: [d] *Euge ſerve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Securus

a S. Ioan. Chryſ. homil. de Cruce & latrone. b 2. Tim. 2. 5. c Io. 6. 67.

d Matth. 25. 21.

rus sit jam promissi; satis sit, heroicè cœpisse; satis sit & vota nuncupâsse; satis sit, ætatis, & omnis spei mundanæ florem semel consecrâsse Deo; quid ampliùs desideratur?

3. Sed ohe, divinarum dispensationum arbitri, tempestivè nimis, & ad ungvem æstimationis humanæ rationarij; videmini mihi cùm illo adolescente Evangelico fidenter dicere: [a] *Omnia hæc custodivi*, feci, & exsecutus sum *à iuventute mea*; *qnid adhuc mihi deest?* sed audite, quid vobis respondeat Christus alibi: [b] *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Nam quidquid pro Deo fecimus, & facere videmur; re verâ non tàm pro Deo, qui bonorum nostrorum non eget, quàm pro nobis ipsis fecimus. Est enim Deus seipso gloriâ, honore, & divitijs plenus absque nobis. [c] *Si esuriêro* (dicit alicubi) *non dicam tibi. Meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Et apud Salomonem: [d] *Mecum sunt*, ait *divitiæ & gloria, opes superbæ.* Cùm ergò Deus seipso sit gloriosissimus, ditissimus, potentissimus; totius universi Dominus absolutus; omnium, quæ habemus sivè in corpore sive in anima dator optimus, & liberalissimus: certè licèt *Fecimus omnia, quæ præcepta sunt nobis*, imò & quæ consulta sunt nobis, in veritate fateamur, oportet, quia [e] *Quod debuimus facere, fecimus. Quid enim habes*, (Apostolus ait) *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quid, inquam, iactare te potes, & audes, tamquam aliquid magni Deo tuo præstiteris, omnia tua, denique & temetipsum illi offerendo? Hoc ipsum, quod dedisti, tuum non fuit, sed Dei; tu ipse non tuus fuisti, nec es; Sed Dei. [f] *Quia ipse fecit, nos, & non ipsi nos.* Audi S. Bernardum ad hoc propositum disertè, quidnam Deo debeas, exaggerantem. [g] *Ecce*, inquit, *in januis est, qui fecit cœlum, & terram; & Creator tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum.*

a *Matt.* 19. 20. b *Lu.* 17. 10.
c *Psal.* 49. 12.
d *Prov.* 8. 18. e 1. *Co.* 4. 7.
f *Psal.* 99. 3.

g Totum

g Totum ergò, quod es, illi debes, à quo totum habes; illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benè tibi fecit; qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fæcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Quare Domino Deo cùm Religiosus in obsequium offert se, verum quidem est, in oculis hominum hoc videri magnum, præsertim quia voluntatem, quam habet liberam, ipsumque liberi arbitrij usum totum iam tradit arbitrio, voluntatique Dei: attamen quantumcunque voluntas, & libertas in potestate sit hominis; est tamen & ipsa ex optimi Creatoris heneficio. Siquidem anima tota cum potentijs suis, & totus homo secundum corpus & animam non suo, sed Dei beneficio est. ideoq; Creatori suo dedit Religiosus omnia; dedit & semetipsum ex debito creationis.

4. Iam verò quòd ipse Dei Filius hnmanam carnem indutus emerit, & redemerit hominem pretiosissimo sangvine suo; an non ideò debitor est, seque totum debet homo, non sibi, sed Deo? omnes eramus perditi, sub gravissimo crudelissimi tyranni diaboli iugo gemebat universum genus humanum, & Deus, ut à sævissima tyrannide vindicaret me, quem ex nihilo creavit verbo virtutis suæ: *b Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram;* jam eumdem, quem fecit hominem verbo, Incarnati Verbi sui pretiosissimo sangvine emit, & redemit: *c Empti estis pretio magno: d Non corruptibilibus auro, vel argento redempti; sed pretioso sangvine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Cuiùs beneficij magnitudine consideratâ, quòd videlicet Deus *e Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum,* quantum misericordissimo Deo meo retribuo, si me, si omnia mea dem, & tradam ipsi? ô Deus! ô bonitas infinita! si usquam, certè hìc *f Hæreamus sensu, deficiamus ingenio.* Benè iterùm S. Bernardus: *g Si totum,* inquit, *me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam*

g S. Bern. ser. de quadrupl. debito.

b Gen. 1. 26. *c* 1. *Co.* 6. 20.
d 1. *Pe.* 1. 19. *e Ro.* 8. 32. *f S. Leo.*
g S. Bern. tract. de dilig. Deo.

facilè refectus, quàm factus. Nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit; in secundo se; & ubi se dedit, me mihi reddit. Et concludit denique mellifluus Ecclesiastes prorsùs ad amantis animæ tenerrimam colliquationem, ac dicit: *Datus ergò, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro me? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Certè nihil, & nihil. Hucusque oraculum Claravallense.

5. Iam ergò quidquid fecerimus,&quidquid dederimus Deo, in veritate confiteamur, oportet: *Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Et tamen Dominus Deus ex infinita bonitate, & liberalitate sua factum hoc, quòd se quis offerat ipsi totum in holocaustum per religiosam professionem, acceptat, non tamquam debitum sibi, sed tamquam proprium hominis, in homine donum suum liberalissimum ipse præmio beatitudinis æternæ donaturus, & coronaturus. Meritò propterea vigintiqvatuor illi seniores in Apocalypsi, a *Cùm darent* quatuor *animalia gloriam, & honorem, & benedictionem, sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum*, etiam ipsi descendentes de thronis suis, tamquam non suis, *Procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, unâ voce confitentes atq; dicentes: Quia tu creâsti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Prorsùs circa beneficium inæstimabile tàm creationis, quàm redemptionis idem ferè sit iudicium, quod de matribus infantes suos parvulos tenerrimè diligentibus. Solent illæ subindè pusionibus suis colludere; blandiùs arridere; tùm verò, si quod habeant in promptu pomum, vel crepundiorum quidpiam aliud, ad ipsos magis exhilarandos, porrigere: & dum infans ipse quoq; cùm voluptate illo se matris oblectat dono, vel etiam ori admoveat

a *Apoc. 4. 9. & sequ.*

movet, ac incipit manducare, mater affectum pusionis exploratura, rursùm porrectâ manu, digitisque mobiliter ludibundis infantulo blanditur, & tamquam ipsa quoque pomo se refectura datum repetit, ac rogat sibi dari. Pusio gratificaturus matri, reddit alacriter, & matrem exhilarat tamquam suo, & tamen non suo; quia datum hoc matris erat. Sic & Deus Optimus hominem creavit secundum omnia; redemit secundum omnia; dedit ipsum ipsi homini secundum omnia: & dum homo, Religiosus inquam, Deo se totum dat, & consecrat in obsequium; dat, & reddit datum sibi tamquam suum, & tamen non suum. Deus autem ex infinita bonitate sua libenter acceptat à Religioso suum, tamquam non suum.

6. Et propterea licèt heroicam actionem exhibuerit in oblatione sui Religiosus, & in hodiernam usque diem semper exhibeat; non tamen hìc iam sistere debet; nec ad anteacta respicere, tamquam perfecerit omnia. Plus ultra quotidie tendat, est necesse: nec undè venerit; sed quò pergat; non principium, à quo currere cœpit, sed finem, & metam, quæ sibi currendo contingenda restat, aspiciat. Hucusque fecit, quæ facere debuit; iam posthac faciat, quod facere debet: hoc est; eàdem animi fortitudine, devotionis eodem affectu, fervore spiritûs eodem, disciplinæ studio, exercitationis assiduæ sedulitate, quibus cœperat, ità currat; tamquam nihil fecisset hactenus, donec ad finem perveniat, & comprehendat. Ita magnus ille Magister gentium ad tertium usque cœlum raptus, etsi iam in gratia confirmatus, accipiendæ coronæ pro laboribus, & perpessionibus suis in cœlesti gloria certus erat: sic enim scribens ad Timotheum se consolatur ipse, dum ait: [a] *Positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister gentium; ob quam causam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Depositum, inquam; illam scilicet

[a] 1. Tim. 1. 11.

coronam iustitiæ, de qua protestatus alibi, *a* *Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Hic, inquam, magnus Apostolus, & magister gentium, etsi certus erat repositæ sibi in cœlesti gloria coronæ pro tot, tantisque laboribus exantlatis in Evangelij prædicatione, in qua laborabat usque ad irrogata sibi verbera: *b* *Ter*, ait ipse, *virgis cæsus sum, semel lapidatus sum; in labore, & ærumna, in fame, & siti; in frigore, & nuditate:* desudabat usque ad coniectionem in vincula: in Evangelio *c* *Laboro usque ad vincula, quasi malè operans;* conflictabatur ærumnis, & calamitatibus usque ad mortem: *d* *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter;* & tamen non quasi iam perfectus esset, iamque comprehendisset omnem perfectionis Apostolicæ rationem, nec ampliùs aliquid superesset sibi laborandum; sed tamquam adhuc plurima facienda sibi restarent, omnium oblitus anteactorum, in hoc unum semper erat intentus, ut omnem operam suam, imò & semetipsum totum extenderet ad ea, quæ supererant perficienda.

7. Sed meliùs indefessum hoc Apostolici ministerij studium exposuerit nemo, quàm ipse tantorum laborum stadiodromus indefessus. Sic enim ille, postquam configuratum se passionibus, & morti Christi pronuntiavit, Philippensibus inculcat: *e* *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam.* Et post pauca: *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendisse*, puta metam perfectionis, bravium, & coronam cœlestem. *Vnum autem, quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* In quæ verba scribens S. Ambrosius ait: *f* *Qui intelligit, sui causâ Christum hominem factum, & passum, & victa morte resurrexisse; contem-*

a 2. Tim. 4. 8. *b* 2. Co. 11. 25.
c 2. Tim. 2. 9. *d* 2. Co. 11. 23.
e Philip. 3. 13. *f* S. Ambr. hîc.

ptis, & spretis omnibus hunc sequitur, cuius præsidio videt se à morte liberatum, quærens causas ad promerendum eum, ut vel in aliquo illi vicem possit reddere, ut adhuc maiora consequi mereatur promissa in resurrectione. Ac demùm interiectis alijs ait: *Hoc est, quod supra dixit; quia adeò laborare se significat, ut quotidie in meliùs proficiat, semper extendens se ad potiora, ut illa, quæ retrò acta sunt, obliviscens, meliora sectetur; non quia mala sunt, sed quia parva sunt ad meritum collocandum, in melius autem proficiendum, ut ad destinatum cœleste præmium occurratur.* Hucusque Sancti Præsulis ambrosiata sententia. Idem ab eodem indefessi cursoris exemplo S. Hieronymus ad perfectionem aspiranti Celantiæ nervosis verborum sententijs inculcat; & [a] *Beati*, inquit, *qui non sibi de præterita iustitia blandientes, secundum Apostolum per dies singulos in virtute renovantur. Iustitia enim non proderit, à quo die iustus esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ sit, ut peragere possis iustitiam, ne de præterita iustitia confidens remissior efficiaris: sed, sicut ait Apostolus, posteriora obliviscens, ad ea autem, quæ sunt anteriora, me extendens ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis. Idcircò age, ut ordines reliquum tempus vitæ tuæ sic, ut possis canere cum propheta: perambulabam in innocentia cordis mei. Quia inchoâsse non sufficit; sed perfecisse, iustitia est.* Ità S. Hieronymus. Sed notate hoc benè, religiosæ animæ; ac ter, & ampliùs iterate: *Quia inchoâsse non sufficit; sed perfecisse, iustitia est.*

8. Cæterùm huic maximi Doctoris sententiæ ne verbum quidem unum addere scio: sed possum tamen dicere; vocationem, ac spiritum religiosum plurimum roboris, & incrementi accipere, non ab anteactorum respectu, sed ab eorum, quæ facienda restant, intuitu. Nam illa cursum debilitant, ac retardant; ista magis excitant, & impellunt. Viator ad peractam respectans viam, plus habet fatigationis, quàm levaminis, iter suum tardat, propositi termini tædium sensim inducit, etiam à scopo tantùm non aberrat. &

[a] *S. Hieron.*

nisi desiderium perveniendi ad præfixam extendat metam, langvore plerumque victus, etiam deficit. Quantò magis etiam nos, in patriam nostram qui pergimus, Religiosi; in cœlum ad Deum, qui solus desiderium nostrum, summum bonum nostrum, vera beatitudo nostra est, non respectemus ad ea, quæ iam exantlavimus; sed ad scopum perfectionis, & ad finem, ad quem tendentes in hoc miserabili corpore peregrinamur à Domino, non solùm desiderijs, sed etiam laboribus adhuc exantlandis, cum Apostolo nos extendamus? *Extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Et quidem aptissimè dixit de se, & consequenter de omni fideli servo Dei idipsum dicere voluisse videri debet Apostolus, cùm ait: *Ad ea, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Voluit hac metaphoricâ phrasi, desiderij, & operum pro cœlesti gloria faciendorum exprimere vehementiam, & virium intentionem, quâ ad propositum finem contingendum adnitebatur; & unumquemque probum Christianum, multò magis & unumquemque Religiosum adniti debere docuit, sumptâ metaphorâ, vel similitudine ab illo, qui rem quampiam à se longiùs, quàm possit manu pertingere, vel altiùs, distantem, omnes intendit vires, ac nervos in extendendo manum, pedes, & totum se ad apprehendendæ rei contactum, adeò, ut nonnunquam etiam in nervis, ac venis aliquem experiatur præ violentia dolorem. ità qui verè optat contingere, ac pervenire desiderat ad perfectionis scopum, & ad beatitudinis æternæ bravium; illuc, quò tendit, extendat se viribus, ac nervis omnibus; est necesse; nec aliò mentem, desideria, operaque sua dirigat, quàm ad bonum vitæ finem, in cœlum, ad Deum.

9. Quæ quidem ad anteriora extentio fieri potest, imò & debet, tripliciter: in primis per desiderium; id est: ut semper desideret homo proficere; semper etiam plus desideret, quàm præstare possit. Qui licèt, quantum ad e-

xercitationem, & disciplinam, nihil addat novi, nec plura semper, ac plura prioribus superinducat precandi, carnem affligendi, & id genus alia spiritualia exercitia; hoc enim esset, & est plerumque, supra vires & consveta non intermittere, & simul nova consvetis addere: debet tamen eadem exercitia sua bona, tamquam minimè aliquid horum præstitisset, constanter prosequi; plura desiderare. Nam quando Sancti Patres, ac magistri spiritûs urgent profectum semper in melius, hoc inculcatum esse volunt, nimirùm à bono non deficere; benè cœpta tenore quidem eodem, sed maiore, quantum fieri potest, spiritûs; ac fervoris intentione prosequi; quotidianorum defectuum, & imperfectorum correctioni, emendationique diligentiùs advigilare; affectuum inordinatorum impetus, & passionum impugnationes attentiore studio retundere; nullum diem elabi sine linea, & sine virtutis alicuius exercitio permittere; in ea benè cœptorum diligenti prosecutione Deum, ut finem ultimum, semper amare, desiderare, sincerè colere; mentem, animumque semper ad divinæ gratiæ consequendam plenitudinem extendere. Ità docere videtur S. Augustinus, cùm ait: [a] *Tota vita Christiani* (certè & boni Religiosi) *Sanctum est desiderium proficiendi. hic sinus noster est; hic saccus. Et quia angustus est, extendendo facis capaciorem*, gratiæ videlicet, donorum, & illustrationum cœlestium. *Desideremus ergò, fratres, quia implendi sumus.* Deindè fit extentio per studium acquirendi virtutes illas, quas sibi quis deesse videt; eas quidem, quas Dei gratiâ consecutus est, non solùm habitu, sed etiam actu exercere non intermittat. Nam *Meremur actibus, non habitibus*: eas autem, quæ sibi desunt, à Deo precibus implorare, & pro virium facultate pariter exercere studeat. Hoc enim est, ad perfectionis metam gressum promovere, recteque ad Deum tendere. Quam in rem appositè S. Basilius super illud Geneseos: *Crescite & multipli-*

a S. *Aug. tract.* 4. *in ep.* 1. 5. *Ioan. to.* 9.

tipli-

tiplicamini : *Anima*, inquit, *crescit*, *dum quotidianâ propagatione*, *se ad perfectionem promovet. Nobis dictum est*: *crescite ratione mirâ interioris hominis*, *quo se promovente rectâ ad Deum contendimus*. Et postea paucis interpositis : *Ipsa*, inquit, *hæc extensio in hoc sita est*, *ut ad ampliora iam quæsitis quotidianâ propagatione nos extendamus* (id est, ad eas, quæ nobis desunt virtutes, & ad labores alios exantlandos) *nimirùm*, *ut eo quidem*, *quod assecutus iam es*, *è memoria sublato* (intellige, tamquam illud non exercuisses, nec tamen ideò cesses exercere) *id demùm prosequare pro virili*, *quod ex perfectæ pietatis cumulo tibi agnoscis deesse*. *Postremò* fit hæc extentio, sicut innuit hìc recitata Divi Basilij sententia per mentis ad anteriora intentionem : id est ; ità, quæ sunt ante nos adhuc facienda, semper versare mente, tamquam ea, quæ præterita sunt, bona nulla fuissent. Et hoc est, quod dicit Sanctus Antistes : *Eo*, *quod assecutus es*, *è memoria sublato*.

10. Huius eximij profectûs, & intentionis ad anteriora, typum gesserunt illa quatuor apud Ezechielem animalia, quæ [a] *Non revertebantur*, *cùm incederent*; *sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur*: hoc est; quò non dumcontigerant pedibus, ibi iam erant aspectu, mente, ibi affectu, & desiderio, id quod erat verè *ante faciem suam* ambulâsse. Sic & Religiosus, etsi non dum in meta consummatæ perfectionis; hæc enim nonnisi cum vitæ consummato cursu terminum habet, etsi nondum in patria : tamen virtutis stadium ità currat, ut currendo sit quidem adhuc in via; sed mente, ac desiderio iam sit fixus ibi, quò aspirat; ut alacriùs currat : [b] *ut inter mundanas varietates* (orat sancta Mater Ecclesia) *ibi nostra fixa sint corda*, *ubi vera sunt gaudia*. [c] *Quasi enim per quamdam viam sanctis incedere est*, *mente semper ire ad meliora*, Sanctus ait Gregorius. Et hoc est, quod vocationem constantem reddit; spiritum ad non deficiendum accendit; cor ad desiderandum cœlestia vehemen-ter

a Ezech. 1. 9. *b Domin.* 4. *post. Pas.*
c S. Greg. hom. 3. *in Ezech.*

ter inflammat. Quod quidem assiduum desiderium tàm non deficiendi, quàm semper in melius proficiendi, tùm & Deum in æterna beatitudine videndi, est certa animæ vita, certissimum inhabitantis in anima divinæ gratiæ, sivè ipsius Dei vestigium. Tale desiderium erat divini Psaltæ, cùm dixit: [a] *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore*; tamquam in iustificationibus, & mandatis Domini exsequendis nihil sibi profecisse visus, & à perfectionis meta procul adhuc dissitus, non tantùm concupivit, sed ampliùs etiam concupiscere semper desideravit; id est (utibenè versiculum hunc premens in suo Iob elucidato Corderius ait) [b] *Motus animi, vim mentis, pietatis ardorem, amplificare in dies cupiebat, & desiderij vela tendere.* Et alibi de divinæ gratiæ præsentis indicio: *Hoc perfectionis*, inquit, *desiderium, quod à Dei per gratiam præsentia dimanat, eamdem gratiam præsentem indicat: quæ animam iam iustitiam prægustantem ad ampliorem amorem eius alliciat.*

II. Hoc incitamento gratiæ interiùs animam moventis si quando careant viri sancti, sicut subindè ad probationem exercentur à Deo, summam experiuntur animi desolationem, & quamdam spiritûs defectionem. Quod in se patientissimus in suæ exercitationis theatro persensit Iob, cùm ad Deum sic ait: [c] *Abstulisti quasi ventus desiderium meum.* Nam quasi mortuus, & à Deo desertus videbatur sibi, cùm pressus ærumnâ, & inexplicabili calamitate totus afflictus, non sibi satisfaciebat, lentior, aridior, & remissior sibi visus in charitate, cœlestium desiderio propè nudus, & vacuus, ac animæ vitâ destitutus. Ideò Psaltes regius tamquam & ipse similem expertus in anima desiderij mutabilitatem patheticè protestatur recitatis iam superiùs verbis, *Concupivit anima mea desiderare*; ut, dum aridum se, ac ieiunum quodammodò cognosceret in desiderando, saltem ipsum desiderium deside-

a *Psal.* 118. 20. b *Corder. in Iob. Elucid. c.* 30. *v.* 15.

c *Iob.* 30. 15.

randi

randi Deum suspiraret, & imploraret. Sed S. Ambrosius hunc Psalmi versiculum ad superiorem videtur referre sensum, & ad vehementius consequendi cœlestia desiderium, atque ad ampliorem spiritu vivendi vitam, cùm ait: [a] *Non dixit; concupivi judicia, sed, concupivi desiderare.* Statimque subdit sui sensûs aptissimam rationem: *Sicut enim vitâ vivere plus est, quàm vivere: vivere namque commune etiam hujus est vitæ; vitâ vivere, beatorum est: sic concupiscere, ut desideremus judicia Dei, plus est, quàm desiderare judicia. Concupiscimus enim desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderium, sed gratiæ Dei.* Ità divinissimè S. Præsul. Quo satis indicat; hoc esse præsentis gratiæ divinæ luculentum signum, cum anima desiderat desiderare; desiderio desiderat Deum, cœlestia, perfectionem. Undè post pauca Sanctus idem concludens ait: *Concupiscamus ergò & nos, desiderare judicia Dei, & concupiscamus desiderare in omni tempore, ut nullum momentum bonæ prætereat vacuum cupiditatis.* Cæterùm ô viri desideriorum, animæ religiosæ, ut assiduè desideretis, & vehementissimè desideretis, Apostoli non in vacuum currentis hanc paragraphen paræneticum ad nos omnes hoc claudat epiphonema: [b] *Sic currite; ut comprehendatis.*

a S. Ambr. serm. 3. in Psal. 118.

b 1. Cor. 6.

§. II.

Continuum Dei, perfectionis, & beatitudinis æternæ desiderium, ipsum est primitiarum spiritûs in Cælo repositum pignus.

I. Ex dictis superiore paragrapho liquet facilè; inter Deum, & hominem sivè in sacro baptismate, sivè post susceptum baptismum in vocatione ad statum religiosum, quemdam intervenire contractum. Et quamvis Deus absolutus Dominus omnium non habeat opus, ut cum homine, qui tàm ex ipso creationis, quàm etiam ex redemptionis, tùm & ex omnium gratiarum à Domino Deo liberalissimè sibi collatarum beneficio se totum debet summo benefacto-

ri, pa

ri, pactum aliquod, seu contractum ineat ad obsequium sibi præstandum, cùm absolutè Domino Deo tàm se, quàm omnia sua debeat homo: nihilominùs, quia libertatem ipsi dedit Deus, & dat, eligendi, quod vult, & homo semper habet voluntatem liberam; ideò Deus idem ex immensa bonitate sua non recusat cum homine pacisci: ut, dum in sacro baptismi fonte renuntiat homo satanæ principi tenebrarum, & omnibus pompis eius, seq; totum optimo Creatori suo tradit per fidei Sacramentum, ad ei fideliter serviendum, vicissim Deus per gratiam in baptismo iustificantem, obliget se ad non deserendum illum, ad danda pro tentationibus superandis auxilia, & ad conferendas gratias omnes, quibus deinceps promereri possit gloriæ cælestis hæreditatem. Similiter in vocatione ad Religionem, quæ vocatio similiter est gratia quædam ex superabundanti concessa; dum eam homo non respuit, sed perfectiùs eidem Creatori suo serviturus, omnem, quam habet libertatem, vicissim propter Deum tradit in manus superioris, Deus quidem tantæ gratiæ dator iterùm cum Religioso novum quemdam init contractum, & gratiam vocationis, ac Religionis ideò confert, ut præter gloriam essentialem omni creaturæ rationali Deum amanti, sivè omnibus in Cœlo communem, etiam peculiarem, mereri possit. Religiosus autem vicissim Deo totum se tradendo, mancipandoque, cùm per ingressum in Religionem, tùm etiam per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ in holocaustum, cùm non possit illam perfectam charitatem, & servitium suum offerre Deo, dum est in via, sicut dum erit in patria, quasi vadimonium quoddam, & pignus eidem Deo suo reponit intereà voluntatem suam, ad desiderium, quæ sunt in Religionis ingressu quædam primitiæ spiritûs, & has acceptat Deus custodiendas usque ad finem in æterna beatitudine consummandum per charitatem perfectam. Verè enim ad Deum

in oratione sua sapientissimus Salomon: [a] *Domine Deus Israël*, inquit; *Non est similis tui Deus in Cœlo de super, & super terram deorsum. Qui custodis pactum, & misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Qui custodisti servo tuo David Patri meo, quæ locutus es ei*, & promisisti. Igitur ex hac ratione mutuus quidam inter Deum & hominem intercedit contractus; ut homo per exercitationem & disciplinam perfectioris vitæ gratiam sanctificantem infusam sibi fide custodiat integrâ, & Deus vicissim voluntatem traditam sibi, primitiasque spiritûs pariter conservet, gratiâ suâ foveat, ac nutriat per sanctas inspirationes, & motiones ad exercendum ea, quæ pertinent ad vitam perfectiorem, atque ad perseverandum in electa vocatione per auxilia gratiæ concomitantis in pugna cum tentationibus, per subsidia quoque gratiæ efficacis in tentationibus ijsdem superandis.

2. In quo contractu mutuo statim etiam intervenit quidam quasi actus iustitiæ tàm ex parte Dei gratiam fideliter custodientis in homine se se obligante, quàm etiam ex parte hominis voluntariè se mancipantis ad Deo fideliter serviendum, & servandum id, quod promisit tàm per susceptam vocationem, & effectui datam electionem statûs religiosi, quàm per votorum nuncupationem. Itaque Deus, qui est ipsa iustitia, iustus pariter & fidelis est in traditi sibi depositi custodia, sivè in conservanda voluntate illa prima, quam Religiosus in religionis ingressu, vel etiam in votorum nuncupatione totam deposuit, & tradidit Deo Creatori suo. Fidelis, inquam, est, nec fallit, quamdiù Religiosus, penes quem semper est libertas (ut docet [b] S. Thomas) servandi fidem, aut non servandi, etiam ipse Deus non violat pactum. Et hanc misericordissimi Dei fidelitatem commendat nobis sacra scriptura plurimis in locis, ac præcipuè per Moysen ità dicentē: [c] *Deus fidelis, & absq; ulla iniquitate, iustus; & rectus*. In

[a] 3. *Re*. 8. 23.

[b] *S. Tho. p.* 1. *q.* 83. *a.* 1. *ad* 3.

[c] *Deut.* 32. 4.

qua diviniſſimi prophetæ phraſi quatuor veniunt notanda. *Primum* fidelitas, ſivè (ſicut accipiunt omnes Interpretes) firmitas, & immutabilitas, ac conſtantia in cuſtodiendo fideliter pacto: [a] *Fidelem dicimus Deum* (ait Lorinus) *cui credimus; cùm nunquam fidem feſellerit credentium, nec fædus initum violaverit. Secundum*, Sinceritas ea, cui nulla fraus, & dolus intervenire poteſt: ſicut è contra plerumque homines parùm ſincerè promiſſa præſtant. At Deus abſque ulla iniquitate, fraude, vel dolo, depoſita noſtra cuſtodit. Hinc rectè Apoſtolus: [b] *Scio*, inquit, *cui credidi, & certus ſum; quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Quare ſicut per hoc depoſitum, de quo hic ait Apoſtolus, interpretes quidam, uti Theophylactus, Anſelmus, & alij, intelligunt [c] *Apoſtolatum, & prædicationem Evangelij tamquam theſaurum laborum, & paſſionum pro Evangelio à ſe obitorum, quem à ſe collectum Paulus patiens, & moriens apud Deum quaſi depoſuit*; ità & Religioſus mancipationem voluntatis, & libertatis ſuæ in obſequium Dei dici poteſt, theſaurum primitiarum ſpiritûs ex pura charitate apud Deum depoſuiſſe; & quotidie per exercitatos actus fidei, ſpei, charitatis, & aliarũ virtutum, item & certaminum pro virtute, & paſſionum, deponere. *Tertium*, iuſtitia, Deus enim ſicut in decernendis adverſum impios ſupplicijs eſt iudex æquiſſimus, ità ut ne in minimo quidem argui poſſit illatæ cuipiam iniuriæ, ſiquidem nonniſi ſecundum opera ſingulorum, ex quibus unuſquiſque ſibi conſcivit, & commeritus eſt, pœnam imponit: ſic & in cuſtodienda ſervitij oblatione ſibi facta iuſtum agit arbitrum, ne vel in minimo depoſitori ſuo fiat iniuria. Quare fidenter Apoſtolus: *In reliquo*, inquit, *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Quam quidem coronam iuſtitiæ, unicuique virtuti ex quadam iuſtitia debitam, iuſtè meritam, & iuſtâ Dei iudicis ſententiâ decernendam reddet. Ut autem

[a] *Lorinus hic.* [b] *2. Tim. 1. 12.*
[c] *Cornel. hic.*

beatitudinem, & gloriam æternam ex condigno mereri possimus, eam facultatem merendi meruit nobis Christus, accedente maximè Dei promissione, quâ nobis ex mera liberalitate sua promisit, se bonis operibus nostris mercedem daturum, non quidem ex iustitia rigida, sed tali, qualis inter patrem, & filium; servum, & herum; creatorem, & creaturam esse potest. Consequenter itaque S. Augustinus ait: [a] *Debitorem se fecit Deus non tantùm sibi, sed & Christo, & nobis; ut illi dicere possimus: redde, quod promisisti; quia fecimus, quod iussisti.* *Quartum* denique, quod in Moysis sententia notetur, est rectitudo: quæ consistit in eo, ut in nullum penitùs, quod falsum, aut erroneum, aut temerè præsumptum sit, deviet. Hinc illi tres in media licèt ignis ardentis fornace colligati pueri, pleni tamen fiducia, quâ fidem suam in eo fortissimo certamine Deo servatam, & spem in illo depositam sperabant coronandam, Optimi Dei depositarij rectitudinem plenis vocibus prædicabant, dicentes: [b] *Iustus es Domine, in omnibus, quæ fecisti nobis; & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ.* Quæ quidem in Deo quatuor attributa non tantùm ideò, quòd in ipso simplicissimo, nec ullam divisionem patiente sint idem; sed etiam ex natura sua singula recidunt in idem; quòd nimirùm Deus fideliter cum servorum suorum deposito procedat, neminem fallat, cum nemine quocunque modo perperam agat. [c] *Quia nullus speravit in Domino, & confusus est,* sapienter monet Ecclesiasticus; aut, sicut exponit Syrus; *Quis credidit in eum, & dereliquit eum?* Et quidem adeò Deus est fidelis, & rectus, ut non tantùm iusto, sed & peccatori (sicut S. Ioannes Chrysostomus explicat) speranti in se, eique se & sua credenti servet creditum. Iam si peccator spe suâ non frustratur; quantò magis iusto, se, vitam, & voluntatem suam liberam in Dei manus deponenti, servatur depositus hic thesaurus, integrâ fide, nullo interveniente dolo, iustè, rectè? ut

a S. Aug. serm. 16. de verb. Apost.

b Dan. 3. 27. c Eccli. 2. 11.

nullus iam dubitet Religiosus, quin optimo loco suam deposuerit electionem, & primitias spiritûs: illud nimirùm, quo se quondam in holocaustum obtulit, & offert quotidie Deo, vehemens eidem serviendi desiderium, ità, ut dicere possit cum anima sincerè Deum amante: a *Domine, ante te omne desiderium meum.*

3. Enim verò sicut ex pacto servat Deus, & custodit animæ religiosæ depositum; ità vicissim ipse quoque Religiosus ex eodem obligatur pacto custodire, & servare gratiam sanctificantem fide integrâ, nulla interveniente fraude: sed iustè, & rectè, non declinando sivè ad dextram, sivè ad sinistram, quod præstare debet per accuratam consiliorum Evangelicorum observantiam, per instituti regularum fidelem custodiam; per trium votorum, in nostro autem Instituto etiam per quarti voti, quod est iuventutem erudire iuxta formam Brevis Pauli V. sinceram expletionem, & in ijsdem perseverantiam usque ad mortem. Atque hoc est pariter in se custodire primitias spiritûs, easque non semel, sed quotidie; sed (quãtum fieri potest) singulis etiam horis in cœlo, sivè in Dei sinum reponere. Quod faciunt illi, qui cum Apostolo semper extendunt se ad anteriora, sivè ad ea, quæ ante ipsos sunt, alacriter in obsequio Dei, in oblatione sui, & in perfectionis stadio continuè proficiendo. Dicit propterea S. Augustinus: b *Perfectus est, qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare.* Luculentiùs autem primitias spiritûs expressit S. Paulus Apostolus, ubi sic ad Romanos, sed & ad nos omnes, ait: c *Primitias spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Ubi satis apertè docet; eodem spiritu, quem acceperat in sui vocatione ad prædicandum Evangelium, se ad Deum quotidie ingemiscere, ac suspirare; ut demùm aliquando consummatam consequatur in cœlesti gloria filiorum Dei

a *Psal.* 37. 10.

b *S. Aug. lib. de perfect. iust. c.* 9.

c *Ro.* 8. 23.

adoptionem. Ideoque per primitias spiritûs ab Apostolo commemoratas S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus, & alij, non intelligunt aliud, quàm spiritum illum primum, quem in gratia iustificante, & sanctificante fideles accipiunt omnes Christiani, sicut omnes etiam Religiosi in Religionis ingressu; nimirùm primos fructus, & pingvedinem spiritûs, veram scilicet Dei cognitionem, & amorem, quo beatitudinis æternæ spem prælibant cum affluentia divinæ consolationis.

4. Has ergò primitias spiritûs, hanc pingvedinem, in oblatione sui in perpetuum holocaustum Deo, sicut in prima sui consecratione tamquam pignus aliquod certum in Dei sinum deponunt Religiosi; sic eamdem spiritûs pingvedinem per continuum perfectionis, Dei quoque, & beatitudinis æternæ desiderium, in cœlo quotidie reponunt, dum semper extendunt se, non ad ea, quæ iam aut fecerunt, aut passi sunt, sed ad ea, quæ superunt facienda, vel patienda. Quam extentionem egregiè docemur exemplo Sylvani cuiusdam Abbatis. Hic aliquando rogatus ab Abbate Moyse; an possit homo per omnem diem initium facere conversationis? respondit: [a] *Si est homo operarius, potest per omnem diem, & per horam inchoare initium conversationis suæ*. Et Abbas Pambo. *Moriturus ait: Non pœnitet me sermonis alicuius, quē locutus sum hucusque in hanc horam: & sic vado ad Dominum, quasi qui nec initium fecerim serviendi Deo.* Atque hoc erat verè tàm gratiam sanctificantem pretiosissimum Dei depositum initio bonæ conversationis infusam fideliter custodivisse, quàm quotidie, imo singulis horis obtulisse Deo primitias spiritûs; siquidem ità moriebatur, *Quasi qui nec initium fecerit serviendi Deo*, ideoque per omnem diem, & per omnem horam inchoabat initium bonæ conversationis suæ; & depositi sui memor, illud apud Deum quotidie novo desiderio, tamquam nihil adhuc fecisset, alacriùs illi serviendi reponebat.

[a] *Ex vit. Patrum lib. 5. to. 1. num. 16.*

5. Illu-

5. Illustre quoque veræ perfectionis, & erga Deum, æternãque beatitudinem continuè flagrantis desiderij S. Augustinus in se, suaque matre S. Monica iam propediem moritura commemorat exemplum. Hic iam Dei gratiâ per sanctæ Matris lachrymas, & preces impetratâ, ab hæresi Manichæorum ad veram fidem, ab inveterato pravæ consvetudinis usu ad Deum seriò, sincerèque conversus, & monasticum indutus habitum cum eadem matre sua proficiscebatur in Africam, ibi videlicet in patria sua novum Deo perfectiùs serviendi genus, & institutum vivendi religiosè propagaturus. Igitur ad ostia Tiberina appulsi Mediolano, dies aliquot remoti turbis (ut ait ipse) [a] *Post longi itineris laborem instaurabant se navigationi.* Et dum ità cum sola matre remotus ab alijs valdè dulciter colloquebatur, *Et præterita obliviscentes in ea, quæ ante sunt, extenti quærebant inter se apud præsentem veritatem,* quæ Deus ipse est, *qualis futura esset vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* accendebatur in ipsis magis, ac magis æternæ vitæ desiderium. Prosequitur ergo Sanctus Doctor describendo flagrantissimos erga Deum ardores, quos colloquium illud in eorum cordibus excitabat, & illud ipsum ardentissimum incommutabilis felicitatis desiderium in hæc describit verba: *Et adhuc ascendebamus interiùs, cogitando & loquendo te* (Domine Deus) *& mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israël in æternum veritatis pabulo. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attingimus illam modicè toto ictu cordis; & suspiravimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritûs.* Ità de se, deque sancta Matre sua, flagrantissimus æternæ beatitudinis Augustinus. In qua pathetica desideriorum narratione tota vis & energia proposito nostro accommoda est in eo præcipuè, quod dicit: *Reliquimus ibi religatas primitias spiritûs:* id est; ad cœ-

[a] S. Aug. Confess. lib. 9.

ptum & si revertebantur sanctæ illæ duæ animæ, ab ecstatico ad cœlestia raptu, colloquium suum; nihilominùs illum spiritum & charitatem Deo debitam, quam pridem acceperunt infusam sibi, eamq; continuis aliàs desiderijs apud Deum in cœlo instar certi religatam habebant depositi, tūc magis accensi *Toto ictu cordis* suspirantes adhuc primam illam spiritûs pingvedinem, veram Dei cognitionem, dilectionem, & tenorem eumdem amandi Deum reliquerunt in Dei manibus, tamquam certum depositum religatum.

6. Ità solent ij, qui semper depositi sui, sed & pacti cum amabilissimo Deo semel initi memores ab ardenti serviendi Deo spiritu, quo semel cœperunt, nunquam remittunt, continuè cogitare Deum, cœlum, & perfectionis in cœlo consummationem, seu perfectionis in illa æterna beatitudine consummandæ scopum. Est enim verissimum, quòd *Anima plus ibi est, ubi amat, quàm ubi animat*: & ipsa summa Veritas Christus Dominus idipsum immutabili confirmat aphorismo, cùm ait: [a] *Vbi thesaurus vester est; ibi & cor vestrum erit.* Boni Religiosi non habent thesaurum alium, nisi Deum in cœlo; in hoc etiam omne desiderium ipsorum sit defixum, in quo & depositum ipsorum est; illuc semper se extendant, oportet. Hinc non mirabar olim, venerabilem senem nostrum P. Ioannem Dominicum à Cruce Podolinij, tunc Præpositum Provlem, die 29. Iulij Anno Domini 1662. piè demortuum; quòd in ultima iam ægritudine sua præter alia ad Deum, & ad cœlum sancta suspiria, quoties ægrum è lecto (sicut petebat) ad patentem ducebamus fenestram, toties oculis in cœlum sublevatis, altum suspirans hæc frequentabat verba: *ô Cœlum! ô Cœlum!* Quia enim sciebat, se iam propediem ex hac mortali migraturum vita; ideò miseram istam lacrymarum vallem pertæsus, illuc aspirabat, suspirabatque; ubi thesaurum suum Deum, & in Deo exercitationum, & laborum in religiosæ vitæ stadio

a *Lu.* 12. 34.

exan-

exantlatorum, maximè verò primitias ſpiritûs, depoſitum in eiuſdem optimi Dei ſinu fideliter ſibi ſervatum habuit in cœlo. ò cœlum! ô cœlum! ô beatitudo vera! quàm deſiderabilis es illis; quibus eſt intellectus, ut te ſolum Deum cognoſcant, & ament. Qui primitias ſpiritûs in ultimo ſuæ migrationis puncto ibi depoſitas, & religatas habent, & *Ibi eorum fixa ſunt corda, ubi vera ſunt gaudia.* ô Cœlum! ô Deus! hunc [a] *Intellectum da mihi, & vivam.*

CAPVT. XIII.

§. I.

Amor Dei ſicut omnium gratiarum Cæleſtium, ità & religioſæ vocationis eſt princeps cuſtos.

I. Cùm omnis homo plurimis titulis obligatus ſit amare Deum; certè Religioſus ad amandum ipſum obſtringitur multò magis, non tantùm propterea; quia Creator, & Pater ſuus eſt; quia per Filium eius vnigenitum amabiliſſimum Ieſum redemptus eſt; quia per Spiritum Sanctum illuminatus eſt; quia Deus ipſum conſervat, ut providus; nutrit, ut beneficus; gubernat, ut Dominus; cuſtodit, ut pius; fovet, ut benevolus; amat, ut totus bonus, & ipſa bonitas: ſed etiam quia tot relictis alijs, & relinquendis, ipſum ad peculiare ſervitium ſuum elegit, vocavit, & inter ſervos, ac domeſticos ſuos annumerare voluit. Cauſas huius rei, cur videlicet multo magis obligatus ſit amare Deum Religioſus, & in amando ſuperare alios illos, qui manent in ſæculo, mox adferemus, niſi priùs aliæ ſtrictim recenſeantur, ex quibus inſuper liqueat; non ſolùm propter vocationis ad Religionem beneficium; ſed etiam propter alia, quæ cæteris etiam hominibus cum Religioſo communia ſunt, à Deo collata beneficia, obſtrictum ad hoc eſſe, ut Dominum Deum amet ſuper omnia. Cætera namque viventia omnia cùm in genere, & ſpecie ſua, quin & Angelum,

[a] *Pſalm:* 118. 144.

etsi creaturam æquè præditam intellectu, imò purum intellectum, sapientiæ suæ verbo creârit Deus; nullum tamen eorum sapientissimus opifex amore sic prosecutus est, in illudque se totum effudit, sicut in hominem.

2. Prætereamus alia creata, solamque cœlestium illorum spirituum divinæ Maiestatis administrorum contemplemur felicitatem: qui divini luminis icti radio pariter & ipsi Creatoris sui signati imagine, protypi sui faciem, & exemplar, inconnivo contuentur obtutu, semperque beatâ fruuntur Dei visione, toti per amorem in artificis optimi contemplationem absorpti. Et tamen Deus opus hoc suum tàm excellens humanæ posthabuit creaturæ; nec in eius reparatione, qostquam infelix à Creatore suo defecerat, divina quidpiam suscepit operatio: sed proiectum à facie sua tenebris exterioribus æternum addixit, & deseruit cruciandum. Defecerat ab optimo Creatore suo etiam homo; divinæ imaginis, quam ipsi sapientissimus opifex pulcherrimam impertiverat, deformator temerarius; originalis iustitiæ, cæterarumque gratiarum, tàm supernaturalium, quàm etiam naturalium donorum sibi liberalissimè concessorum prodigus helluo; sui, totiusque posteritatis ex se propagandæ perditor crudelissimus; & (quod sceleris admissi caput est) incredulus admonenti Deo, mortemque comminanti, si de ligno scientiæ boni, & mali, comederet, angelo desertori serpentis induto speciem, maluit præbere fidem, eique *Palmam concedere veritatis* (ut ait Rupertus) postquam intuitus est lignum, [a] *Quòd bonum esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile*; [b] *Sic vidit, & sic sacrilegâ temeritate diabolo magis, quàm Deo credidit; & tulit de fructu ligni, & comedit.* Hem, sacrilegium! atrox facinus, sui, posterorumque internecinum! perierat æternum homo primus; perierat eius tota posteritas, & eadem clade, quâ desertor angelus, interierat; & tamen non angeli,

a Gen. . 6. b Rupert. in Ge. l. 3. c. 9.

sed

ſed hominis lapſi miſertus Deus, ô quantum in eius inſtauranda ſalute laboravit! Non iam dixit. [a] *Faciamus hominem. Et factus eſt homo.* Sed profundiſſimo ſapientiæ ſuæ conſilio reparaturus lapſam, & per omnia perditam, naturam erecturus humanam, & eam in priſtinum reſtituturus ipſe Dei Filius, Deus verus, de Deo vero, incomprehenſa Patris æterni Sapientia, naturam aſſumpſit pariter humanam, & in hominis infirmi forma triginta tres laboravit annos, ut ità perditum hominem irato reconciliaret Patri; captivum, & Erebi vinculis addictum, in libertatem, mortalem in immortalitatem, perditum in ſalutem æternam aſſereret. Quod idem pro Angelo, quamvis excellentiâ plurimis humanam ſuperaret naturam paraſangis, non fecit.

3. Et parùm videbatur ſibi Dei Filius laboràſſe pro homine liberando, niſi quoq; ſic, & tàm multum laboràſſet. Omnes omnium hominum infirmitates, miſerias, & calamitates in ſe ſuſcepit. Sic enim habetur apud Evangelicum vatem: [b] *Verè langvores noſtros ipſe tulit; & dolores noſtros ipſe portavit.* Peccatum, quod nos inexpiabili pœnâ luere debueramus, ipſe acerbiſſimâ paſſione ſuâ, & morte probroſiſſimâ expiavit. Nam [c] *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*; (ait iterùm Iſaias) *attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum; & livore eius ſanati ſumus.* In quæ prophetæ verba nervosè Gillebertus: [d] *Diſciplinam* inquit, *debitæ nobis pœnæ Chriſtus ſuſtinuit, ut nobis iuſtitiæ pacem refunderet. Ipſe punitus, & propitiatus; & tu punitus, ſed pœna tua pacem tibi parturire non potuit.* Et proſequitur deindè. *ô miſera, & gravis diſciplina ſuper filios Adam! conſumens, & non concilians: conſumit, ſed carnis ſubſtantiam, non culpam. Diſciplina ergò pacis noſtræ ſuper eum, qui nobis attulit fructus pacatos iuſtitiæ.* Inſuper obligatus erat miſerrimus homo, juxta ſententiam damnationis in Adam, & omnes eius poſteros ad pœnam æternam, & huic obligati-

[a] *Gen.* 1. 26. 2. 7.

[b] *Iſa.* 53. 4. [c] *v.* 5. [d] *Gillebert. citat. in men. ſpir. c.* 16. *Verbo. Paſſio Criſti num.* 68.

obligationi ad eamdem pœnam sponte peccando tamquam manu propriâ subscripsimus omnes: [a] *Quisque enim, dum peccat, peccati sui literas scribit*, ait Origenes, & diabolo tantæ iniuriæ supremo Domino illatæ vindici nos obligavimus. At Dei Filius ex immensa charitate sua carnem indutus humanam in nostræ imbecillitatis forma validissimo confligans inimico victor gloriosus eam obligationem, deletâ subscriptione, trophæo Crucis ad maiorem hostis ignominiam affixit triumphali: [b] *Delens, quod adversus nos erat* (Apostolus ait) *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; & exspolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipsô.* Sed ô triumphum mirabilem! Non superbè triumphali schemate in urbem invectus; sed extra urbem infamì latronibus, & plagiarijs destinatâ oneratus Cruce, duorum latronum (hoc illius erat nobile triumphantis satellitium) societate stipatus ad Calvariæ montem eductus, atrocissimum ibidem supplicium & probrosissimam mortem sustinuit. Hic erat nobilis, & tamen re verâ nobilissimus, & gloriosissimus de principatibus, ac potestatibus tenebrarum spoliatis triumphus; quem non superbia victoris, sed immensa charitas miserantis erexit. Quem in amabilissimo IESU triumphalem actum vocat Apostolus nimiam, & per quemdam animi excessum exercitam charitatem Dei, cùm ait: [c] *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.*

4. Quæ jam anima tam erit dura, quin & ipsa pariter ad tantæ, tamque nimiæ charitatis excessum tota erga Deum dilectione colliqueat, & in Cœlestium desideriorum exardescat flammas? Hic ille divinus ignis est, de quo Christus Dominus olim dixit: [d] *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut ardeat?* Hoc igne flagrantes olim Christiani ad subeundam pro Christo

[a] Orig. hom. 13. in Ge. [b] Colos. 2. 14.

[c] Ephes. 2. 4. [d] Lu. 12. 49.

mortem

mortem ultrò festinabant, & se tyrannis excruciandos, excarnificandos, & trucidandos obijciebant. Et S. Ignatius Episcopus Antiochenus iam iā leonibus ad discerpendum obijciendus hoc succensus igne, Christum IESUM amore sui Cruci affixum contemplatus, altum suspirans exclamavit: *a Amor meus crucifixus est.* Hic ignis, & hic amor adeò Christo Domino conformabat, & conglutinabat sanctos, ut ipsum assiduè in Crucis stipite pendentem contemplati, nullis etiam atrocìssimis tormentis, denique nec ipsâ cuiuscunque mortis atrocitate, ab ipso potuerint seperari; ut rectè cum Apostolo fuerint protestati: *b Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Certi, quòd nullum horum eos separare possit, in supplicia, & in mortem constantissimè ruebant, ut Christo Crucifixo per vitam, & mortem inseparabiliter adhærerent.

5. Hunc ecstaticæ charitatis ardorem, & ardentissimum affectum, ad ungvem exprimebant apud Isaiam illi duo Seraphim, qui sedentem super solium (id est, iam per desiderium in Cruce pendentem) stantes arctissimè complectendo, se se totos eidem conformabant, ità ut humanitati Filij Dei iam tunc amore generis humani inexplicabili desiderio in Crucem olim subeundam se extendenti, ipsi quoque per omnia assimilarentur; & ideò senis alis instructi *c Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Id quod explicans S. Dionysius, ubi dicit, quòd *d Sex alarum sacratissima fictio absolutissimam, summamq; in Deum intentionem in primis, medijs, & ultimis intelligentijs signat,* videtur aliud in beatis illis spiritibus significare non velle, quàm illam ipsam ardentissimam intentionem, quâ intelligentiæ illæ, per Seraphinorum speciem totas se ad Filij Dei Crucem, passionem, & mortem pro redimendis hominibus ardentissimè iam exambientis in for-

a S. Ignat. mart. *b* Ro. 8. 35.

c Isa. 6. 2. *d* S. Dionys. Cœl. hierar. c. 4. & 13.

ma Crucis assimilabant; hinc quidem flagrantissimum a *Quasi flabello quodam incendium illud amoris refrigerantes in divino pectore,* doctissimè Sanchez ait; indè pariter & ipsi Seraphim vehementissimo flagrantes charitatis ardore, b *Contractis quidem alis superioribus, & inferioribus* (ut loquitur S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus) *expansis autem utrinque medijs, & in forma Crucis volantes*, Crucis figuram exprimebant.

6. Ità nimirùm fideles animæ, quas sincerus in Deum amor accendit, Christi in Crucem acti ob oculos sibi ponunt effigiem, & tamquam Seraphim in ipsum ex amoris incendio totæ extentæ, ac transformatæ, cum ipso cruci affixæ, gloriantur hac suâ conditione, quam probrum mundus appellat, earumque singulæ cum Apostolo protestantur: c *Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego; vivit verò in me Christus.* Et sicut *Velant Seraphim pedes Domini duabus alis* (ait Galfridus) d *imitatione Dominicæ passionis*. Sic amantes istæ animæ continuè Dominicam contemplantur, & exprimunt in se passionem, totæ in amoris è Crucis stipite pendentis absorptæ desiderium.

a Sanchez in Isa. c. 6. b S. German. orat. de Cru. apud Gretser. c Gal. 2. 19. d Galfrid.

§. II.

Expenduntur aliquæ rationes, ob quas ad amorem Dei magis obligatur Religiosus, quàm sæculares; quamvis & hi sint obligatissimi.

I. Igitur cùm homo tot, & tantis titulis obligatus sit amare Deum etiam ille, qui relictus in statu sæculari, Creatoris sui vivam semper, circumferens imaginem, innumeris ab eodem Creatore suo cumulatus beneficijs; tùm Religiosus ijsdem omnibus obstrictus, insuper pro peculiari vocationis ad religionem gratia, multò magis, ut gratum se, memoremque tanti beneficij præbeat Deo beneficiarium, debet ipsum amare. Nec aliud optimus ille Pater requirit à cliente religioso, quàm

ut amet benefactorem. Dare possunt, & offerre Domino Deo principes huius mundi argentum, aurum, gemmas pretiosas, & alia hominum æstimatione pretiosissima ad divinum cultum munera. Sed si non amant illum, quem in donis suis honorant, plus, quàm ea dona & bona quæ possident à Deo sibi collata, nihil præstiterunt. Quia [a] *Solus vult Dominus* (ut Lipomanus ait) *haberi, credi, coli, & amari; & ut solus noster Dominus est, sic totos nos exigit esse suos.* Nervosiùs idipsum attigisse videtur S, Augustinus; qui in sermone quodam, exemplo tentati Abraham, sic ait: [b] *Docet nos Abraham, ut Deo non præponamus, quod dat Deus. Ergò nec illud, quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi, qui præstitit: & cùm voluerit tibi subtrahere, non tibi vilescat. Quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus?* Religiosus autem nihil habet, præter voluntatem suam, sed & hanc semel iam propter amorem Dei traditam

[a] Lipoman. citat. in men. spirit. c. 16. v. Amor, num. 5. [b] S. Au. ser. 72. de Tempore.

in manus superioris: Verùm si totam eam in charitatem non convertat, & Deum non amet super omnia, quantumcunque sibi videatur in holocaustum cessisse totus, nihil omninò fecit, si non magis erga Deum, qui ipsum ad statum consectandæ vocavit perfectionis, ardeat charitate, quàm omnis alius sæcularis. Est enim ad Religionem vocatio, & electio, gratia; quam in sæculo relicti non habent, peculiaris.

2. Et hoc in primis arguitur ex eo; quòd [c] *Sicut pisces* (ait Hugo de S. Victore) *idem principium, eamdemq; Originem habuerunt, licèt diversa loca sortiti sunt; nam piscibus remanentibus in aqua, aves in àëra translatæ sunt, quasi supra id, quod sunt; sic de una massâ corruptibilis naturæ universa generis humani propago trahitur, sed alijs deorsùm in ea, qua nati sunt, corruptione, iustè derelictis; alijs sursùm dono gratiæ ad sortem cœlestis patriæ elevatis iudicij servatur æquitas.* Ex quo verborum sensu iam ultra progredi licet, divinique iudicij æquitatem considerare, quæ ex

[c] Hugo de S. Victore.

tanta

tanta hominum multitudine, ex tam numerosa juventutis in gymnasijs frequentia, ex tot nobilissimi sangvinis, ac prosapiarum familijs, ô quàm paucos vocat & eligit Deus ad svavissimum religionis, amore sui portandum iugum! Quàm paucos ex hac corruptionis humanæ massa sursùm elevat Deus *Dono gratiæ ad sortem cœlestis patriæ!* Quàm paucos ex tot centenis, & millenis hominum cuneis eligit, & vocat inter domesticos suos numerandos! Invenies plurimas urbes, Civitates, & oppida Christiana, Gymnasia, & Academias, ex quibus intra spatium unius sæculi, vix quatuor, sex, aut octo (fieri potest quòd plures, fortassis & pauciores, quid si & nullus?) adscribuntur Religioni. Reperies & familias plurimas, quæ nullum penitùs ex universa prosapia sua numerant Religiosum. Quotquot autem ex mundo vocantur, & eliguntur, ad Religionem, ij verè peculiari *Dono gratiæ ad sortem cælestis patriæ* sursùm elevantur. Quam sortem sæcularis homo non ità certò promittere sibi potest, saltem quantum ad accidentalem gloriam in patria adipiscendam; sicut Religiosus; qui jam electionis ad gloriam per vocationem, cui præbuit assensum, pignus quoddam habet, seu arrhabonem.

3. Deindè peculiaris huius gratiæ signum etiam indè patet; quòd Religiosi singulariter amentur à Deo, sintque populus quidam electus, & in comparatione cum relictis in sæculo gens sancta. Et quod olim Deus Israëlitico populo dixit: [a] *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis*; id ipsum nunc intelligendum est de Religiosis. Ità docet Theologorum Angelus, cùm ait: [b] *Populus Isràel erat dilectissimus pro tempore illo, comparatione aliorum populorum, qui idolis serviebant: non autem comparatione novi testamenti, de quo dicitur: Vos estis gens sancta, populus acquisitionis.* Sic iam in novo testamento, [c] *Religiosi dilectissimi sunt* (addit Didacus Lopez) *comparatione sæ-* cularium

a Exo. 19. 5. b S. Tho. in 4. dist. 8. q. 1. a. 3. q. 2. ad 2. c 1. Pe. 2. 9.

cularium; Sunt Domino Deo, *In peculium id est, specialis populus* (Interlinearis exponit glossa) *a quos pascam, defendam, & sicut gregem proprium nutriam.* Populus, inquam, Deo dilectissimus sunt Religiosi: quia electus & vocatus in sortem filiorum Dei. Et sicut parentes magis diligunt filios suos, eosque beneficijs ornant, quàm nepotes, cognatos, & amicos alios; ità Deus Pater optimus Religiosos, quos iam uti filios habet, diligit magis, & peculiari protegit gratiâ, quàm illos, quos iustè relinquit *Deorsùm in ea, qua nati sunt, sæculi corruptione.* Undè vetustissimus Origenes exponens illud, quod in Exodo legitur: *b Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis,* Sic ait: *c Non ad illos tantùm dicuntur hæc, qui de Ægypto profecti sunt; sed multò magis ad te, qui sæculum contempsisti; si tamen proficiscaris ex Ægypto, & Ægyptijs ultra non servias. Negotia sæculi, & actus carnis, domus est servitutis.*

4. Enucleatiùs autem videtur id inculcare Stephanus Abbas super illud Deutoronomij: *d Beniamin amantissimus Domini.* Dicit verò Pater ille Venerabilis ad propositum nostrum: *e Amantissimi Domini, sunt claustrales; ut positivum sit in pœnitentibus, comparativum in iustis, superlativum in claustralibus.* Hæc ille, ut doceat; sæculares existentes in pœnitentia amari quidem à Deo; iustos iam non indigentes pœnitentiâ esse Deo amantiores; sed Religiosos esse amantissimos ideò; quia tàm pœnitentiam suam, in qua vivunt perpetuò, quàm iustitiam, in qua viventes adnituntur semper magis proficere, tùm & semetipsos totos cum corpore, & anima Deo consecrant in holocaustum. Quare prosequitur adhuc asceticus idem Pater, ac dicit: *Hæc tria genera hominum per tria legis sacrificia designantur; per hostiam, quæ dicitur ab hoste vincendo, pœnitentes; per victimam, ab hoste victo, iusti; per holocaustum, quod totum incensum dicitur, claustrales, qui se ex toto, Domino obtulerunt.* Et propterea Religiosi, qui corpus, animam,

a Glo. Interl. b Exo. 20. 2. c Origen.

d Deut. 33. 12. e Stephan. Abb. citat. in Mensa Spir. cib. v. Religiosus. num. 38.

mam, omnesque tàm corporis, quàm animæ facultates, & potentias in holocaustum offerunt Deo, verè sunt amantissimi Domino, amanturque peculiari dilectione in gradu superlativo.

5. Postremò (ut omittam alia) divinæ gratiæ peculiaris, erga Religiosos argumentum desumitur indè; quòd sint Dei servi domestici, palatini, & intimi cubicularij, ità, ut, cùm omnes Christiani gloriari possint hoc titulo, quòd sint servi Dei, non tamen sint eius ità domestici, sicut Religiosi: qui non arrogantiâ quadam fastuosâ, sed humili confessione dicere se possunt esse Dei servos domesticos. Id quod S. Hieronymus explanans illum Psalmum: [a] *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini*, elimatiùs, & prolixiùs expendit : cuius omnia ferè verba huc inserere non refugio. Dicit igitur: [b] *Quid; benedicite Domino ? Omnes servi Domini, qui non estis servi peccati, sed servi Domini. Putamus parùm esse, quod dicitur : ego servus Domini sum. Summa virtus est, hìc mereri. Quomodo ? quasi dignitatem vendicat, qui dicit: Ego servus imperatoris, & nemo audet accedere ad servum imperatoris, sic infinita dignitas est, se dicere, esse servum Domini. Vndè & Apostolus de servitute Domini gloriatur, & scribit in principio epistolarum suarum : Paulus servus Christi. Et de Moyse dicitur: Et non sicut Moyses famulus meus, cui locutus sum facie ad faciem. Videte, quid dicat: cæteris locutus sum in visione, & in ænigmate; sed non sicut Moysi famulo meo, cui locutus sum facie ad faciem. Illis magna dignitas est, qui faciem vident Domini, & ministrant ei. Denique, cæteri servi, qui faciem non vident domini sui, si voluerint aliquid impetrare, conservos petunt. Hoc totum quare dixi ? Dominus noster IESVS habet ipse multam familiam ; habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant; habet alios in agris. Monachos, & Virgines, ego puto illos esse, qui ad faciem ministrant Domino suo. Sæculares autem, qui sunt quasi in agro. Denique illi, qui sunt in agris, istos postulant, ut rogent Dominum, si quid necessarium habent.* Hu-

[a] *Psal.* 133. 1. [b] *S. Hieron. hìc.*

cusque

cuſque S. Hieronymus. Ex quibus Doctoris maximi verbis omnibus hoc præcipuum elici debet; quòd ſoli Religioſi, Virgineſque clauſtrales, ſint illi ſerviDomini miniſtrantes, & verè domeſtici; qui *Faciem vident Domini, & miniſtrant ei.* Cæteri Chriſtiani Sæculares, ſervi quidem Domini ſunt etiam ipſi; ſed foris, in agris, non in domo Domini miniſtrantes; qui poſtulant domeſticos, & palatinos Domini ſervos, *Vt rogent Dominum, ſi quid neceſſarium habent.* Eſt igitur magna felicitas, & dignitas, eſſe Dei ſervum domeſticum. Non tàm clarum eſt nomen, ſed nec in æſtimatione tanta eorum, qui ſunt imperatorum, regum, principum ſervi, & miniſtri: ſed audire de religioſo quopiam dici, quòd ſit magnus ſervus Dei, omnium aliórum magnorum miniſtrorum ſuperat titulos, & exhaurit.

6. Benè perſpexit hanc magnorum Dei ſervorum nomenclationẽ, dignitatem, & felicitatem Sanctus ille Pontifex Petrus Cœleſtinus; qui in eremi cuiuſdam ſolitudine, & in ſummo pœnitentiæ rigore iam indè ab adoleſcentia ſua, poſteà verò ſubRegula S. Benedicti Congregationis Cœleſtinorum jnſtitutor in clauſtro ſoli Deo militans, denique a *In Petri Cathedram ignorans, & abſens adſcitus*, non aliter, quàm extra Domini Dei domum ſibi videbatur in agro conſtitutus, quantumlibet ſuper omnes in Eccleſiæ Cathedra Dei ſervos, imò & ſupra mundi Principes emineret. Ac propterea maluit denuò magnus, & bonus eſſe ſolius Dei ſervus, quàm ſummus audire ſervus ſervorum Dei; & depoſitâ ſummi Pontificatûs invidioſâ æquè, atque alijs ambitioſâ dignitate, priſtinam elegit ſolitudinem, rediturus quidem ad privatum vitæ clauſtralis ſtatum, niſi Deus pro maiore boni ſervi ſui probatione, merito, & Coronâ, permiſiſſet illum à Succeſſore ſuo Bonifacio VIII. quorumdam pſeudopoliticorum conſilio, machinationem aliquam (quã Vir Sanctus minimè cogitabat) metuente vinctum in quadam

a *Brev. Rom. die 19. Maij.*

includi munitione. Ubi cum duobus Ordinis sui Monachis ad finem vitæ manens, ærumnam suam summâ constantiâ, patientiaque pertulit, magis eam sibi gratulatus inclusionem, quàm libertatem (si tamen dici libertas potest) Pontificiam, identidem illud sibi dictitans: [a] *Petre; cellam desiderâsti, cellam habes*. Demùm ex illa calamitosa solitudine, tamquam ex vera domo Dei, bonus, & magnus Dei servus in beatitudinis æternæ migravit domum illam, quæ verè [b] *Magna est, & ingens locus possessionis eius; magnus, & non habet finem, excelsus, & immensus*. Cuius felicem migrationem ex hac mortali vita, & *Pretiosam mortem Crux præfulgens in äere ante cubiculi ostium reddidit ampliùs gloriosam*, ex illa pontificia dignitate vix similem consecuturi. Deus enim solis Religiosis, eam servavit gratiam, & gloriam, quam ab alijs servis suis in agro ministrantibus, abscondit: eas videlicet in Religione gratias experiuntur electi servi Dei, quas in sæculo nunqã experti fuissent.

7. Hinc illam Dei promissionem factam per Oseam Prophetam ad populum Israël sub parabola uxoris adulteræ, sed postmodùm ad virum suum reversæ, [c] *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, expendens hæc verba, *Ducam eam in solitudinem* Chaldæus ità vertit: *Faciam cum illis miracula, qualia feci in deserto*. Et dictum appositè. Facit enim Deus in deserto, id est in solitudine religiosa, cum claustralibus miracula sic, ut illos tàm mundus, quàm Angeli, & homines meritò admirentur, illique dicere possint cum Apostolo: [d] *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*; quando plurimi de mundi voluptatibus, & carnis illecebris adolescentes, juvenes, & virgines tenerrimæ complexionis, indolis autem, quin & prosapiæ nobilissimæ, rigidam in claustris eligunt sibi vitam; & stultam (ut Divus Gregorius loquitur) amplectuntur Dei sapientiam: & qui nuper in sæculo divites, & opulenti, carnis consectabantur commoda,

a Pet. Ribad. in eius vita die 19. Maij.
b Baruch. 3. 24.
c Ose. 2. 14. d 1. Co. 4. 9.

moda, iam in alios mutati, paupertatem, omnemque rerum penuriam in delicijs habent, & tamquam in publico theatro spectant illos & admirantur, mundus, Angeli, & homines; hominibus, & mundo spectaculum hoc ridentibus, Angelis autem, cum admiratione quadam imbecillitatis humanæ, gratulantibus, socios æternæ beatitudinis habituris. Qui nuper vitijs, & affectibus inundabantur undique perniciosis, iam abdicati mundo, virtutem ad stuporem hominum, ac mundi, in disciplina, perpetuaque rigoris exercitatione alacriter in hoc virtutum militant, concertantque theatro, quo nullum in orbe maius, & spectabilius habetur, uti rectè Tullius alicubi. [a] *Nullum* inquit, *theatrum virtute, & constantiâ maius est.*

8. Iam igitur ex his argumentis, quòd Religiosi ex infinita Christianorum hominum multitudine vocati sint ad Religionem, videlicet *Sursum dono gratiæ ad sortem Cœlestis patriæ* peculiariter elevati; quòd item peculiariter à Deo diligantur præcæteris, & sint Domini amantissimi; quòd sint domestici, palatinique servi Domini, sequitur omninò; Religiosum unumquemque magis obligari ad amandum Deum, qui gratuitò ipsos vocavit in sortem filiorum Dei. Qui deindè amor, ac sincera dilectio vocationem custodit, & singulari protegit tutelâ, ne iam facilè resiliant à benè cœpto; ne quid ipsis adversi contingat, eos consternet, ac prosternat; uti sapienter quidam ponderans illud Ionathæ pactum, quod cum Davide fecerat, servaturus ipsum ab ira, & persecutione Saulis absconditum in quodam campi condicto loco. Dixit ergò Davidi: [b] *Ego tres sagittas mittam iuxta lapidem, & iaciam, quasi exercens me ad signum: mittam quoque & puerum. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt. tu veni ad me; quia pax tibi est.* Ponderans, inquam, hæc verba Ionathæ, sic ait: [c] *Si sagittæ amoris, & charitatis intus in anima fuerint, veluti sentiebat in semetipsô Sanctus Augustinus,*

[a] Cic. 2. Tusc. quæst.

[b] 1. Re. 20. 20. [c] Didac. Lopez. in men. spirit. cib. V. Amor. hominis in Deum. nu. 15.

 quando

quando dicebat; sagittaveras tu Deus cor meum charitate tuâ, certum signum charitatis; pax tibi est. Securus, inquam, amans Religiosus est, & per charitatem Deo semper adhærens, ad quam ex maiore debito magis est obligatus.

§. III.

Amor Dei vincit, & tollit difficultates, & impedimenta, Religionis.

I. Cùm religiosa professio nihil aliud sit, quàm perpetuum quoddam (uti iam sæpè dictum) Martyrium; habet etiam difficultates innumeras, & impedimenta, quæ vel tyronem à cœpto deterreant, vel professum iam, ac veteranum, langvidum, & tædio quodam laborantem, inqué rebus arduis timidum efficere possunt; vel usque ad aliquam diffidentiam exercere. Sed ea demùm omnia, quæcunque solent occurrere, amor in Deum condit, & facilia reddit; ut difficultates & vincantur, & tollantur. Quid enim acerbius evenire naturæ potest, quàm ex sæculi commodis, ex dulci familiarium, & amicorum consvetudine, ex parentum, & consangvineorum amicissimo complexu, ad horridam claustri asperitatem, ad taciturnam solitudinem, ad omnem amicitiæ conversationisque neglectum se se transferre? Quid homini ingenuè educato durius accidere potest, quàm ad continuæ servitutis iugum toto iam vitæ tempore ferendum quodammodò condemnari? Quid tristius in libertate nato contingere, quàm in peregrinum quemdam carcerem, & in diuturnum, quamdiù vixerit, ergastulum includi? Quid gravius imperari, quàm ex vivendi con svetudine, si non licentiosa, certè tamen carni per esculentorum, poculentorumque ad gustùm, vel etiam semper ad satietatem habitorum copiam, gratissima, ad assiduam frugalitatem, ad inediam, & ieiunia; ad afflictationum per cilicia, flagra, vigilias, & labores; ad irrequietam occupationum lassitudinem exerceri? ô quantum hæc, & alia pror-

sùs innumera, quæ plurimum apprehenduntur, in natura tumultum, & perturbationem excitant impedimenta! Sæpiùs ad animi tristitiam affligũt, cruciant, & tantùm non ad abijciendam hastam adigunt incipientem; progredientem, & iam per vota ligatum lancinant, debilitant, tantùm non & frangunt! Sed hæc horrentis, adversa sibi, reluctantisque naturæ machinementa sunt. Alia verò gratiæ, & amoris. Qui non solùm asperitates istas horret, ac refugit minimè: sed etiam cœlesti dulcedine mirabiliter irroratus eas amplectitur ultrò; libenter amore dilecti Dei suscipit; alacriter tolerat adminiculante gratiâ, fortiter vincit, ac superat, itâ ut etiam venetur occasiones, & occupet, contraria patiendi. Iam nec tenera ætas à rigore deterret; nec virium, aut complexionis imbecillitas animum frangit; nec solitudinis horror, & diuturnitas, aliquid evincit; nec ab amicis impedit separatio. Amor Dei dux, & victor istorum omnium est. Hic in rebus tristibus consolatur, & exhilarat amantem; in difficilibus adjuvat, & sublevat; in duris & asperis, excitat; in ambiguis dirigit; in desperatis erigit; in omnibus denique præsidium est inexpugnabile.

2. Quod cùm in plurimis Sanctis tàm veteris, quàm novi Testamenti semper ipsâ com pertum sit experientiâ; tùm in annoso, iamque supra septuaginta ætatis Annos quinque numerante Patriarcha Abraham admirandum erat, quando iubente Deo de patrio solo relictis Patre, Matre, cognatis omnibus, in terram longinquam & peregrinam exivit. Et ideò non sine causa Sacer codex ætatis illius Annos scripto consignandos peculiariter suscepit. Dicit enim: *a Septuaginta quinque Annorum erat Abraam, cùm egrederetur de Haran.* Iam quid intererat, scire; Abraam fuisse septuaginta quinque annorum, cùm egrederetur de Patria domo? Nonnè satis erat ad posteritatis memoriam hoc tantùm transmisisse, quòd cum uxore, cum filio fratris sui Lot, & cum u-

a Ge. 12. 4.

niversa

niversa substantia peregrè debuerit, iubente Domino, proficisci? Qui nescit, quid sit paternam domum deserere, à parentibus ætate confectis, à cognatis, consangvineis, amicis, & familiaribus avelli, nunquam posthac videndis amplius, vel semetipsum scrutetur unusquisque peregrè profecturum, non ad totius vitæ decursum, sed tantùm ad biennium, aut triennium in exotica natione vel studijs operam navaturum, vel negotiandi causâ, vel cuiuscunque rei gratiâ longinquas regiones etiam trans mare, peragraturus; vel interroget illos ipsos, qui separationem eiusmodi sunt experti, & scient recensere ô quanti tunc in eiusmodi re pulsant, & vellicant animum affectus! quot lachrymas, & singultus ipsa viscerum extorquet commotio! illa à paterna domo, à Patre, Matre, fratribus, & sororibus avulsio tàm est naturæ violenta, quàm si dimidium ipsius animæ separetur, quàm multas in eo casu fingit sibi moras abiturus! ut planè ipsi conveniat, quod de se, proscriptus in exilium, Româ testatur abituriens ille:

a *Ter limen tetigi; ter sum revocatus; & ipse*
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Sæpè vale dicto rursùs sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula multa dedi.

Denique post tot vale dicta, quàm acerbum est audire vel ab alio, vel à discedente, vel in utriusque corde susurrantem vocem: Et iam

- - - - *Divellimur indè*
Iphitus, & Pelias mecum.

Et iam dividitur, imò

Scinditur haud aliter, quàm si sua membra relinquat;
Et pars abrumpi corpore visa suo est.

3. Non est ergò dubium, quin & magnus ille Patriarcha senserit eosdem, affectuum motus, & pugnam in natura; dum ad imperatam sibi peregrinationem expediret se; terram suam, patrem, matrem, & omnem cognationem æternùm deserturus. Et tamen non erat hoc tantæ considerationis apud sacrum scriptorem, nisi

a Ovid. lib. Trist. eleg. 3.

nisi potiùs ætatis annos fastis adscriberet, dicens: *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Haran.* Cur autem ità? Ideò, credo, ut ostenderet Abrahamum nullis vinci potuisse, ne ipsis quidem grandævæ iam ætatis difficultatibus, quin vocanti, jubentique obediret Deo, quem præ paterna domo, præ parentibus, & cognatis amabat. Vicit in Deum amor reluctantem naturam; ætatis imbecillitatem roboravit charitas; difficultatibus, & obstaculis omnibus ipsum superiorem fecit dilectio: uti rectè S. Ioannes Chrysostomus ad hoc propositum ait: a *Nec ætas fuit obstaculo; nec aliud quidpiam eum potuit detinere; sed vicit omnia ipsius in Deum amor. Anima enim vigilans, & sobria, cuncta dissecat impedimenta, totaque fit eius, quod amat.* Quem amorem ut exploratum haberet, aut potiùs ut testaretur erga Deum bonus ille senex; debuit in ea tentari ætate, quæ jam domesticæ quieti, commoditatique non autem peregrinationi fuerat apta, ut tantò major eius eluceret virtus, in victoria sui; quantò vires iam erant per ætatem infirmiores. Et hinc S. Ambrosius appellat ipsum, ac scribit, virum magnum: b *Magnus planè Vir* (ait ille) *& multarum virtutum clarus insignibus; quem votis suis philosophia non potuerit æquare.* Et inferiùs fortitudinem illius, fidem, & justitiam in eo peregrinationis procinctu prædicans: *Tentatur* ait, *ut fortis; incitatur, ut fidelis; provocatur, ut iustus: meritoq; exivit, quemadmodum locutus est illi Dominus.* Et hanc ad omnia superanda fortitudinem addidit, fidelitatem animavit, iustitiam exercuit, amor in Deum, quo Sanctus Patriarcha plenus ætatis iam affectæ debilitatem non sensit, naturæ machinamenta contempsit, obstacula superavit.

4. Est igitur amor Dei præsentissimũ adversus omnes in claustro difficultates præsidium; quod tàm à tyrone, quàm à professo omnia quotquot occurrere solent, arcet impedimenta, retundit, & propulsat; viam proficiscendi, proficiendique aperit spatio-

a S. Ioan. Chrys.

b S. Ambr. lib. 1. de Abrach. c. 2.

 sam.

sam. Quam ingredi qui parat, amet; in ea progredi qui desiderat, amet; metam felici cursu qui contingere cupit, amet; sed Deum, sed Christum. Propterea rursùm S. Ioannes Chrysostomus amorem Patriarchæ Iacob erga Rachelem sponsam dum exaggerat, tepidorum in amore Dei reprehendens ignaviam ità cũ affectu dixit: [a] *Qualem nos habebimus excusationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum benefactorẽ, & Creatorẽ afficimur? Si quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinemus, etiamsi laboriosum sit, & valdè ærumnosum; propter salutem autem remissi, & supini, & dissoluti sumus.* Et mox in exemplum proponens ad imitationem S. Paulum Apostolum: *Non ità Paulus,* inquit, *qui tantâ fervebat, & ignitus erat charitate in Deum, ut diceret: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? angustia? &c. Amor enim eius in Deum, & succensa charitas, mentem eius à sensibilibus ad spiritualia transtulit; à præsentibus ad futura, & à visibilibus ad non visibilia. Vndè & labores plurimos gaudens, & & exultans propter Christum dilectum sustinuit; & dicebatur in laboribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Hactenus Præsul Constantinopolitanus. Iam & Religiosus in quacunque constitutus ætate vigilias, asperitates, instituti sui rigorem, labores, ærumnas, & difficultates, nihil reformidat, quem charitas erga Deum succendit; nihil iam ei, quod caro blanditur, libet; [b] *Nihil, quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescit*: Sed omnia *Gaudens, & exultans propter Christum dilectum* suffert, ac sustinet. Quæ demùm fortis ex amore tolerantia coronatur in obsequio divino perseverantia.

a S. Ioan. Chrys.

CAPVT XIV.

§. I.

Metus, ac præsertim timor Dei, religiosam vocationem plurimùm custodit.

I. QUoniam amor Dei timorem pariter exigit, ità ut pari quodam passu virtutes

b S. Greg. homil. 11. In Evang.

tutes hæ duæ, videlicet amor, & timor, incedant; ideò de timore hìc aliqua dicemus. Etsi verò Spiritus Sanctus plurimis in sacræ paginæ locis inculcet timorem Dei; noluit tamen hac admonitione præterire illos præcipuè, qui Dei servitio se se mancipant, & totam vitam suam illius obsequio consecrant Domini, cui servire non tam servire est, quàm regnare. Dicit igitur apud Siraciden: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Quæ verba licèt ad illos tantùm pertinere videantur peculiariter, qui primùm ad sacræ militiæ tyrocinium accedunt, & calcatis sæculi vanitatibus svave Christi iugum amplexi palæstram ingrediuntur Neoptolemi sibi penitùs insvetam, carni perasperam, quin & spiritui carnis petulantiæ colluctaturo perarduam; attamen & professis, votorumque nuncupatione iam obstrictis, imò veteranis etiam, & non modico tempore iam in Christi Schola exercitatis est eadem admonitio valdè necessaria. Sunt enim semper, quamdiù vivunt, insidiis inimicorum expositi; nec unquam securitatem promittere sibi possunt, id qaod iam attigimus alibi, donec ipsam pugnæ consummationem in fine vitæ contingant.. Cùm enim ad Dei servitutem accedere, & in ea gnaviter pro Dei gloria, pro gratiæ divinæ subsidio, conservatione, & incremento; pro virtutum etiam comparandarum assiduo quæstu, decertare, nihil sit aliud, quàm hostes irritare; in certamen non tantùm provocare, sed etiam in illud omni quasi momento descendere; non est dubium, quin adversarium diabolum, mundum, & carnem, iuratissimos inimicos semper formidare, sed super omnia Deum etsi Dominum, & Patrem optimum, tamen timere debeat. Et quidem Dominum Deum non illo timore servili, qui conductitijs servis, aut mancipijs, vel mercedis amittendæ, vel plagarum accipiendarum metu gravis est; sed timore timeat filiali, qui divinæ miserationis innixus fi-

duciæ, virtutem quidem amore Dei super omnia diligendi sectatur, & exercet; at verò vitia fugiendo, ijsque confligando timet optimum certaminis agonothetam, ne vel incautus in quopiam offendat, vel ignarus aliquid intermittat, aut etiam admittat, vel incuriosus obiter, & perfunctoriè tractet; vel ante acta nondum pœnitentiæ disciplinâ expiârit, id quod maximæ considerationis esse debet continuè; vel quòd hucusque divinâ gratiâ ne in minimo quidem se exhibuerit dignum; vel ne Dei gratiam, & ipsam vocationem amittat. Denique Dei servus in religiosa vocatione tot habet timendi causas, semper autem respectivè ad Deum, quot vitæ propositas habet actiones.

2, Sed neque mirum videri debet; solos Dei servos, ac præcipuè religiosum aliquod institutum profitentes, Novitios præsertim stare debere *In iustitia & timore*. Nam de alijs, qui iustitiam minimè sectantur, & genio potiùs indulgent, quàm ut vitam in virtutum studio per disciplinam exerceant, non curat adversarius, tàm enim illos habet in potestate facilè; quàm eos, qui toti iam in eius castra se transcripserunt. Id quod sapienter S. Hieronymus advertit: qui scribens ad Eustochium Virginem sic ait: [a] *Non quærit diabolus homines infideles; de Ecclesia Christi rapere festinat. Escæ eius electæ sunt. Iob subvertere cupit; & devorato Iuda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem*. Solent proindè mirari tàm hi, qui recens institutum religiosum, adierunt; quàm illi, qui iam aliquantum in religiosa professione progressi sunt; se tentationibus pulsari tantis, quantis in sæculo nunquam. Multi fortassis Innocentissimi nesciverunt, quid sit cum rebelli carne luctari, & iam in religione rebellionem eius importunissimam experiuntur. Multi de blasphemia vel adversus Deum, vel adversus sanctissimam, & purissimam Dei Matrem, Virginem Mariam, vel contra Sanctos alios ne cogitârunt quidem; & iam in religione veterator stygius

[a] *S. Hier. ad Eustoch: de custod. Virg.*

obtru dit

obtrudit blasphemias. Fidei sinceritatē coluerunt olim sanctissimè; iam Religioso dubietates, & anxietates oggerit inimicus. Nescivit iuvenilis ardor in frenanda gula experiri laborem: iam Religiosus in leviori forsitan abstinentia sentit asperitatem. Ingnoravit in sæculo in culpabilis innocentia fastum, invidiam, odium; iam in Religione superbiæ stimulis urgetur; aduritur odij facibus; invidiæ flammis accenditur. Quid hoc rei est? Ah! Non quærit diabolus infideles, neque curiosos huius sæculi vanitatum venatores, ac Sectatores; de *Ecclesia Christi*, de Religiosorum cætu, *rapere festinat*. Electæ Religiosorum animæ, si eas capiat, *escæ eius electæ sunt*.

3. Venit ad Magistrum suum, vel ad Superiorem, aut Patrem Spiritualem aliquis afflictissimus animo tyro, & ô Pater! inquit; devotionis sensum nullum habeo: in orationibus meis, in meditatione, & in alijs exercitationibus ad animæ cultum pertinentibus nullum sentio gustum, totus flaccidus, aridus, etiam durus, sine devotione, sine spiritu, sine fructu. In sæculo fueram multò felicior. In audienda Missa totus in Cœlum erectus ad Deum; in sumenda sacra synaxi totus in Deum meum absorptus, tantùm non & totus in ecstasi; in persolvendo precum mearum penso totus alacer, & magis etiam nuper Religionem ingressus. Denique præ devotionis dulcedine, gustuque svavissimo non sentiebam, nec capiebam meipsum. Iam hodie vix integrum est mihi colligere mentem; an orem, an cum Deo mihi negotium, an animæ causam agam? Infelix ego, propè iam & animum, & spem abijcio. Sed fili: equidem in sæculo benè res habebat; vel saltem videbatur habere benè. Tuus tunc eras; arbitrij tui eras; commodi pro voluntate tua temporis eras; & ideò non sentiebas adversarium. At nunc in Religione iam neque tuus es; neque arbitrij tui es, neque commodi temporis es. In sæculo a *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas,*

a Io. 21. 18.

labas, ubi volebas: nunc autem in Religione iam alius te cingit, & ducit, quò tu non vis. In sæculo sensus & affectus tuus ducebat te: orabas, quantum volebas, quando volebas, & ubi volebas; ibas etiam, quò volebas. Nunc iam alius cingit, & ducit te: oras, non quando vis, nec quantum, nec ubi vis: sed quando, quantum, & ubi præscribit aut Superior, aut regula. Et hoc est, quod sensum tuum, & gustum interturbat; hoc, quod animum, & voluntatem propriam inquietat. Vis amplius? Audi. In sæculo nullum irritaveras hostem: iam nunc sexcentos habes. Est adversarius tibi diabolus ex ipso te sumens occasionem: sunt inimici domestici, cognati videlicet affectus, qui sæculari tibi neutiquam adversabantur; est caro spiritui religioso semper adversaria, nunc per inedias, & flagra plurimùm irritata; sunt sensuum tuorum appetentiæ; sunt alij infiniti hostes, quos iam in pugnam provocatos, putas, aliquando senties quieturos? Non equidem. Cum his ergo tibi quotidie colluctandum est; cum his omni hora tibi pugnandum est: sed cum ipso te plurimùm, & tecum maximè.

4. Vis adhuc ampliùs aliquid tibi dicam? Dico: An non audivisti iam? *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Tentatio, fortassis in sæculo vox fuit apud te peregrina: abnegatio tui, & propriæ voluntatis, apud te nomenclatio fuit barbara: pugna spiritualis, id est, inter spiritum, & carnem, in palæstra Scholastica, librisque, phrasis inaudita, iam aliam ingressus Scholam alia disce theoremata. Quia accessisti ad servitutem Dei, non mundi, neque carnis: sta firmiter, in classe iustitiæ; sed omnia timè; omnia circumspice; ad tentationem, & pugnã paratus esto. Diabolus tentat; caro vexat; mundus infestat: sta firmiter, etiam time; sed nullus cede. Adhuc & aliud audi. Per consecrationem tui ad statum religiosum: *Quia acceptus es Deo, necesse*

cesse est, ut tentatio probet te. Probat te Deus, & exercet, ut vires ipse tuas experiaris; & scias, nihil te posse ex te, sed ex Deo. Offert Deus occasionem, ut ipso spectante pugnes, ipso juvante vincas; ipso victoriam probante coroneris. Sine pugna non datur victoria; sine victoria non datur corona. Christi miles es, pugnare debes; vigilare debes; proficere debes. Hanc disciplinam, & hoc exercitium in sæculo nescivisti: quia tuus eras, nunc iam Christi es; exerceri te est necesse. Audi S. Ioannem Chrysostomum: [a] *Dormitantes nos expergefacere solet, & religiosiores facere tentationum materia.* Hoc in sæculo ignorâsti. Nimis delicatus, & piger es miles; si pugnare detrectas. Verùm ad consolationem tuam meliùs idem Os Aureum alibi: [b] *Ne existimemus, inquit, esse signum, quòd nos dereliquerit, & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur. Sed hoc maximum sit indicium, quòd Deus nostri curam gerit; quia peccata expurgat; & luctam, ac exercendi materiam nobis proponit.* Igitur nihil sit mirum, in religiosa tentari professione, probari, & exerceri. Aut enim Deus probat, aut tentat diabolus. Dum probat Deus; paternæ curæ, sinceræ probationis, & divinæ dilectionis indicium est. Si diabolus tentat; odij, & invidiæ signum est, quo flagrat inimicus, non tentaturus aliàs, si non irritatus, & provocatus ad pugnam: sed neque curaturus, si de Christi Ecclesia, si de proborũ, & Religiosorum consortio nõ esses. [c] *Illos enim magnoperè rapere nititur* (Sanctus Gregorius ait) *quos despectis terrenis studijs iungi iam cœlestibus contemplatur. itemq; toto nunc anisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit.*

5. Et hæc quidem dicta sint eò; ut Religiosus, qui in medio stat infestantium inimicorum, nunquam securum se putet; semper suspicetur adversarios; semper Dei timore plenus tentationem aliquam circumspiciat. Quem si nulla pulset tentatio, exercebit benè probatio, quam immittet Deus, non ut pugnantem prosternat;

[a] S. Io. Chrys. hom. 14. ad pop. Antioch.
[b] Idem hom. 32. in Gen.
[c] S. Greg. in Iob. c. 4.

sternat; sed ut militantem probet, certantem exerceat, vincentem coronet. Cautum igitur, & timentem quærit Deus militem, non securitate nimia pigritantem, sibique præfidentem. Nam hic timor facit, ut in Vocatione sua Religiosus agat cautiùs; professionem suam tractet sediliùs; statum suum in disciplina teneat studiosiùs. Hinc magnus ille militantium in huius vitæ certamine pancratiastes Iob, qui nunquam *a Recessit ab innocentia* sua, nunquam non timebat. Quidquid diceret, faceret, cogitaret, omnia timebat: *b Verebar omnia opera mea*, dicebat ipse de se. At quomodò verebatur? Disertiùs id exponunt Septuaginta, dum recitata verba sic vertunt: *Omnibus artubus commoveor*, ut non levem, nec inanem hunc fuisse metum intelligamus, & ille hac ratione salvam, integramque servaret innocentiam. Ità Religiosus, qui magno spiritu difficilem, sed Deo, virtutiqué militaturus laudabilem adijt perpetui cuiusdam martyrij professionem, ut eamdem custodiat, conservet, & constans in ea perseveret, timidus incedat semper, benè circumspiciat, ac vereatur omnia opera sua, & tamquam in æstuoso mari navigans, inter ventorum, procellarumque validos concursus *c Omnibus artubus commoveatur*; uti sapienter ad hoc propositum Tertullianus: *Inter scopulos*. inquit, *& sinus velificata Spiritu Dei fides navigat; tuta, si cauta; secura, si attonita.*

6. Idem planè de vocatione, seu professione religiosa dicas: *Tuta, si cauta; secura, si attonita*, si semper timida. Est enim hic timor gubernaculum quoddam, quod religiosæ professionis naviculam in medijs maris fluctibus, interque periculosos sinus dirigit, & gubernat, servans eam à scopulis, & undosis fluctibus immunem. Nam etsi Religiosus adeò vivat tenax vocationis suæ, ut in nullo velit eam infringere; timere tamen assiduè debet ne infringat. Et hoc unum, ac præcipuum est, quod eius custodit innocentiam: *d Optimus gratiæ, & iustitiæ*

a Iob. 27. 5. b c. 9. 28.

c Tertull. d Cornel. in Eccle. c. 1.

stitiæ custos est timor, ait Cornelius à Lapide. Tetigit idipsum sapientissimus Ethices ille didascalus Seneca, dum ait: a *Animus vereri qui scit; scit tutò ingredi*, aliud experturus certè, si multum sibi præfidat. Benè super recitatum superiùs Iobi Versum Nicolaus de Lyra: b *Modus hominis*, inquit, *diligenter suam innocentiam*, propositum, vocationem, & statum religiosum *custodientis est, semper timere, ne aliquid iniustum faciat*. Equidem non existimo, Religiosum aliquem esse tàm audacem, ac temerarium, ut ex proposito velit *Aliquid iniustum facere*; sed puto, facilè posse contingere, ut faciat aliquid incautus, etiam quod ipse nolit. Subtile nimis humanæ vitæ, sed & innocentiæ vocationisque religiosæ, professio, filum est. Impingit, ubi non suspicatur, atteritur, ubi non putat; rumpitur, ubi non advertit, & tamen imputatur nemini, quàm erranti, & delinquenti. Propterea meritò deprecatur ex ignorantia delinquens anima: c *Ignorantias meas ne memineris*, Domine. Et alibi: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.*

7. Quidquid autem sit, Religiosus habet semper, quod timeat; & habet timoris assidui tres causas præcipuas. *Primam*, quòd ignoret, an sibi peccata quondam in sæculo sivè per incuriam, sivè etiam voluntate perpetrata dimissa sint. Nam monet sapienter Ecclesiasticus: d *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Et hoc quidem de propitiato peccato, quod per Religionis ingressum speret aliquo modo sibi dimissum. Quid si iam Religiosus, ut homo fragilis, offenderit? ô incomprehensa Dei judicia! Nescio, quid ad hoc dicam aliud, quàm eiusdem Siracide subiectum addam monitum: e *Neque adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miseribitur*. f *Misericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit, ira illius*. Ubi diligenter observa; non dici: *In peccatores respicit misericordia, & ira illius*; sed tantùm;

a Sen. b Lyran. in Iob. c. 9. c Psal. 24. 7.

d Eccli. 5. 5. e v. 6. f v. 7.

tùm; *Respicit ira illius.* *Alteram* timendi causam habet Religiosus. Quia sicut nulli hominum apud se definire, integrum est, ità neque Religioso: an Deus amet ipsum; an oderit. Ecquem non terreat, & exanimet illa quamtumvis iustum Ecclesiastæ sententia? [a] *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur incerta.* ô formidabile dictum! ô thesis è Theologia sapientis horrenda! *Nescit homo* etiam iustus, ac sapiens, *utrum amore, an odio dignuus sit. Sed omnia in futurum servantur.* Et scire volumus incertitudinis causam? Pronuntiat illam è sapientiæ suæ Cathedra magnus idem Magister: *Eò quòd universa æquè eveniant iusto, & impio; bono, & malo; mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.* Quæ verba S. Hieronymus ex interpretatione Symmachi paraphrasticè sic exponit: [b] *Inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse; & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguum fluctuare; utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent; an ad supplicium?* conscij præsertim sibi notabilis alicuius lapsûs. *In futuro igitur scient. Quia tunc est iudicium; nunc certamen: & quicunque adversa sustinent; utrum per amorem Dei sustineant, ut Iob; an per odium ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Hucusque S. Hieronymus. Atq; hoc est, quod etiam religiosissimam animam timore percellere debet, & consternare. *Quia tunc,* in futuro *est iudicium; nunc certamen.* Utrum in amore Dei, an in odio, monasticum, eumque rudem, circumferat pœnitentiæ saccum; disciplinâ carnem, & spiritum exerceat; inediâ gulam, & ventrem coërceat; vigilijs affligat corpus; orationibus insistat die, noctuque: hæc omnia, bona quidem, & laudabilia sunt: sed *Vtrum amentur à Deo, an non, nunc scire non possunt, & ambiguum fluctuant,* incerti penitùs, *utrum amore, an odio* digni. *Sed omnia in futurum servantur incerta.* *Tertiam*

a *Eccle.* 9. 1. b *S. Hier. hic.*

timendi causam habent etiam religiosissimi viri, quantavis iustitiâ spectati: quòd in iudicio divino etiam ipsa bona opera iudicabuntur. Et hoc est, quod iustus Iob vel ab ipsa statim infantia cum lacte materno licèt suxerit innocentiam, tamen *Verebatur omnia opera sua*; certè non rapinam, non oppressionem pauperum, non adulteria, nec ullum scelus, aut facinus enorme; sed opera, quæ Deus in ipso cumulatissima coronabat benedictione, bona, iusta, & sancta; & tamen ea verebatur, & habebat suspecta, ne forsitan in ipsis aliquod deprehenderetur delictum: *Sciens*, inquit, *quòd non parceres delinquenti.*

8, Iam si Deus etiam opera bona, & iusta, ad iudicij sui stateram examinabit; quid fiet misero illi, qui, licèt iam in pænitentia, conscius tamen est sibi, se aliquando, forsitan & graviter, deliquisse? ô quantum hæc in tribunali divino terrebit operum etiam bonorum examinatio! [a] *Cùm accepero tempus* (apud regium Psaltem Deus ait) *ego iustitias iudicabo.* [b] *Terribile verbum* inquit Hugo, *quòd non tantum peccata iudicabit; sed & iustitias, id est opera bona examinabit.* Sapienter idcircò S. Gregorius ait: [c] *Si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa in nobis etiam benè gesta timeamus.* Et *Sancti*, inquit, *omne, quod agunt, metuunt; dum considerant, ante quem iudicem stabunt. Considerant prava, quàm districtè iudicet; & bona opera, quàm subtiliter penset.* Religiosus igitur hæc omnia dum reputat secum, meritò semper esse debet pavidus, non quidem servili quadam formidine, vel diffidentiâ, sed filiali timore illo, quo non vult, neque vellet optimo Patri suo, vel in minimo displicere. Circumspiciat ergò, & advertat undique circumstare pericula: quæ ut evadat, vocationem suam semper habeat instar pretiosi thesauri, in custodia diligenti, cui plurimùm timor hic assiduus adstipulatur, & prodest ad sincerè perseverandum.

9. Non enim frustrà mo-

[a] *Psal.* 74. 1.

[b] *Hugo hic* [c] *S. Greg. lib.* 9. *mor. c.* 17.

net Apostolus Philippenses, & consequenter omnes Christianos, ac Religiosos: [a] *Cùm metu, & timore vestram salutem operamini*, alludens ad illum Psalmi versum: [b] *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Nam timor, & tremor, quem Religiosus in Dei servitio constitutus ubique secum gerere debet, custodit vocationem eius in statu suo, ne vel in ipso vacillet, vel etiam ipsum deserat; & Deus, cuius oculi sunt super timentes eum, gratiam suam liberaliter impertit; ut velle bonum, quod est cupere servire Deo in innocentia, perficiat in ipso. [c] *Deus est enim* (dicit adhuc Apostolus) *qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, suâ videlicet ultroneâ, propensaque affectione, volens misericorditer ex benèplacito suo gratiam vocationis, & instituti suscepti perficere in unoquoque Religioso: si nimirùm hanc Dei gratiam, & benevolentiam illam agnoscat in se, illam impensiùs imploret, & *Cum metu, & tremore* illi cooperetur. Qui timor est religiosæ vocationis certa tutela. Id quod S. Cyprianus luculentissimè docet, cum ait: [d] *Sit tantùm timor in nobis, innocentiæ custos; ut, quod in mentes nostras Indulgentiæ Cœlestis illapsu clementer Dominus influxit, in animi oblectantis hospitio iustâ operatione teneatur; nec accepta securitas indulgentiam pariat, & vetus denuò hostis obrepat*. Et S. Bernardus in religiosæ vocationis experientia versatissimus: [e] *In veritate*, inquit, *didici; nihil æquè efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam* (notetur hoc benè *retinendam*) *& recuperandam, si amissâ sit, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non solùm sapere, sed timere, secundum illud Salomonis: Beatus homo, qui semper est pavidus*. Cæterùm nimia securitas, & fiducia, quàm sit proxima lapsui, quâmque magno perdendæ vocationis exposita periculo, forsan alibi licebit (si Deo fuerit visum) examinare. Nunc ad materiæ nostræ progressum, sit.

a Philip. 2. 12. b Psal. 2. 11. c Phil. 2. 13.

d S. Cypr. lib. 2. ep. 2. ad Donatum. e S. Bern. citat. à Roderic. P. 3. Tr. 4. c. 9.

§ II.

§. II.

Quò maiore quis ſtudio virtutem colit, & perfectioni ſtudet, eò magis formidet.

I. EQidem univerſis iuſtitiam colentibus, ac præſertim religioſum inſtitutum profitentibus, incumbit ſalutem ſuam operari *cum metu, & tremore*; Sed ijs inter omnes timendum eſt magis, ac maiore ſtudio advigilandum, qui virtutem colunt impeſiùs, & ſanctitati ſtudent diligentiùs. Nam perfectionem in Religione profitentur omnes, & ad idem inſtituti ſtadium currendo (ſic enim exiſtimandum de omnibus eſt) eamdem ad ſalutis metam, quantum vires humanæ ſuſtinent, ut contingant, intendunt, & collineant: ſed non omnes æquali ſivè laborum, & exercitationum fervore, ac ſpiritu; ſivè gratiarum, quas Deus pro ſingulorum capacitate diſtribuit, merito. uti benè ponderanda venit illa parabola, quam Cœleſtis Magiſter Chriſtus Dominus olim Diſcipulis ſuis propoſuit ſub nomine cuiuſdam hominis peregrè proficiſcentis, qui [a] *Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundum propriam virtutem.* Dominus ille benè perpendit, & perſpectam habuit uniuſcuiuſque virtutem ſervi, ideoque in diſtribuendis etiam talentis erat accuratus, ità ut nullum eorum oneraret ad operandum, & diſpenſandum in adminiſtratione ſupra, quàm aliquis eorum poſſet. Sed dedit *Vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Operari voluit in talentis omnes; at ſingulos nonniſi *ſecundum propriam virtutem*: ac tandem ſinguli pro virium facultate, ſed & pro talentorum numero, ac pondere, laborârunt, & domini ſui faciendo lucro ſtuduerunt; gratiam ad laboris, & lucri æqualitatem apud Dominum lucrati ſunt, ità, ut, qui per talenta quinque lucratus eſt alia quinque, ſuper multa conſtitueretur bona; qui verò duobus talentis alia duo lucra-

[a] *Matth. 25. v. 14.*

tus est, etsi non super tàm multa bona, sicut ille primus; attamen in comparatione duorum talentorum, & lucri ex ijsdem, æquè super multa constitutus est. Tertius autem servus ad nimium timidus, & scrupulosus arbiter dominici rigoris, fortassis & laboris ac Negotiationis impatiens, in talento quidem conservando minimè damnosus, sed etiam minimè lucrosus; fidelis in servando, infidus in lucrando fuit. Scivit benè dominus vires, indolem & faculatem, eius naturæ, nec ipsum posse supra talenti unius æstimationem laborare, ideoque nonnisi voluit ipsum operari in uno. Sed quia negligens, & piger ne in uno quidem commodare domino voluit; ideò non tantùm laudem nullam, vel gratiam aliquam consecutus est ampliorem; sed etiam ut inutilis egregiè vapulavit, & in tenebras est eiectus exteriores.

2. Ità Dominus Deus unicuique Religioso præter gratiam vocationis, & religionis, etiam alia quædam confert dona peculiaria, sivè talenta, eadem commetiendo viribus uniuscuiusque naturæ; cū quibus operantur, & laborant singuli sic, ut ille qui sedulior est pro virium facultate, plus etiam in lucrandis alijs proficiat gratijs, alij minùs, sed tamen etiam *Secundum propriam virtutem*: & nihilominùs etiam ipsi lucrentur, & Deo fiant gratiores ad operum, & meritorum proportionem. Et veritatem sortitur in his Dei servis, quod S. Augustinus docet; homines videlicet alios alijs esse maiorum meritorum; alijs alios esse sanctiores; alijs alios esse meliores. Ait itaq; Doctor hic Sanctus: [a] *Ipsi Sancti (intelligite fratres) boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad sortem civitatis illius Ierusalem; ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus: Novit Dominus, qui sunt eius, diversarum gratiarum sunt; non omnes paria merita habent. Sunt alij alijs sanctiores, sunt alij alijs meliores.* Et ex hoc fundamento docet S. Thomas; quòd, sicut Deus Angelis secundum gradum naturalium singulis dedit dona gratiarum, & consequenter e-

[a] *S. Aug. tr. 6. in Ioan.*

tiam

tiam beatitudinis perfectionem; eodem quoque modo gratias suas hominum unicuique conferat, easdem commetiendo naturæ viribus, non quòd homo naturæ viribus aliquid sine gratia agere boni, & mereri possit; sed quòd Deus juxta capacitatẽ naturæ gratias, & dona conferat, quibus mereri possit, tàm charitatis augmentum, quàm etiam consummatam in æterna beatitudine perfectionem. Dicit igitur Angelicus Doctor: [a] *Rationabile est; quòd Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortiùs, & efficaciùs ad Deum sunt conversi. Hoc autem etiam in hominibus contingit. Quia secundum intentionem conversionis in Deum datur maior gratia, & gloria.* Ità Divus Thomas.

3. Iam igitur ex hac doctrina, siquidem meritorum, & sanctitatis, sunt certi gradus, sequitur alia veritas hìc in titulo præfixa: nimirùm quò maiore quis studio virtutem colit, & studet perfectioni Religiosus, eò magis ipsi timendum esse, tùm quòd magis insidietur ipsi humani generis inimicus, tùm quòd Deo Creatori suo, gratiæque datori magis sit obligatus ad operandum; tùm quòd lapsus illius (hunc autem Deus avertat) iudicio sit obnoxius rigidiori. Et quidem quantum ad insidiatorem diabolum, religiosiori studio, virtutibus, & divinis gratijs, ut eas auferat, majore semper inhiantem vigilantiâ, S. Ioannes Chrysostomus egregiâ similitudine rem illustrat, cùm ait: [b] *Quemadmodum piratæ quando vident navem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem divitias, tùm potissimum varijs moliuntur insidijs, ut possint mercibus omnibus navigantes illos spoliare: ità sanè diabolus cùm videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, & quotidie divitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes; ut si quâ vel parvum inveniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium divitiarum, deprædetur.* Ubi diligenter premendum est, quod dicit os aureum: *Si quâ vel parvum inveniat aditum.* Non quærit ve-

[a] S. Tho. p. 1. q. 62. a. 6. in corp.

[b] S. Io. Chry. hom. 31. in Ge.

rit veterator Stygius in Religioso vigilante, salutemque suam studiosiùs operante, magnum aditum, hoc est: alacrem, & in Dei servitio ferventiorem animam non statim ad notabilem aliquam illectat, & incitat culpam, non enim tàm stolidus, & ineptus est ille politicus, ut statim aperto Marte quempiam aggressus, facillimè deprehendatur, & subitò retundatur. Incipit ille subtiliter, imò subtilissimè, vix ut adverti possit, à minimis; ut hac ratione parvum sibi, & qualemqualẽ faciat aditũ. Hoc iam impetrato, facit sibi sensim aditum maiorem, tandem & maximum, ità, ut animam universis donis & gratijs Cœlestibus exuat, ac denudet.

4 Fit autem hoc non aliter, quàm constat fieri cum teredine, [a] seu tinea, quam Plinius apellat *Cerasten*. Nascitur hic vermis in ligno de putrescente succo. Natus ità non statim efficit aliquod notabile foramini suo spatium; sed sensim rodit tamdiù, donec in eroso foramine totum se circum agere possit: & hoc demùm ubi perfecerit, generat vermem alterum; & sic consequenter ex uno generantur plures, ac totum denique lignum reddunt inutile. Ità planè facit diabolus inimicus: insinuat se per aditum parvum; exempli gratiâ, per honoris, aut gloriolæ cuiusdam appetentiam; per levem oculorum, oris, aut lingvæ incuriam; per immoderatiorem in sermone vocis elationem; per vultus, aut manuum liberiorem agitationem; per aliquam modicam sine facultate sivè quietis, sivè colloquij, sivè cibi, vel potûs indulgentiam. Hæc, & his similia, omnium iudicio parva sunt, modica sunt, vix commemoratione digna sunt. Sed per hæc ubi *Parvum aditum* invenit, & occupavit hostis, sensim sine sensu inducit consvetudinem, ex usu deindè continuato contemptum; tandem facillimè iam aditum sibi facit, & occupat, maiorem, adeò, ut pessimus inquilinus ampliùs expelli iam non possit citiùs, quàm omnia deprædetur: ut videlicet ex taciturno faciat loquacem, & garrulum;

[a] Plin. nat. hist. lib. 16. c. 41.

rulum; ex continente incontinentissimum, & immunditiæ vas; ex humili superbissimum, & discolum; ex modesto immoderatissimum, & licentiosissimum; ex perfectionis exemplo, typum improbitatis.

5. Ecce, *Si quà parvum inveniat aditum*, quàm magnum intulit damnum! *Quidquid in nobis est spiritualium divitiarum, deprædatur.* Et propterea Religiosi viri quò perfectiùs vivere, Deoque placere, student; eò magis sibi metuunt, & cavent accuratiùs, quantum in ipsis est, cum Dei gratia, à minimis etiam imperfectis, ne quâ minimum habeat aditum inimicus, semper maioris virtutis, perfectionis, & sanctitatis maior insidiator. uti rectè S. Leo: [a] *Intelligamus*, inquit *quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab adversarijs impetendos.* Et Sanctus Hilarius. [b] *In sanctificatis nobis*, ait, *maxima tentamenta diaboli grassantur.* Non iam in perversis, non in mancipatis inimico per pravam consvetudinem, non in effrenatis in omnem licentiam, & impudentiam; hi enim ultrò, quidquid obuiam est, & ad improbitatem facit, perpetrant: sed in Dei servis studio perfectionis addictioribus; *In sanctificatis nobis maxima diaboli tentamenta grassantur.*

6. Quòd autem donorum, gratiarumque datori plurium, & ampliorum, magis obstringatur Religiosus, qui pluribus inundatur gratijs, ex superiore Christi Domini parabola manifestum est. Qui enim quinque talenta servus acceperat, de quinque pariter talentis rationem dedit, & lucrum, plus videlicet lucratus illo, qui duo tantùm acceperat. Rursùm, qui duo acceperat talenta, tantùm de duobus, non de pluribus, rationem & lucrum attulit. Cui tantùm unum datum fuerat, is de alterius quinque, vel de duobus, nihil esse debebat sollicitus, nec de pluribus, sed de uno solùm talento rationem deposuit; nisi quòd infelix agere lucrionem nescijt, vel potiùs noluit; ideò etiam condemnatus est cum pigris, & eie-

a *S. Leo ser.* 1. *de Quadrag.*
b *S. Hilar. in c,* 4. *Matth.*

& eiectus ad tenebras exteriores. Dicit igitur S. Gregorius super huius parabolæ narratione: a *Lectio Evangelij sollicitè considerare nos admonet; ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi graviùs indè iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergò esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Sed ego si centum Doctores, aut Sanctos Patres ad comprobationem veritatis huius producerem, eorum omnium sententijs maior est veritas ipsius Christi Domini disertissimè dicentis: *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum; plus petent ab eo.* Ità & Religiosus, quò pluribus à Deo cumulatur illustrationibus, donis, & gratijs; eò magis obstringitur, ut tàm ad numerum, quàm ad qualitatē donorum & gratiarū operetur, & secundum hæc ad reddendam Deo rationem.

a *S. Gre. hom. 9. in Evang.*

7. Horum donorum, & gratiarum certitudinem etsi nullus hominum habere possit; potest tamen cognoscere saltem coniecturaliter per aliqua signa (sicut docet S. Thomas) puta præsertim de gratia gratum faciente, b *In quantum percipit, se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum non est conscius sibi alicuius peccati mortalis.* De gratijs autem, quæ dicuntur gratis datæ, in quantum aliquis habet v. g. donum docendi, concionandi, literas (ut in nostro Instituto) benè formādi, gubernandi, cōsolādi, patrocinādi, etiam dæmones ex energumenorum corporibus eijciendi, ægros per orationem sanandi, & alia, quæ innumera sunt, dona, Religiosus obligatur ad operandum, & cooperandum ijs, in tantum, in quantum ipsum adhibet, & dirigit obedientia: vel, hac non obstante charitas urget. Cæterum tot gratias gratis datas habere se, seu conferri sibi religiosus existimet, quot in se numerat ministeria, & ad quod experitur habere se facilitatem, & expe-

b. *S. Tho. 1. 2. q. 112. a. 5. in C.*

& experientiam. Undè S. Bernardus ad Eugenium III. Pontificem maximum de consideratione scribens, satis enucleatè recenset in ipso singula, ex quibus unusquisque seipsum quoque considerare, instruere, & de singulis examinare, sed respectivè, potest. Dicit itaque: [a] *Teipsum considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplum, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, Cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, spem miserorum, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, lingvam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgã potentum, malleum tyrannorum, regum patrẽ, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi.* Hucusque postquam enumeravit omnia, nervosè denique concludit: *Quis non timeat, & tremat, hæc audiens, quæ ab hac sede omnia exiguntur?* Iam & Religiosus, Superior, tyrocinij Magister, Concionator, Confessarius, Lector, juventutis in gymnasio Institutor, & quocunque tandem officio, ministerioque fungens, etiam pro se ex his decerpere multa potest, & vel mutatis, vel additis, quibusdam pro ministerij, doctrinæ, donorum, & gratiarum ratione, dicere sibi: *Quis non timeat, & tremeat, hæc audiens,* & considerans, quæ ab hoc officio, ab hoc ministerio, ab his gratijs, & donis, *omnia exiguntur?*

8. Quòd autem & rigidiori iudicio maior sanctitas ob plures acceptas gratias, si contingat ab earum aliqua deficere; sivè, quòd lapsus hominis sanctioris, rigidiori tàm iudicio, quàm sententiæ sit obnoxius, assertionis huius veritas ex eo liquet, quod legimus apud Ezechielem Prophetam, cùm ait: [b] *Quòd si & quatuor iudicia mea pessima, gladium, famem, ac bestias malas, & pestilentiam, immisero in Ierusalem &c.* Quem Sacræ Scripturæ locum trutinans Origenes,

[a] *S. Bern. lib. 4. de consider.*

[b] *Ezech. 14. v. 21.*

nes, quærit: Quò, & in quem, quatuor istas plagas pessimas immittere comminatur Deus? Et respondet ipse sibi: [a] *Non super terram, sed super Ierusalem.* In hanc unam civitatem Deus omnem furorem suum in quatuor plagis pessimis effundet, non in terram universam, cui paulò antè pariter comminatus est. Causam antiquissimus dat pater, dicitq;: *Terra enim si puniatur, sufficit ei una correptio. Si autem corripiatur Ierusalem, super quam invocatum est nomen Dei; quatuor ei cruciatus inferuntur.* Et concludit denique: *Multò nobis utilius fuerat, divino non credidisse sermoni, quàm post credulitatem adhuc rursùm ad peccata converti, quæ antè commisimus.* Et S. Ioannes Chrysostomus in Homila quadam: [b] *Si divinâ, inquit, luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursùs ad eamdem malignitatem revertimur, gravior punitio nos profectò expectabit.* Et horum tàm à S. Ioanne Chrysostomo, quàm ab Origine dictorum ratio est. Quia illi, qui nunquam gratiam conversionis experti sunt, non habuerunt tàm multas gratias; pro quibus in iudicio divino reddere debeant rationem, sicut illi, qui conversi ex infidelitate ad fidem, ex peccatis ad pœnitentiam, ex sæculi vanitatibus ad Religionem, iam isti multò pluribus obstricti sunt, & etiam cumulati gratijs; ideoque plus etiam timere debent, ne denuò relabantur ad pristina: eò quòd iudicium ipsis immineat gravius, & rigidius. Cæterùm Religiosus cùm ob peculiarem gratiam vocationis, alijs in sæculo relictis non concessam, tùm ob alias etiam gratias, ac dona, quæ Deus ipsi copiosiùs impertit in Religione, quàm ulli vel sæcularium (vel saltem in his exemplo rariore, quàm in claustralibus) vel alijs etiam subindè contubernalibus suis, magis extimescat, & quò ampliùs experitur se gtatijs cœlestibus inundari, eò solicitior sit circa vocationem suam, & circumspectiùs vivat. Nam qui parùm timidus, sibi nimiùm præfidit, raro, de qua sibi blanditur, metam contingit. Pro quo sit.

§. III.

a Orig. hom. in Ezech. c. 14.
b S. Ioan. Chrysost.

§. III.

Nimiùm præfidentes, & profectûs incuriosi, non tantùm non proficiunt; sed etiam sæpè deficiunt.

I. NOn hìc intelligi volumus illos, qui penitùs abiecto timore Dei non modò salutem suam, & propositum, cuius gratiâ religiosum olim susceperunt habitum, negligũt finem; verùm etiam desperatione quadam acti contemnut; cum quibus iam nec admonitiones paternæ, vel fraternæ, nec pœnales animadversiones, nec alia proficiunt, aut sufficiunt ulla media. Solent enim eiusmodi reperiri contumaces Iudæ etiam in Religiosorũ claustris; & pro talium conversione nonnisi divinum aliquod prodigium, & fortissima Dei manus, aut in fine vitæ magna Dei misericordia imploranda, & expectanda est. Illorum autem hac paragraphe convenitur animus, qui Deo serviunt quidem in Religione, & pro viribus, adiuvante gratiâ, inviolata custodiunt in se vota religiosa, sed cum quadam animi remissione à primo fervore, & cum ea fiducia, nihil ut ampliùs soliciti, constituant in perfectiore vita proficere, contenti religiosum profiteri statum: ad arctiorem verò sui custodiam, ad solicitè vocationi suæ attendendum, ad ulterioris perfectionis studium non ampliùs adstringi se arbitrati, ferventiorem devotionis gratiam, & spiritum; modestiæ, rigoris, & aliarum ad religiosam perfectionem pertinentium præsidiorum media, penitùs intermittunt; & vel ad tyrocinium, vel ad rudiores ingenio (licèt etiam his deesse non soleat sua quædam securitas, quâ sibi blandiuntur, & præsumptio) remittunt.

2. Hi igitur tàm sunt à studio perfectionis, & in religiosa vita proficiendi spiritu alieni, ut non tantùm nihil proficiant, verùm etiam timendum sit ipsis vehementer, ne & illud modicum; quod in ipsis est, devotionis amittant, & in notabiles easque graves turpiter prolabantur culpas; & quod amplius est, etiam ne inutiles facti, voca-

tionis suæ desertores, iusto Dei iudicio, miserrimè pereant. Nam certum est, quòd ex unius initio mali fiat progressꝰ ad malũ aliud; & ex parvo malo venitur ad malũ magnũ, & ex hoc demùm festinatur ad duritiem cordis, iuxta illud Ecclesiastici: a *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Hinc S. Gregorius; *Si curare,* inquit, *parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.* Et alibi. b *Admonendi sunt,* ait, *qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt; ut nequaquam considerent, qualia, sed quanta committunt.* Et paucis interiectis: *Qui minima flere, ac devitare negligit, à statu iustitiæ non quidem repentè, sed partibus, totus cadit.* Et hoc communiter in illis accidit, qui tantùm religiosa contenti professione, de perfectionis ulteriori studio parùm, vel nihil, curant. Incipiunt modica negligere, modicos etiam admittere defectus, horum expiationem contemnere; sicque demùm ab hoc minimo (sicut videtur) mali principio, & à minimo sæpiùs iterato, festinatur ad grande malum, etiam posthac insanabile.

3. Disertiùs idipsum S. Augustinus exponit; cuius verba licèt prolixiore sensu producta, libens hìc insero. Dicit igitur iste spiritûs Mrgister Augustissimus: c *Via ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt genera hominum, quæ odit; remanentem, retrò redeuntem, & aberrantem. Qui non proficit, remanet in via. Qui fortè à meliore proposito declinat ad id, quod deterius reliquerat, reversus est retrò. Qui fidem deserit, à via erravit. Quis est, qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem; qui dixerit: sufficit mihi, quod sum, qui non attenderit eum, qui dicit: Quæ retrò sunt, oblitus, in ea, quæ antè sunt, extendo meipsum, sequor ad palmam supernæ vocationis. Currentem se dixit; sequentem se dixit; non remansit non retrò respexit. Qui sunt retrò redeuntes? Qui ex continentia revertuntur ad immunditiam.* (ô iudicia Dei! meritò hìc exclamem) *Qui ex Sancto, & singulari proposito bono in malum corrrumpuntur.* (ô abyssus iudiciorum Dei!) *Ex bono,* inquam,

a *Eccli. 19. 1. S. Gre. lib. 10. mor. c. 9.*
b *3. Past. admon. c. 34.*
c *S. Aug. lib. de Cant. novo. c. 4.*

inquam, *proposito in malum corrumpuntur. Hos increpat Apostolus dicens: Meliùs illis erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm cognoscentes retrorsùm converti. ô malum retrospicere! Vxor enim Lot, quæ liberata est à Sodomis, contra præceptum retrospexit, & in statuam salis conversa est.* Hucusque S. Augustinus.

4. Et qnamvis Deus concedat, ut in Religione perseveres; illa tamen securitas, & fiducia sui, saltem hoc efficiet, ut animam in æterna vita privet gloriâ maiori accidentali. Sed nihilominùs periculosissimum est, solâ tantùm religiosâ professione contentum vivere, nec ullum ulterioris perfectionis fervorem, ac desiderium quoddam insatiabile concipere; vel, si desiderium huiusmodi non habeas, saltem desiderium desiderandi habere, secundum illud divini Psaltæ: [a] *Concupivit anima mea desiderare.* Non enim Deus ideò vocavit, & vocat ad Religionem, ut quis in ea simpliciter Religiosum profiteatur, contentus habitu tantùm, nomine, professione: sed ut agat Religiosum bonum; ut per disciplinam, & exerciatationem actuum religiosorum sit sedulus operarius, in studio perfectionis assiduus, in fervore spiritûs indefessus. Sicut enim patri-familias non satis est, operarios habare multos in vinea, multos in domo servos, in agro multos agricolas: intereà verò torpore desides, & otiosos; sed habere vult operosos, gnavos; indefesso labore vineam, ministeria domûs, agriculturam, terreni pastinationem, sulcorum accuratam proscissionem, impigrè exercentes. Ità Religiosus non ideò tantùm profitetur aliquod institutum, ut sit nominetenus Religiosus & numerus in claustro: sed sit ipsâ re talis, qualem ostendit habitus, & professio. Nam studium perfectionis, quod omni Religioso competit, non consistit in inchoatione, sed in continuatione: Via ista nostra ambulantes quærit.

5. Præclarè ad hoc propositum hortatur iterùm alibi Sanctus idem Augustinus: [b] *Ergò proficite fratres*, inquit; *discutite vos semper sine dolo, sine adu-*

[a] *Psal.* 118.

[b] *S. Aug. ser.* 15. *de verb. Apost.*

ne adulatione, sine palpatione; semper displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris; sufficit: & perijsti. An potuit aliquid nervosiùs ad incitamentum dici? Non equidem puto. Formidabile satis est, & unicuique pigro, remisso, & ad profectum dormienti satis sit, audire: *Si dixeris; sufficit, & perijsti.* Audacia ista, & voluntarius in proficiendo neglectus, quis scit an non eò perducet, ut totus ad primam, vel etiam ad novam, eamque maiorem morum pravitatem, quam paucis ab hinc mensibus, aut annis, deseruisti, redeas? An si non corpore, certè animo, totus in sæculo hæreas? an non etiam, iusto Dei iudicio, totus pereas? *Sta in timore,* sta: labora indefessè; certa continuè; progredere, & profice sine remissione. Quia hoc, certa perfectio est; illud, certa perditio. *Si dixeris; sufficit: & perijsti.* Audi & S. Bernardum hanc in rem nervosè pariter scribentem ad Garinum quemdam: a *Indefessum,* inqvit, *proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni est esse perfectum; profectò, nolle proficere; deficere est. Vbi ergò sunt, qui dicere solent? sufficit nobis: nolumus esse meliores, quàm patres nostri. ô Monache! Non vis proficere? non. vis ergò deficere? Nequaquam. Quid ergò? sic mihi inquis, vivere volo, & manere, quò perveni; nec peior fieri patior, nec melior cupio.* Hæc sic prolata Doctor mellifluus posteà refellit, ac inter alia sic prosequitur: *Quòd si, Domino currente, tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumque tibi est, quod ait David: Ecce qui elongant se, Domine, à te: peribunt.* Concludit denique. *Itaque si proficere, currere est; ubi proficere, ibi & currere desinis: ubi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonnisi deficere est.* Iam ubi tàm instanter Sanctus hic urget, cùm dicit: *Nolle proficere, nonnisi deficere est;* quid aliud addere voluisse putamus, quàm quod per reticentiam innuit? Deficere, pe-

a S. Bern. ep. 254.

rire est. *Quia si dixeris; sufficit: & perijsti*: quantò magis, si deficis, perijsti? Nam, qui non proficiunt, deficiunt: & non proficiendo qui deficiunt, elongant se à Deo. Et *Qui elongant se, Domine, à te*; eheu! miseri; *peribunt. ô quis non timeat, & tremat, hæc audiens*, Sanctorum dicta! Quæ non magis ab ipsis, quàm à Spiritu Sancto inculcantur; Ideoque. *Timete Dominum omnes Sancti eius.*

CAPVT. XV.

§. I.

Religiosam vocationem, & spiritum, egregiè fovet, atque conservat; à parentum, & consangvineorum visitationibus abstinere.

I. HAbet inter alia conservandi sui media peculiare quoddam præsidium hoc religiosa vocatio; ut à parentum, & consangvineorum visitationibus abstineat; & Religiosus ità vivat in claustro, tamquam ignotus toti mundo, ipsique sit vicissim in oblivione mundus. De parentibus & consangvineis ità nesciat, tamquam nullos habeat; & ità cùm animo, tùm corpore sit totus in Religione; tamquam præter Cœlum, & claustrum, alium nullum sciat locum; nullos parentes, fratres, sorores, & propinquos habeat, præter Deum, Superiores, & instituti sui in Christo fratres. Ità divinus Psaltes sanctam animam illam, quam instar reginæ vidit assistentem regi totius universi [a] *In vestitu deaurato, circumdatam varietate*, monet, ac instruit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Quam Psalmi sententiam non frustrà nobis suggerit Venerabilis Patriarcha noster Ioseph à Matre Dei, & pari affectu unumquemque nostrûm ab inordinato erga sangvine iunctos amore dehortando, pariter & ipse citat in Constitutionum nostrarum Parte Prima, Capite quarto: atque ob hoc unum, plurimum ex instituto nostro fructum percipi posse luculenter innuit, cùm ait: [b] *Quæcunque*

a *Psal.* 44. 11. b *Const. P.* 1. *c.* 4.

anima fidelis ex instituto nostro fructum plurimum percipere cupit, exhortationem illam *sibi dictam existimet : Audi filia*, &c. *& obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Ubi diligenter notandum est, quod dicitur : *Quæcunque anima fidelis fructum plurimum percipere cupit*. Est enim certissimum ; Religiosum illum, qui se totum à parentibus, & consangvineis, sicut separatus est corpore, sic & animo segregat; nec aliter in claustro manet, & si plurimos habeat cognatos, & amicos, quàm si nullum penitus habeat, neminem noscat, Deo tantùm, & Religioni, cui se totum consecravit, cognitus, & fructum plurimum ex instituto percipere, & simul in alijs etiam ad perfectionis, ac sanctitatis exemplum facere.

2. Nam in primis fructum percipiendum quod attinet plurimum, fundatur in eo ; quòd Deus eiusmodi Religiosum peculiari prosequatur amore, & gratiâ; Cœlestibus illustrationibus, & consolationibus inundet frequentiùs ; & amorem illum, quem à sangvine iunctis avulsum, totum in auctorem suum Deum convertit, incomparabiliter, compenset, ac beneficijs, gratijsque cumulatissimè rependat, ut verè talis anima possit dicere : a *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me ; Dominus autem assumpsit me*. Et, alium si non haberet fructum, quàm unum hunc solum, quòd Deo sit peculiari curæ, & ametur ab eo tenerrimè, tamquam ovis illa, quam parabolicus apud Nathan Prophetam pauper quidam habebat, eamque b *Nutrierat, & quæ creverat apud eum, cum filijs eius simul, & de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens*, ità ut tenerrimam hanc Dei tutelam meritò gratulari sibi possit, ac dicere cum regio Psalte: c *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*. Ah, Deus meus ! *Quid mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram ? Defecit caro mea, & cor meum ; Deus cordis mei, & pars mea*

a *Psal*. 26. 10. b 2. *Re*. 12. 3.
c *Psal*. 72. 23.

Deus

Deus in æternum. ô fructum! ô præmium! ô hæreditatem, ac possessionem solitario Religioso non aliam, quàm ipsum Deum! *Deus meus, & omnia!* Quid iam aliud fidelis anima quærat, cùm habeat Deum, thesaurum omni thesauro præstantissimum? Thesaurus iste gratiarũ cælestiũ incrementum adfert; virtutes in proficiente multiplicat, perficitque; animam dilecto Deo dignam efficit; æternâ gloriâ beat; & pro merito coronat.

3. Deindè, quòd fructum etiam in alijs eiusmodi Religiosus faciat plurimum, quis non videt? In hunc enim unum omnium convertuntur oculi: domestici suspiciunt, & ad imitationem accenduntur; extranei venerantur, & colũt: & quamvis alioquin eruditione sit exiguus, ipsum tamen in omnibus sublevat gratia, eamque verbis eius addit vim, & energiam; ut suis ad populum pro concione dictis plus persvadeat, & fructum in animabus faciat maiorem (siquidem Spiritus Domini loquitur in ipso) quàm centum Ecclesiastæ scientijs excultissimi, sed corde in amicitias erga sæculares, inordinato erga parentes, & consangvineos affectu; commercio in familiares, & amicos, nimiùm divisi. Et huc respexisse mihi videtur mysticè Sacer Historicus, qui volens indigetare felicissimum Iosephi progressum in Ægypto, quando filios eius duos ibidem natos ità describit: a *Vocavit nomen primogeniti Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domûs Patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Iam quo mysterio duorum filiorum Iosephi nomina sub oblivionis (hoc enim significat *Manasses*) & frugiferi, sivè crescentis (hoc enim significat *Ephraim*) involucris expressa sunt? Arcanum explicet nobis eruditissimus Rupertus: qui referens eam historiam in sensu mystico ad Christum Dominum, nobis etiam Religiosis pulchram, propositoque nostro peraccommodam adfert doctrinam, dum ità scribit:

a Ge. 41. 51.

Qua in re Christus Dominus Servator, ac Magister noster optimus, cùm omnibus in ipsum crediturus, tùm præcipuè Religiosis, ut fructum ex instituto suo & ipsi percipere, & in alijs etiam facere possent, ipse præivit exemplum. Nam etsi secundum carnem verè fuerit purissimæ Virginis Mariæ Filius, virtute Spiritûs Sancti in eius utero in membra humana formatus; in terra tamen quamdiù cum hominibus conversatus est, ità semper se gessit

[a] *Hoc quoque Dno nostro ità mysticè congruere arbitramur, quatenus & nos exemplo eius obliviosi primùm, & deindè fructuosi simus, secundum nomina Manasse, & Ephraim: quorum alter oblivio, alter fructificans interpretatur. Nam ille propter nos oblitus est domum Patris sui, id est, gentem illam, in qua Pater eius Deus Synagogam, & Templum, multosq; filios, id est, sui nominis adoratores habuit, & propter nos grano frumenti assimilatus est, quod cecidit in terram, & mortuum est, ut multum fructum afferret. Hoc, inquam, eius exemplo, & nos obliviscamur domum nostram, id est, omnem cognationem carnis, ubicunque nos ab eodem Domino nostro IESV Christo devocari contingit; iuxta quod unicuique fideli animæ dicit Spiritus Sanctus in David: Audi filia; & vide; & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Nam & ipse Christus Dominus in Evangelio dicit: si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus. Quo fructu id faciet, ut secundum nomen Ephraim dicat: Crescere me fecit Deus, in terra paupertatis meæ &c.* Hucusque religiosissimus Abbas Tuitiensis. Ex cuius ratiocinatione patet; quàm uberem faciat Religiosus tàm in se, quàm in alijs ex instituto suo fructum, quando populum suum, cognationem, & domum patris sui oblitus, instar grani in terram proiecti, mortuique, in trigesimum, sexagesimum, & centesimum bonorum exemplorum, divinæ gratiæ, & beatitudinis æternæ crescit, & exuberat fructum.

4\. Qua in re Christus Dominus Servator, ac Magister noster optimus, cùm omnibus in ipsum crediturus, tùm præcipuè Religiosis, ut fructum ex instituto suo & ipsi percipere, & in alijs etiam facere possent, ipse præivit exemplum. Nam etsi secundum carnem verè fuerit purissimæ Virginis Mariæ Filius, virtute Spiritûs Sancti in eius utero in membra humana formatus; in terra tamen quamdiù cum hominibus conversatus est, ità semper se gessit

a *Rupert. comm. in Ge. lib. 8. c. 42.*

erga Matrem, ut eam veneraretur quidem, secundùm hominem, ut Filius; sed matris eam nomine compellaret, nunquam; neque semper, ut matrem agnosceret, inque rebus ad ea, ad quæ in mundum venit, pertinentibus absolutè sine matris egerit authoritate. Hinc ætatis suæ anno duodecimo, conveniens (humano iudicio) videbatur, ut remansurus in Ierusalem, mentem suam aperiret Matri; nec tamen hoc fecit, non matris, sed Patris sui Cœlestis voluntatem exsecuturus. Ideoque Sanctissimæ Virgini posteà tenerrimè expostulanti, quòd ipsa, & Ioseph Pater eius nutritius dolentes, ipsum quæsiverint, graviter respondit: [a] *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* In Cana Galilææ vocatus erat ad nuptias, in quibus fuit & Mater eius. Hanc ubi defectus advertit vini, à nemine, nisi à divino Filio suo per miraculum supplendus, innuit ipsi penuriam maternâ pietate mota. Cùm verò Filius non dixit: Quid me vis facere, Mater? sed tamquam non Matrem suam allocutus, ait: *Quid mihi, & tibi, mulier?* Aliàs eius eadem Matre cum fratribus stante foris, & ipsum alloqui volente, cuidam nuntianti, dicentique [b] *Ecce Mater tua, & fratres tui, foris stant, quærentes te,* En quomodò respondit: *Quæ nam est Mater mea?* Responsum hoc eò spectabat, quòd Matrem nec agnoscere, nec audire de Matre vellet. In Cruce pendebat iam iam moriturus amabilissimus IESUS. Vidit tunc Matrem afflictissimam stantem iuxta Crucem, & in illo supremo termino, quando maximè regnare solet, & explicare se erga parentes, & sangvine iunctos affectus, & amor, non eam appellavit matrem, sed nomine communi mulierem: [c] *Mulier*, inquit; *Ecce Filius tuus.*

5. Iam quare Dei Filius, qui Patrem & Matrem ex lege divina voluit honorari, nusquam legitur, Purissimam Virginem Mariam Matris suæ nomine compellâsse? Audivit quidem in templo dici sibi:

[a] *Lu.* 2. 49.

[b] *Matth.* 12. 40. [c] *Io.* 19. 26.

a Fili,

[a] *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Sed ille tamquam non filius, alium confessus est habere se Patrem, consequenter quasi nec matrem in terris haberet. Sic enim audientes homines alij intelligebant, vel saltem poterant intelligere. Quin & ipsa Mater eius, & Ioseph *Non intellexerunt verbum, quod locutus est eis.* Sic in nuptijs patraturus miraculum; sic in domo quadam docens populum, sic in Cruce pendens, non matrem, sed mulierem appellavit. Cur autem ità? Scio, tàm Sanctos Patres, ac Doctores; quàm interpretes ad singula respondere sapientissimè pro vario suo cuiusq; sensu. Sed inter alios, illorum ad propositum nostrum facit responsio, qui Christum Dominum sivè in ministerijs, ad quæ missus à Patre suo Cœlesti fuerat, sivè in patrandis miraculis, propterea dicunt, non agnovisse Matrem; non quòd secundum carnem non fuerit verè Mater ipsius, & ipse verè Filius eius, sicut olim insaniebat Marcion, & Manichæi: sed ut ostenderet, se superiorem esse Matre secundum divinitatem; habere se videlicet Patrem Deum, ex quo genitus ab æterno nihil omninò dependeret à matre; ideoque nec in docendo, prædicando, patrando miracula quidpiam ad matrem pertinere: per hæc ut fructum faceret plurimum in animabus, non iam matri debere se obtemperare, sed Patri suo Cœlesti; sicque nec iam ad matrem, sed ad Deum Patrem mentis oculos attollendos esse.

6. Itaque ad expostulationem illam Matris in templo, simul & ad responsum Filij, Venerabilis Beda disertè sic dicit: [b] *Non, quòd eam, quasi Filium quærat, vituperat; sed quòd ei potiùs, cui æternus est filius, debeat, cogit mentis oculos attollere.* Super illud autem ante miraculi patrationem. *Quid mihi, & tibi mulier?* Euthymius ait: [c] *Non dixit, Mater; sed, mulier, tamquam Deus.* Ad illud etiam: *Quæ nam est mater mea?* [d] Scitè S. Ambrosius, *Vt paternis*, ait, *se ministerijs ampliùs, quàm maternis affectibus*

[a] *Luc. 2.*

[b] *V. Beda.* [c] *Euthym.* [d] *S. Ambros.*

bus debere ostenderet. Ad idem quoque prorsùs appositè S. Laurentius Iustinianus; a *Quare, inquit, sic respondit Dominus IESVS? utique propter nos; ut conversos ad Dominum iam non solicitet cura parentum carnalium, & necessitudines illorum non impediant exercitium spirituale. Quamdiù enim in mundo sumus, debitores nos constat esse parentum, postquam verò per obedientiam nosmetipsos reliquimus, nos ab ipsorum necessitatibus cognoscamus esse absolutos.* Deniq; quàm deceat, imò quàm necessarium sit, Religiosum à parentibus, & consangvineis alienum esse, satis eiusdem Domini Servatoris nostri docemur exemplo adhuc aliundè; quòd videlicet figuratus in Sacerdote Melchisedech, qui (sicut Epistola docet ad Hebræos) erat b *Sine patre, sine matre, sine genealogia*, docuit hoc ipso; ut & nos Deo per religiosam consecrati vitam patrem, nec matrem, nec genealogiam ullam nobis constituamus in mundo: sed nec initium, nec finem Deo serviendi statuamus; sed semper illi famulari pergamus; & vitam hanc mortalem cum vita perpetua, amando, orando, & laudando Deum, continuare.

7. Ex dictis hactenùs iam facilè potest inferri: Quòd sicut Christus Dominus, ut fructum faceret plurimum, Patris æterni voluntatem explendo, non matrem secundum carnem respexit, humanum affectum omnem erga Sanctissimam Virginem Mariam exuisse visus, solum Deum Patrem agnovit, ne vel in minimo divideret studium, & officium suum; ità Religiosi, ut tàm sibi, quàm alijs adferant ex professione sua fructum uberrimum, exuere debent naturæ propensionem erga patrem, matrem, fratres, sorores, & alios sangvine propinquos: amorem autem, & affectum omnem ad illum convertere Patrem, cuius obsequio semel se iam consecrârunt. Quòd autem pater, & mater, alijque iure naturæ sibi vendicant amorem; hunc ex carnali convertant in spiritualem; nec aliter eos amet Religiosus, quàm sicut nobis inculcat Constitutio nostra: nimirùm

a S. Laur. Iustin. in ligno vitæ Tract. de Obed. b Hebr. 7. 3.

mirùm: a *Secundum charitatem benè ordinatam, & Christo, cui soli vivere, & placere studeat, adhæreat.* Undè gravissimam tàm Christo Domino, quàm Religioni, sicut & vocationi suæ, adferunt iniuriam illi Religiosi; qui vocationis, & obligationis suæ parùm memores adeò propensionem naturalem erga parentes, fratres, aut unam (liceat ità dicere) sororculam frenare nesciunt, quin singulis annis & semel, & iterùm, & tertiùm eos visitent, extortores à Superioribus importunissimi facultatis, sibi, vocationi suæ, ministerijs impositis damnosi, tùm quòd plerumque in casus aliquos incidant inexpectatos, & extraordinarios, Religionique, vel saltem domui, ex qua proficiscuntur, onerosos: tùm quòd illorum ministeria vel feriari debeant, vel ab alijs non cum ea, qua par est, aptitudine, sedulitate, & satisfactione, mandari possint exsecutioni; tùm quòd spiritum, & affectum erga vocationem, professionem, & erga spirituales exercitationes omninò dissipet, utinam non & penitùs extinguant! sæcularium, cum quibus agunt, & conversantur, mores, sensim combibant; exercitia spiritualia domi fieri consveta negligant; quidni & Deum offendant, ac Spiritum Sanctum contristent?

8. Benè propterea S. Hieronymus, expendens illud, quod habetur in Levitico, b *Super patre suo, & matre non contaminabitur*, scilicet Sacerdos, ità scribit ad Fabiolam: c *Multa nos cogit facere affectus; & dum corporum propinquitates respicimus, corporis, & animæ Creatorem offendimus. Qui autem amat Patrem, & matrem super Christum, non est eo dignus. Multi Monachorum, dum parentibus miserentur, animas perdiderunt. Super patre, aut matre pollui non licet: quàm ergò minùs super fratre, sorore, consobrinis, familia, & servis? Genus regale, & Sacerdotale sumus: illum attendamus Patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur; qui Deo vivens, mortuus est, ut nos mortuos vivificaret.* Hucusque S. Hieronymus ex eremo sua. Quem Sancti Doctoris sensum

a *Const. p. 1. c. 4.*

b *Lev. 21. 11.* c *S. Hieron. ad Fabiol.*

non

non levi cogitatione oportet percurrere; sed expendere deberent impensiùs illi Religiosi, seu nos; qui patris, matris, fratris, sororis, aut consobrini visitatione crebrâ *Dum corporum propinquitates respicimus, corporis, & animæ Creatorem offendimus.* Adeò nimirùm erga propinquos affectu subindè conglutinamur, ut sine conscientiæ scrupulo, nùm Deum offendamus; an erga Religionem, quæ nos in Christo genuit, matrem simus iniuriosi; religiosam charitatem, pacem, & ipsam instituti Regulam an infringamus, non sit apud nos pensi; modò fratris, sororis, aut consobrini, vel consobrinæ prospectum sit causæ; modò sangvini benè cedat patrocinium, quidni & patrimonium? Quod certè tàm repugnat professioni nostræ, quàm in causis curialibus sedere pro tribunali. Sed nempè sine conscientiæ remorsu *Dum corporum propinquitates respicimus, corporis, & animæ Creatorem offendimus.*

9. Et benè iam tandem audio submurmurantem quempiam. Quid enim magni peccati est; quòd patrem, matrem, sororem, consobrinum, aut consobrinam semel in anno (etiamsi pluries) visitem? si funus alicuius consangvinei mei, patris, aut matris; si natalitium diem, si genethlia meorum adeam, & præsentiâ meâ cohonestem? Respondeo tibi. Præterquam quòd summæ sapientiæ Christo Domino carnalem tuam præponas sapientiam, qui non permisit Discipulum suum adire patris sui funus, dixit autem illi disertè: [a] *Sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, etiam magnum esse peccatum in natura, in ordine, in Vocatione, seu Professione.

10 In natura ideò. Quia postquam per frequentatos bonarum exercitationum spirituales actus habitum quemdam induisti, seu contraxisti, idem habitus annorum aliquot spatio, longoque temporis usu, multo quoque labore tuo, conversus est in quamdam naturam. Iam in paterna domo, inter assidua iam hæc, iam illa negotia, ad te tamquam ad o-

[a] *Matth.* 8. 22.

Mm raculum

raculum quoddam deferri, & referri solita, inter consangvineorum ad te confluentium visitationes assiduas, inter consessus, & colloquia diuturna non de rebus ad professionem tuam pertinentibus, an non infertur habitui contracto spirituali, consequenter & naturæ tali iam assvetæ habitui, violentia, & in naturam hanc peccatur? dum ad aliud longè, quàm ad consveta sibi violenter trahitur exercitia. Et hoc verissimum est; nisi minimè pudeat confiteri: quòd ultrò, citroque sæcularium cōmercio gaudeas, & oblecteris potiùs, quàm consortio Christi; quàm obsequio Dei, quàm societate religiosorum in Christo fratrum, quàm exercitio disciplinæ religiosæ, quàm animæ tuæ pertractando negotio. Deindè vel in hoc etiam naturæ quodammodò pervertis ordinem, & in eam es iniuriosus, ac peccas. Quia vocatus in consortium, & sortē filiorum Dei, qui te à parentibus, & consangvineis ad se, non autem ad domum paternam, avellit; & ad illum te ducit finem, ad quem verè creatus es, & ad quem te quotidie tendere cum profectu desiderat; tu per Creatoris tui neglectum, & tacitum contemptum, sensim à fine tuo recedis, vel saltem ad illum nihil progrederis: & ità id, quod Deo debes, impendis sangvini; affectu, & amore magis ad consangvineos, quàm ad Deum, qui tibi debet esse, & est, omnia, accedis.

11. Est autem peccatum & in ordine. Quia bonus ordo requirit hoc à te; ut Christum, & professionem tuam, quæ te verum postulat esse religiosum, præponas sangvinis propinquitati, tu verò Christum, ó quantum! deseris, & abeo recedis. Ubi tempus, quod piæ meditationi, precibus, ac disciplinæ religiosæ, quæ omnia sunt dulcis quædam cum Christo conversatio, in domo religiosa poteras impendere, tu colloquijs, & negotijs sæcularibus, inutilibus nugis, egregiè impendis. Et cùm sæcularis de omni verbo otioso, quod locutus fuerit, Deo rationem reddere de-

beat in judicio, cogita, quam rationem à te Religioſo, qui *Genus regale, & Sacerdotale* es, otioſa multa, & animæ tuæ minùs utilia loquente, requiret Deus?

12. Sed dicis. Ego nihil eorum, ad quæ domi per regulam obligatus ſum, foris omitto: tempus haudquaquam perdo; ſemper autem utiliter impendo. Equidem fieri poteſt, ità facere te. Sed ego non credo. Quia, ſi domi facilè ſilentium infringitur per inane colloquium; interdùm etiam ex occaſione leviſſima ſpirituale quodpiam omittitur exercitium, ubi ordine ſuo, ut agantur omnia, ad ſingula ferè peragenda æris campani ſigno fit admonitio; quid expectandum foris, ubi nec ullo ſigno, nec aliorum domeſticorum exemplo, nec aliquâ temporis opportunitate provocaris? ſi domi colloquium aliquod ſpirituale facilè convertitur in alium ſermonem quempiam profanum; quid expectes ab ijs, qui ſpiritualem vitam, & quid ſit ſecundum ſpiritum vivere, penitùs ignorant?

13. Peccatur denique in Vocatione, ſeu profeſſione. Quia Chriſtus Dominus vocavit te, ut animæ tuæ negotium agas: tu autem apud parentes, & inter conſangvineos, carnis, & ſangvinis, & alia negotia ſæcularia pertractas; neque reputas illud, quod dicit S. Ambroſius: [a] *Qui partitur ſtudium, dividit affectum.* Hunc uni Chriſto debes; & tu, dum patri, matri, ſorori, vel conſobrino partiris, ipſum dividis ità, ut partem Chriſto, partem ſangvini, fortaſſis & privatis commodis tuis, quæ nemo ſcit meliùs, quàm Deus, & tu, impertiaris: & dum ex vocationis inſtituto debes operam navare profectui tuo ſpirituali, partiris operam, & ſtudium, ad defectum. Verè, ſicut Apocalypticus Angelus ille, ſtare vis uno pede quidem in terra, altero verò in mari.

14. Eduxit te Deus ex Ægypto, cur iterùm eodem remeas? Audi quid inculcet Origenes: [b] *Quemadmodum,* inquit, *diſcedentes filij Iſràël de Ægypto viam fecerunt trium dierum in deſerto; ità, qui relicto ſæculo,*

a S. Ambros. b Orig. Homil. 3. in Exo:

sæculo, Deo servire cupit, in solitudine viam debet conficere trium dierum, id est, conservare se ab omni inquinamento animæ, corporis, ac spiritûs. Quòd etiam in sæcularium domibus, & extra claustrum inter consangvineorum, amicorum, & familiarium commercia, in mundanorum consortio, & frequentia servari possit cor mundum; hoc tàm debet videri paradoxum, præsertim in Religioso juvene, quàm iuvenis illius, responsum Monachi; qui in taberna meritoria, in medio choreutarum tripudiantium virorum, ac mulierum commoratus, & foràs à sene quodam evocatus Monacho, & ob id reprehensus, respondit procaciùs: etiam in medio tripudiantis populi, se cor mundum habere posse. Equidem verum dixerit ille; in eiusmodi quoque circumstantia, præsertim non voluntariè quæsita, cor haberi posse mundum: solet enim Deus, ubi mundus animus præter expectationem incidit in occasionem eiusmodi, ex peculiari gratia sua succurrere periclitanti: sed absolutè cor haberi mundum, ubi se quis ingerit ultrò, sicut Monachus ille fecisse præsumitur iuvenis, egregiè sit mentitus. Nam medijs aquis immersum non madefieri, ardentes in nuda manu gestare prunas, & non aduri; picem tangere, nec inquinari, prodigium est. Sic & Religiosus, sæcularium iocis, facetijs, & cachinnis, atque consortijs intricatus, ut aliquid ex sæculi vanitate non participet; conscientiæ puritatem aliquâ parte non commaculet; ille verum esse credat, qui sine carne, (si fieri possit) inter Angelos educatus nihil humani sciat, vel possit, experiri.

§. II.

Religiosus extra claustrum demoratus, raro domum redit integer.

I. APpositè Venerabilis ille Spiritûs Magister Thomas à Kempis alicubi solenne cuiusdam de se recitat dictum: a *Quoties inter homines fui, minor homo redij.* Cui deinde apho-

a *Tho. à Kemp. de imit. Christi lib.* 1. c. 20. *nu.* 2.

aphorismo subdit & ipse suum, dicitque: *Faciliùs est domi latere, quàm foris se posse sufficienter custodire.* Quæ duæ sententiæ tàm sunt à verò, quàm omne aliud divinæ scripturæ theorema. Esto enim extra religiosam domum cum patre, matre, cæterisque consangvineis agat Religiosus honestate, vitâ, moribusque spectassimis; ut tamen alij non adsint & conveniant familiares, & amici, quorum ingenia toto Cœlo diversa sint ab istorum indole inficiari nemo potest. Et dicatur denique de sæcularium domibus, & consortio, quidquid debet, & potest dici honestissimi; sæculares tamen sunt illi, non Religiosi, nec eremitæ; nec cum alijs est commercium, quàm cum sæcularibus, ità ut vel ipsum solum vocabulum sæcularis à religiosa professione sit diversissimum. Nec aliud in eorũ domibus audies, aut videbis, quàm quod sæculum, mundũ, & temporariã occupationem, commodum, & negotium sapit; & omnis eorum sermocinatio certè non erit de religioso spiritu, non de meditationis, aut orationis incomparabili fructu comparando, & conservando; non de instituti religiosi perfectione promovenda; nam ista nihil ad ipsos pertinent: non de tempore precibus, alijsque spiritualibus exercitijs impendendo; non de rerum mundanarum contemptu, sæculique fuga: sed amorem potiùs, & pruriginem huius sæculi vanitatum (iuveni præsertim, & indole præstanti) si non instillabunt per blanditias suas, profectò non etiam dissvadebunt.

2. Itaque quidquid Spiritûs hausit Religiosus hactenus, hoc ipsi cum sæcularibus eripiet conversatio. Quod tempus religiosis exercitijs impendebat in claustro, totum id in spolium, prædam, & direptionem inutilium cedit colloquiorum. Quid dicam de vanis materijs, quas in sermonem subindè solent adferre aliqui? quid de moribus à probitate multum alienis? de licentia, procacitate, & immodestia quorumdam in agendo, loquendo, & ad nimium usq;

mundanè procedendo? Quæ tamen Religiosus omnia, nolit, velit, audire cogitur, & videre, sensim etiam modestiam assvescit exuere, verba minùs pensiculatè proferre; paucis ut multa comprehendam, cum sæcularibus (liceat mihi sic dicere) sæcularizare discit, atque consvescit. Nam hic quidem amicus monasticam à Religioso gravitatem propulsat; ille familiaris religiosam modestiam dedocet; consobrinus iste Deo debitum suffuratur amorem, vel saltem magna ex parte minuit; soror, aut neptis severitatem diffringit vultûs. Et sic re verâ dum *inter homines* fuit Religiosus, *minor homo redijt.*

3. Scitè propterea Sozomenus in sua refert historia: Antonium cognomento Magnum dicere solitum fuisse: [a] *Aquam piscibus alimento esse; Solitudinem autem* (id est constantem permansionem in claustro) *Monachis afferre ornamentum. Atque illos, cùm terram attingunt, vitam amittere; hos autem cùm urbes adeunt* (idem esto iudicium de parentum & propinquorum, etsi rure degentium visitatione) *monasticam gravitatem perdere solere.* Divus autem Anselmus æquè sapienter ad propositum nostrum, idipsum aliâ pulchrâ depingit similitudine, cùm ait: [b] *Sicut bubo dum in caverna cum pullis suis est, lætatur, & suo modo benè sibi est: dum verò inter corvos, & corniculas, seu alias aves est, incursatur, ac dilaniatur, & omninò sibi malè est; utpotè hic rostro percutit, ille alis in eum irruit; alter ungulis discindit: ità & Monachus. Quando enim cum fratribus suis conversatur, sibi benè est. Quando verò remotus ab illis inter sæculares conversatur, hinc inde variarum causarum incursus ipsum delacerant; & quæ non amat, sæcularia negotia vexant.* Iam hinc æstimet unusquisque Religiosus; ex negotijs sæcularium, ex consangvineorum extra claustrum consortio, ex assidua iam cum hoc, iam cum illo conversatione, domum an redire possit idem, qui exijt? An non, multò minor quàm abijt? Nam loco piarum meditationum, & mentis ad Deum elevationum, ô quanti

a Sozom. lib. 1. hist. c. 13.

b S. Anselm. lib. de similit. c. 187.

quanti sæcularium negotiorũ, & rumorum caput implebunt fumi! Accedit etiam Sanctorum desideriorum quædam oblivio; insinuat se religiosæ disciplinæ tædium; devotionis, & bonarum exercitationum intermissio; spiritualium colloquiorum desvetudo; cor, & animum occupat causarum expediendarum pro matre, pro sorore, pro consangvineis importuna solicitudo; passiones, & affectus inordinati non sine vocationis religiosæ notabili detrimento recrudescunt, ac vires assumunt novas, vitæ spiritualis universam confundunt œconomiam. Et hoc erit, Religiosum integrum redire domum? ô quantum imminutum, & mutatum ab illo?

4. Idcircò monet sapientissimè Ioannes Climacus, inrebus ad religiosum spiritum pertinentibus exercitatissimus, & dicit: a *Gravis est, & omninò vitabilis ad propinquorum, vel etiam extraneorum aliquem affectio; cùm ea nos ad sæcularem sensum possit attrahere, ignemque compunctionis nostræ penitùs extingvere. Sicut impossibile est uno oculo in Cœlum, altero in terram aspicere; ità fieri non potest, ut in his anima non periclitetur, qui corpore, & cognatione ab omnibus & propinquis, & extraneis non se peregrinum fecerit. Labore ingenti, & fatigatione mores graves, & optimos acquisivimus; & quos multo temporis labore quæsiverimus, fieri potest, ut uno momento temporis amittamus. Corrumpunt bonos mores colloquia mala, sæcularia, simul & turpia. Qui post abrenuntiationem cum sæcularibus versatur, sivè iuxta illos commanet; prorsus aut in eosdem laqueos incidit; aut cor in eiusmodi cogitatione inquinabit; aut certè, si non inquinatus fuerit, eos, qui inquinantur, iudicans, atque condemnans.* Hucusque versatissimus ille rerũ spiritualium explorator, & omnia verissimè. In cuius sententijs observetur benè, quod dicit: *Quos mores graves, & optimos multo temporis labore quæsiverimus, fieri potest, ut uno momento temporis amittamus.* ô quanta jactura! *Mores graves, & optimos, ut uno momento temporis amittamus.* Hem, quanta mentis insania! *Mores graves,*

a *Ioan. Climac. grad. 3. de peregrinat.*

& optimos multo temporis labore, disciplinâ, exercitatione, quærimus, & acquirimus, & *uno momento temporis* infelices amittimus.

5. Propterea mirum videri non debet; Christum Dominum Discipulis illis duobus uni quidem ultrô vocato, alteri verò ad sequelam ultrò se offerenti, non indulsisse, illi quidem ad sepeliendum patrem mortuum, isti ad renuntiandum ijs, quæ domi habuit, ut redirent. Rationem eius rei Divus Basilius adferens ait: [a] *Atqui quæ uterque rogabat, rationi maximè consentanea esse videbantur, ac iustissima. Sed enim neutiquam ea Salvator probavit, neque vel punctum quidem temporis seiungi Cœlestis regni alumnos permisit; ne sublimi illâ, & cœlesti animi elatione humilius aliquid vel agerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenarum, fragiliumque cogitatione depressâ, & acclivi, tamquam, qui ad res Cœlestes animum adiunxerunt, ijs neutiquam liceat eorum, quæ in terra sunt, rationem ullam habere.*

6. Igitur Religiosis est consultissimum, à propinquis secundum carnem esse tam alienos, omnemque curam, affectum, & amorem, ab eorum visitationibus adeò submovere; ut, quantum in ipsis est, nec audire de illis, nec eos videre velint; & aliam charitatem non ipsis exhibeant, quàm pro eorum incolumitate, & salute Dominum Deum ut orent, ac deprecentur; ut ità soli Patri, qui in Cœlis est, & cui per renuntiationem sæculi totos se consecrârunt, placere possint. Quam in rem sapienter consulit Sanctus Gregorius, cùm ait: [b] *Ille scire Dominum familiariùs appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter scivit. Gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergò quisque, ac proximos debet fieri, si vult Parenti omnium veriùs iungi; quatenus eosdem, quos propter DEUM viriliter negligit, tantò solidiùs diligat, quantò in eis affectum solubilem copulæ carnis ignorat.* Hæc Sanctus Gregorius.

a S. Basil. Instit. Monast. c. 21.

b S. Gregor. lib. 7. Moral. c. 14.

§ III.

§. III.

Religiosus parentum, & propinquorum visitationes non tantùm fugiat; sed etiam, quantum in se est, deprecetur.

I. SOlet plerumque parentum, vel quacunque sangvinis propinquitate iunctorum esse tanta importunitas ad religiosum filium, fratrem, patruelem, aut consobrinum ex claustro, visitandi, vel negotium quodpiam illorũ transigendi gratiâ evocandum; ut ad faciliùs id ipsum impetrãdum ad superiores confugiant; literis eorum authoritatem ad concedendam facultatem appellent; causis etiam interdum gravioribus ad extorquendum confictis oppugnent; muneribus, & largitionibus expugnare studeant; magnorum virorum instantijs urgeant; & denique nihil intermittant, quo consequantur id, quod tantis desiderant studijs, tantisque moliminibus consectari laborant. Qua in re duo præcipua Religiosum, amantem suæ vocationis, oportet advertere. *Primum*; ne totam sui è claustro foràs eliciendi difficultatem devolvat in superiores. *Alterum*; ut ipse potiùs eam parentum, vel quorumcunque consangvineorum, aut familiarium importunam instantiam impediat, modis omnibus eludat, & concedendam facultatem constanter deprecetur.

2. *Primum* quod attinet; præter ingens, quod superiori creatur, animi tormentum, si pertinaciter totum se tantùm ad Superiorem referat, etiam quoddam malitiæ genus, & propriæ voluntatis, affectionisque manifestum est argumentum, & animæ à Dei amore, ad amorẽ cùm proprium, tùm propinquorum inclinatæ perquam periculosum. Cùm enim semel expeditus sæculo Religiosus iterùm ea, quæ cum tanta quondam naturæ lucta, violentiaque deseruit, sensim repetere non refugit; & cor, quod cum omnibus affectibus suis uni Deo semel obtulit in holocaustum, inter Deum, &

propinquos dividere pergit, Spiritum Sanctum notabiliter contristat, & offendit: &, si pertinaciter eam propensionem, ad sangvine propinquos per visitationes à Superioribus occultè, vel per indirectum extortas, frequentare persistit, ac perseverat, iusto Dei iudicio gratiam Religionis, cælestes illustrationes, & alia divinæ protectionis auxilia sensim amittit; ac tandem his ab omni parte destitutus in peccatum aliquod grave prolabetur. Quo quid tristius animæ religiosæ potest accidere? Non habet opus alio dæmone, vel inferno, qui ipsum torqueat. Peccatum enim iam tortor, & infernus gravissimus est. Et satis est; Deum iam habere contrarium, & inimicum, ac permittentem in aliud peccatum mortale incidere, vel in admisso perseverare. Nam verissimum est, quod S. Ioannes Chrysostomus ait: [a] *Deus ante supplicium, supplicium infligit. Peccatum enim in se continet pœnam, antequam puniatur.* Huc spectat, quod sapienter in epistola quadam expressit Seneca: [b] *Prima, & maxima pœna peccantium est, peccâsse: nec ullum scelus impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est.*

3. *Alterum* autem, quod propriè ad religiosam virtutem spectat, nimirùm importunam propinquorum instantiam ut impediat, & concedendam facultatem constanter deprecetur, hoc & virtutem illius egregiè probat, & vocationem ipsius magis roborat, & cor divinâ gratiâ stabilit. Cui certè sufficere debet, quod Deus animam immemorem, & oblitam populi sui, concupiscat, eiusque decore quodammodo delectetur; virtutem eius honoret, & admirabili gloriâ coronet. [c] *Obliviscere populum tuum; obliviscere & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum: Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, divinus hortatur Psaltes. Tamquam hæc paternæ domûs, & populi sui, parentum, & consangvineorum oblivio sit decor quidam & ornamentum animæ præcipuum, quod Dei gratiam peculiarem conci-

a S. Ioan. Chrys. in Psal. 120.

b Sen. ep. 97. c Psal. 44. 11.

conciliat, ipſumque Chriſtum Dominum ad amorem provocat, & rapit; gratiarumque cœleſtium radios amabili quadam ad ſe trahit violentiâ. Eſt enim anima talis inſtar conchæ, quæ magis à Cœlo, quàm à mari participans, fructum, id eſt, margaritam, vendicantem ſibi pro qualitate roris accepti colorem, valorem, ac pretium, parit. Naturam, & indolem concharum ità deſcribit Plinius in ſua rerum naturalium hiſtoria: quòd videlicet [a] *Pandentes ſe ſè quadam oſcitatione implentur roſcido conceptu; gravidæque poſteà enituntur. Partum concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti.* Et paucis interiectis: *Conceptum*, inquit, *ex Cœlo conſtare, Cœlique eis maiorem eſſe ſocietatem, quàm maris. Indè nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum. Si tempeſtivè ſatientur, grandeſcere & partus.* Itaque ſicut conchæ cum Cœlo magis, quàm cum mari ſocietatem habent, & fæcunditatem conceptûs, ac fructûs, ideſt, margaritarum pulchritudinem, ac pretium à cœli rore hauriunt: ſic animæ religioſæ non huius ſæculi mari; parentum, inquam, & conſangvineorum commercio, ſed Cœlo conſociantur. Et quemadmodum conchæ, ſi tempeſtivè cœli rorem hauriant, eoque ſatientur, grandeſcunt earum fructus, ſeu margaritæ: ſic gratiarum cœleſtium rorem, & influxum in tempore ſi percipiant eædem animæ religioſæ, neque permittant elabi tempus inaniter, grandeſcunt earum in amore Dei deſideria, virtutum decor, & maiora quotidie ſumunt incrementa perfectionis.

4. Nam ſeriò ſegregatus à ſæcularium, & ſangvine propinquorum tumultu Religioſus, ſecurior ad Deum ſemper attollit mentem in ſolo conquieſcens optimo Creatore ſuo, pacem animi, vocationis ſuæ ſecuritatem, tutelam, & omne præſidium à cælo totus haurit, ac poſſidet. Id quod S. Cyprianus in Epiſtola quadam ad Donatum graphicè deſcribens, eleganter explicat: Cuius ſenſum graviſſimum cum ſingulari quadam expoſitum energia placeat audire. Sic igitur

[a] *Plin. Natur. Hiſt. lib. 9. c. 35.*

ille: a *Vna*, inquit, *placida, & fida tranquillitas, una solida, & firma, & perpetua securitas; si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portûs statione fundatus ad cælum oculos tollit à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime, ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere gloriatur. Nihil appetere, iam nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est. Quàm stabilis, quàm inconcussa tutela est! quæ perennibus bonis cœleste præsidium implicantis mundi laqueis solvi, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari, viderit; quæ in nos priùs infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit; plus amare compellimur, quod futuri sumus, dum & scire conceditur, & damnare, quod eramus.* His ità expositis Vir Sanctus mox ad divinorum è Cœlo influxuum, illustrationum, & gratiarum abundantiam, quam in similitudine concharum superiùs expressam accepimus, accedit, dicitque: *Nec ad hoc pretijs, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas, vel potestas elaboratâ mole pariatur; sed gratuitum de Deo munus religiosâ mente concipitur; & ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ità se spiritus cœlestis infundit, postquam auctorem suum, cœlum intuens divina cognovit; sole altior est, ac omni terrenâ potestate sublimior id esse incipit, quod esse se credit.* Hucusque S. Cyprianus eleganti depingit oratione felicem statum Religiosi à sæculi turbis, à consangvineorum consortio, à propinquorum negotijs alieni. Sic enim vocationis suæ tutela manet inconcussa, bonis perennibus abundans, cœleste præsidium habet præsentissimum, à nemine meliùs, quàm à solo Deo sufficientissimè custoditus.

5. Igitur ne tàm excellentis fructûs iacturam faciat, sed potiùs in charitate erga Deum, in virtutum studio, in perfectione religiosa magis, ac magis ut proficiat; eam parentum, vel quorumcunque sangvine propinquorũ instãtiam, quantum est in se, amoliatur, impediat, & modis omnibus avertat.

a S. Cypr. lib. 2. ep. 2. ad Donatum.

vertat. Ità præclarè fecisse constat iuvenem quemdam genere nobilem, sed in religione perseverandi constantiâ nobiliorem, & prorsùs heroicū, paternarum divitiarum unicum heredem; & patris, matrisque solatium, verùm amore divino succensum ad Claravallense, quod tunc S. Bernardus gubernabat, monasterium ingressum. Pater eius, & mater ætate iam provecti, tanto solatio suo, posteritatisque spe destituti, nullùm non movebant lapidem, ut Filium revocarent; vel, si non possent ipsum penitùs à sancto proposito suo divellere, saltem ad invisendum, & præsentiâ suâ ad dolorem leniendum, atque ad recreandam eorum senectutem, ut elicerent. Cùmque sæpiùs importunis ipsum literis solicitarent, nec à continua desistere vellent instantia; prudens filius, impositurus irrequietæ parentum solicitationi finem, respondit illis (aut potiùs eius nomine S. Bernardus) per epistolam, in qua inter cætera desiderium eorum sic retundit: [a] *Non sufficit vobis, quod me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis; quòd in peccato vestro, & peccatores peccatorem genuistis; quòd in peccato natum de peccato nutrivistis; nisi etiam invidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis, ô durum patrem! ô sævam matrem! ô parentes crudeles, & impios! imò non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filij est; qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis: qui me rursùs ad naufragium, unde tandem nudus evasi, rursùm ad ignem, undè vix semivivus exivi; rursùs ad latrones, à quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano iam aliquantulum convalui, revocare conantur, & militem Christi, propè iam rapto cælo, triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo, qui vicit mundum) ab ipso iam introitu gloriæ, tamquam canem ad vomitum, tamquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliuntur.* Hæc, & alia plura iuvenis ille; quibus importunitati parentum tandem imposuit finem; & omnem evocandi,

a *Inter epist. S. Bernardi ep.* 11.

di, videndique sui spem præcidit.

4. Eodem planè spiritu Religiosus omnis, qui verè suam amat vocationem, eniti deberet, ut parentum & propinquorum ad sui visitationē, & ad exeundum è claustro, preces, machinationes, & instantias importunissimas à se amoliatur. Nam quamvis ad Religionem omninò deserendam illi non invitent: tamen a *Quia paris ferè periculi, & damni est* (sapienter ait Iacobus Alvarez) *si nos habitu religioso exuant, aut si retento habitu ad vitam sæcularem, & curas, & negotia sæcularia pertrahant*; ideò cane peius, & angve fugienda sunt eorum invitamenta. Nam inter curas ab instituto suo alienas (urget idem Auctor) si periclitatur Religiosus; si inter negotiationes sæculares naufragium patitur, si desiderijs honorum, & bonorum temporalium, quæ cognati, vel parentes possident; si lætitiâ prosperitatum, quibus illi gaudent; aut tristitiâ, & anxietate adversitatum, quibus illi iactantur, & conflictantur, discerpitur, & discruciatur; quid refert, si hæc damna, & detrimenta salutis, etiam retento habitu religioso, perferat, aut deposito eodem habitu, patiatur? Certè distentus ità Religiosus animus nihil differt ab infelici illo, qui vocationem aut nunquam suscepit; aut susceptam turpiter abiecit. Etenim holocaustum, quod obtulit uni Deo, suffuratur, ac dividit; vel impudenter illi præfert propinquorum dilectionem. Quod non est, vocationem custodire, sed eius præsidium certis quibusdam cuniculis oppugnandum relinquere; sensim etiam miserabiliter hosti tradere expugnandum. Ideòque pluribus hìc ratiocinandum non existimo, quàm ut concludam cum S. Basilio, cuius in constitutione quadam hæc sunt verba: b *A propinquis autem, amicis, parentibusvè, animi affectione nos tàm longè oportet esse disiunctos, quàm longè eos, qui iam vitâ defuncti sunt, à vivis videmus distare. Qui enim verè se ad ea, quæ ex virtute sunt, certamina exuerit, mundoque, ac rebus mundanis*

a *Iac. Alvar. to. 1. vitæ spirit. lib. 5. partis. 2. c. 25.*

b *S. Basil. 6. Const. Monast. c. 21.*

danis omnibus nuntium miserit, quique (ut plus aliquid dicam) mundo seipsum crucifixerit; is mundo, & omnibus, quæ in mundo sunt, mortuus est, sivè illi parentes sint, sivè fratres, sivè tertium, quartumvè, aut quemvis deinceps cognationis gradum obtineant.

§. IV.

Diluuntur obiecta cavillantium Religiosos à parentum, & consangvineorum visitationibus abstinentes.

1. NOn desunt, imò plurimi sæcularium sunt, quin & Religiosi quidam reperiuntur, in quorum cerebro sæculares magis, quàm religiosi spiritûs, tumultuantur fumi; qui seriam istam parentum, propinquorumque fugam, & quamdam eorum (ut dicam ità) nescientiam non tantùm graviter reprehēdere solēt; sed etiam audaci procaciâ insectari, &, quibus possunt, ignominiosis obtrectationibus perstringere. Nec ipsis argumenta desunt, & rationes; quibus eam à parentibus & consangvineis alienationem adnituntur convincere, Religiosos ad honestam humanæ vitæ societatem colendam pertrahere. Ut autem omittam alia; tres illi præcipuas adferunt rationes: quæ, si diligenter ad sani iudicij lancem expendantur, etsi primâ fronte videantur aliquid habere, quod Religiosum convincat, & concedere cogatur aliquid sangvini, tamen nonnisi futiles sunt, ac momenti nullius, & ex Politicæ pragmatibus desumptæ. Sunt autem hæ: *Pietas, Necessitas, Vrbanitas.*

2. Primum argumentum quod attinet, videlicet à *Pietate* desumptum; ad hanc non solùm parentibus, sed etiam omnibus sangvine iunctis, exhibendam volunt obligatum esse Religiosum, vel ipso Doctore Angelico adstipulante, cùm ait: [a] *Sicut ad religionem pertinet, cultum Deo exhibere; ità secundario gradu ad pietatem pertinet, exhibere cultum parentibus, & patriæ. In cultu autem parentum includitur cultus omnium consangvineorum. Quia etiam,*

[a] *S. Tho.* 2 2. *q.* 101. *a.* 1. *in c.*

consau-

consanguinei ex hoc dicuntur; quòd ex eisdem parentibus processerunt. Ità Divus Thomas. At nondum satis huic argumento confisi, doctrinaque Divi Thomæ, sententiam suam aliter, quàm ipsi volunt, explicantis confusi cavillatores ad solidius aliud (ut videtur ipsis) confugiunt. Quòd videlicet ipse Christus Dominus coarguerit scribas, & Pharisæos; qui propter traditionem suam humanam transgrediebantur mandatum Dei præcipientis: [a] *Honora Patrem, & Matrem:* id est (sicut exponunt interpretes) *Reverere, obedi, & sustenta patrem, & matrem, si indigent.* Illi verò faciebant scrupulum filijs, ne id quod obtulerunt, aut voverunt Deo, in parentum necessariam converterent sustentationem. Dicebant igitur: parentibus necessaria postulantibus à filijs ità respondendum esse: [b] *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit.* id est: Quodcunque munus ego obtulero, vel vovero Deo, hoc tàm mihi, quàm tibi, mi pater, vel mater, in anima, & in corpore proderit. Nam hac oblatione meâ Deus devinctus & mihi, & tibi liberaliter providebit. & ità miseros parentes à pietate filiali docebant impij Pharisæi excludendos esse: & filij parentes in necessitate constitutos ad divinam tantùm remittebant providentiam, dicendo: Deus vos adiuvet, boni parentes; Nos nostra Deo vovimus: ille nobis, & vobis prospiciet necessaria. Quam impiam Pharisæorum doctrinam cùm Christus ipse damnaverit, & iusserit honorare patrem, & matrem, eos revereri, ipsis obedire; etiam, ubi sit opus, illos alere; iam sapientiores isti Monachi nihil horum fieri permittunt erga parentes à filijs; & titulo serviendi Deo, propter traditionem suam evertunt Dei mandatum, & doctrinam Christi.

3. Iam his ut respondeatur (reiectâ quidem ad alia responsione paulò post adferendâ) nunc tantùm ad id, quod est pietatis, brevibus repono. Verum est; præceptum esse Domini de patre, & matre honorandis; & hoc esse pietatis, religioni minimè repugnantis.

a Matth. 15. 3. Cornel. hìc. *b v. 5.*

At non

At non respiciunt obtrectatores id, quod Divus Thomas alibi docet: nimirùm ad pietatem pertinere, ut obsequium, & cultus exhibeatur parentibus. a *Secundum debitum modum: id est; ne plus homo tendat ad colendum patrem, quàm ad colendum Deum: quod fit, quando parentum cultus abstrahit nos à cultu Dei.* Et hoc fit in parentum, & consangvineorum visitationibus; in quibus obsequio, cultuique divino tantum derogatur, quantum temporis, & studij, in eorum negotia, curas, & causas expediendas, item in colloquia minùs ad religiosam vocationem, perfectionemque pertinentia impenditur. In his autem curis, expeditionibus, & negotijs, quàm discerpatur, discrucietur, & ab exercitationibus statui suo convenientibus abstrahatur Religiosus, non opus est, ut exaggerem ego: loquatur ipsorum, qui ad similia pertrahi se patiuntur, experientia, modò fateri velint miseriam suam.

4. Itaque modus hic debitus, de quo loquitur Divus Thomas, si perperam adhibeatur, tendit de virtute in vitium; quando Religiosus à divino se se distrahens, abstrahensque obsequio transfert se ad colendos, & visitandos patrem, matrem, sororem, aliosque propinquos. Nam, ut idem Doctor Angelicus ex S. Ambrosio monet. b *Necessitudini generis, divinæ religionis pietas antefertur:* Et *dimittenda sunt officia pietatis in parentes, propter divinum religionis cultum.* Undè Religiosus ad aliud erga parentes, & consangvineos obligatus non est; quàm ut naturalem erga illos amorem debitum cõvertat in spiritualem, c *Eosque secundum charitatem* (sicut nostra monet Constitutio) *benè ordinatam diligat*: id est; Deum pro ipsis oret, ut & ipsi studeant æternam consequi salutem: quos ità divina dirigat miseratio; ut in ipsorum animis iustitia, pietas, & amor in Deum, eiusque divinum cultum excitetur. Ità S. Basilius in Constitutionibus suis monasticis docet, cùm ait: d *Danda nobis opera est, ut propinquis nostris ea optemus, quæ optima sunt: iustitiam dico, ac pietatem ad Deum,*

a *S. Thomas. ubi sup. a. 4. in. c.*

b *Idem ubi sup.* c *Const. p. 1. c. 4.*

d *S. Basil. const. monast. c. 21.*

um, eaque quæ magni nos æstimamus. Siquidem huiusmodi rerum precatio cùm honesta est, tùm illis non mediocrem fructum per nos allatura.

5. Et denique beatus ille Religiosus est; & divinæ scripturæ calculo, verus eloquij divini, vocationisque suæ pronuntiatur custos: a *Qui dixit patri suo* (Moyses ait, in Deutoronomio) *& matri suæ: Nescio vos. & fratribus suis; ignoro vos, & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israël.* Certum est enim; Religiosum perfectiùs vivere non posse,, quàm ut patrem, matrem, fratres, sorores, & propinquos omnes ignoret. Ab his, sicut corpore, sic & animo secundum carnis affectum quamdiù separatus non est, Christi servus non est. Nam firma stat, & immutabilis Christi sententia: b *Qui amat patrem, aut matrem, plusquàm me; non est me dignus.* c Et, *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse Discipulus.* Iam autem manifestè convincitur Religiosus plus amare patrem, matrem, aliosque consangvineos, quàm Christum Dominum; quando propter illorum amorem ab obsequio divino foràs ex claustro prodit; illorum negotijs, causis, & tricis implicat se, distrahit, & discerpit. Aut, etsi nulla sint negotia; tamen visitandi causâ propter suum aliquod à continua disciplina diverticulum in paternam, vel aliorum consangvineorum domum profectus, non magis Christo Domino servit, quàm affectibus suis obsequitur, & indulget.

6. Necessitatem verò, quæ secunda cavillantium ratio est; quod attinet; nimirùm quòd filius obligatus sit parentes, si indigeant, etiam sustentare, validissimum esse putant adversus Religiosos arietem. Cui suffragatur ampliùs illud Apostoli ad Timotheum: d *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Religiosus ergo, parentum suorum, & consangvineorum,

a Deut. 33. 9. b Matth. 10. 37. c Lu. 14. 26.

d Tim. 5. 8.

qui

qui ſunt eius domeſtici, negligens, & obliviosſus, non tantùm minimè religioſum, ſed ne bonum quidem Chriſtianum ſe probat eſſe: verùm facit, quod nec infidelis Ethnicus, nec atheus faceret: *Eſt infideli deterior*. Sed mitiùs, quæſo, cum veſtro paralogiſmo. Vos benè ſcitis quæſtionem de parentibus honorandis enucleare per allegatam autoritatem Sacræ ſcripturæ, Sancti item Thomæ, & aliorum. Quòd videlicet ipſe Chriſtus Dominus (uti iam dictum) reprehenderit doctrinam Phariſæorum, parentes ſuos ad divinam providentiam remittentium; Apoſtoli Sancti Pauli graviſſimam animadverſionem adverſus abijcientes curam domeſticorum; Sancti Thomæ ſententiam affirmantis; in cultu parentum includi quoque cultum conſangvineorum. Intereà nimis obiter tàm Chriſti præceptum, quàm S. Pauli autoritatem, & S. Thomæ ſententiam, penſitatis. Chriſtus Dominus iuſtè reprehendit Phariſæorum doctrinā, & nequitiam, eorumque doctrinæ præpoſuit Dei præceptum. Cuius rei cauſa licèt iam ex ſuperiùs dictis abundè pateat; tamen hìc adhuc addo.

7. Illo tempore nondum erant inſtituta Religioſorum, qui Apoſtolorum exemplo relictis patre, & matre ſequebantur Chriſtum. Sed & hodie certum eſt; Filium obligatum eſſe ad ſuſtentandos parentes, ſi deſtituti ſint omni aliâ ope, nec poſſint ſibi victum providere, niſi curâ, & labore filij, & neque poſſe Religionem ingredi relictis ipſis. Deſtitutos enim parentes, & in extrema neceſſitate conſtitutos ipſa naturæ lex imponit neceſſitatem filijs eos alendi: quam neceſſitatem Phariſæi perversâ doctrinâ ſuâ tollebant: miſeros autem parentes in eiuſmodi neceſſitate conſtitutos à filiorum charitate, & obligatione, propter oblationes Deo faciendas, & in ſuum commodum convertendas arcebant. Quod autem attinet iam nunc in lege gratiæ profitentes ordinem religioſum; horum cauſa peroratur in ijs, quæ iam dicentur. Auctoritas etiam

Apostoli non convincit adversus eosdem profitentes. Qui iam mortui mundo, tribus votorum clavis Christo confixi sunt cruci. Loquitur autem ibi Apostolus de illis, non qui vitam profitebantur, ut nunc profitentur, Apostolicam: sed de illis, qui communem agebant vitam divites, & opulenti; nec tamen eâ portione suâ domesticis suis indigentibus volebant succurrere. Quæ domesticorum cura intelligitur non solùm quantum ad curam temporalem, verùm etiã quantum ad spiritualem: nimirùm quòd unusquisque sit obligatus tàm temporale providere domesticis suis indigentibus alimentum, & alia necessaria; quàm spirituale. Quam quidem erga domesticos curam præcisè videtur Apostolus restringere tantùm ad patres familias, & eos, quibus incumbit præesse familijs, ut sunt Episcopi, Parochi, domini terrestres, & alij, id quod arguitur ex eo, quod ibi præmittitur de viduis, filios, & nepotes habentibus, cùm dicitur: a *Discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus.* In quo si quis est negligens; erga suos illiberalis, parcus, & stypticus; sine dubio videtur esse, & est, *Infideli deterior.* Nam in hoc vel ipso naturæ ductu diligentiores sunt non tantùm homines à vera fide in Christum alieni; sed etiam ipsæ belluæ silvestres. Iam verò Religiosorum professionem, & exemptionem ab eiusmodi cura parentibus, & consangvineis exhibenda, quam S. Paulus inculcat, spectando, respondet S. Basilius adversariorum instantiæ, cùm ait: b *Huic paucis respondebimus. Hoc ab admirabili Apostolo dictum fuisse ijs, qui in communi, & vulgari genere vitæ versabantur. Qui divites erant, & propinquorum inopiæ poterant subvenire; similiter quoque lex etiam hæc dicit. Atque ut dicam breviùs: Vivis dicta sunt illa, non mortuis. Nam hi quidem ab omni prorsùs huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem (* Religiose *) mortuus es, & toti mundo crucifixus. Reiectis enim huius vitæ divitijs, summam paupertatem professus, & complexus es, cùm te-*

a v. 4.

b S. Basil. constitut. monast. 6. c. 21.

ipsum Deo dedicaveris, in peculiarem Deo thesaurum adscitus es. Vt mortuus, liber es ab omni in propinquos tributi collatione: ut nudus omni rerum possessione, nihil habes, quod largiaris. Ità S. Basilius.

8. Ad Sancti Thomæ sententiam venio. Sensum Doctoris Angelici non satis exploratum habent cavillatores; vel saltem non ex integro sincerè allegant. Dicit enim disertè: [a] *Quòd aliud dicendum est de eo, qui est adhuc in sæculo constitutus; & aliud de eo, qui iam est in Religione professus.* Illum sine dubio, si parentes sine ipso sustentari non possint, non posse relictis illis intrare Religionem. Sic enim transgrederetur præceptum de parentibus honorandis. Illum verò, *Qui iam est in Religione professus, reputari iam quasi mortuum mundo*, prosequitur adhuc S. Doctor. *undè non debet occasione sustentationis parentum exire claustro, in quo Christo consepelitur, & se iterùm sæcularibus negotijs implicare.* Hucusque S. Thomas. Qui cùm neget, Religiosum exire debere de claustro propter sustentationem parentum, & implicare se negotijs sæcularibus, quamvis affirmet etiam; filium in casu necessitatis (qui tamen rarus est) salvâ Prælati sui obedientiâ, & statu Religionis suæ, parentibus subvenire, quid dictum fuisse putamus de Religiosis illis, qui parentes & consangvineos cùm habeant divites, & opulentos, nullâ penitùs ope filiorum in Religione constitutorum indigentes, & tamen ipsos adeundi, visitandi, videndi, negotijs ipsorum se implicandi prurigine pleni; vel, si Deus ipsos ab eiusmodi pruritu liberet, ipsique nullum prorsùs habeant desiderium, sed assiduè à patre, matre, sorore, patruo, vel ab alijs propinquis solicitati denique petitionibus, & instantijs eorum consentiant, eosque (licèt cum facultate Superiorum) adeant: Quid, inquam, dicturum fuisse putamus virum illum Angelicum de Religiosis visitandi gratiâ patrem, matrem, aliosque propinquos, si non crebriùs, saltem semel quotannis adeuntibus, & tam-

[a] S. Tho. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4.

quam pro lege quadam eam consvetudinem usurpantibus? De illis, qui omni studio, & industriâ per tot, tantosque modos, & affectus, tantùm non & cum lacrymis, instar puerorum, à Superioribus, ut suos adire, videre, & visitare possint, facultatem extorquent? Credo, non aliud ipsum decisurum fuisse; quàm Religiosos eiusmodi corpore tantùm, non animo, claustrum inhabitare; nec quærere IESUM, sed esum: ut videlicet relaxatis aliquantum habenis in paterna domo commodiùs edant, bibant, dormiant, tempus inutilibus colloquijs, & fabulis, cum amicis hilariùs, & liberiùs impendant; illos non delectari Christi vulneribus, sed maternis uberibus; non adire, aut quærere Sanctissimam Virginem, Deiparam pretiosissimã, MARIAM; sed sororem Martham; utinam autem sororibus illis Evangelicis honestate sanctitateque spectatissimis Marthæ, & Mariæ, pietate si non supparem, saltem aliquatenus non inferiorem, modestiâ, verecundiâ, curâ domesticâ, erga Christum, & eius servos, qui in personis pauperum non desunt, hospitalitate spectatam: sororem, inquam, seu sorores eiusmodi, quæ fratris sui Thomæ Aquinatis sermonibus, & exemplo persvasæ, a *Contemptis curis sæcularibus ad exercitationem cælestis vitæ se conferrent*. Denique S. Thomas Aquinas Religiosis ad propinquos crebriùs invisentibus aliud non dixisset, quàm illam cum quodam stomacho Divi Augustini parænesim: b *Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti?*

9. Tertia cavillantium ratio obtendit urbanitatem: esse videlicet ex æquo; Religiosum, præter regularem disciplinam, etiam studere debere moribus ad honestam cum hominibus agendi conversationem pertinentibus; ipsi non esse ursorum instar, & belluarum silvestrium more semper in claustro, tamquam in caverna, seu spelunca latendum: sed assvescendum esse civilitati. Oportere non ità parentum suorũ oblitum vivere, tamquam aut parentes ipsum non genuissent,

a *Brev. Rom. die 7. Mar.* b *S. Aug.*

aut

aut ipſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia velut alter Melchiſedech, nominetur, ac reputetur. Non eſſe debere tam agreſtem, & barbarum; ut cùm per Religionis ingreſſum ab hominibus ſe ſummoverit, ne ſuos quidem propinquos agnoſcere velit, hæc & his alia ſimilia plura ſapientes iſti cenſores ogganniunt ſolitudini religioſæ; ſed vix digna reſponſione. Quia Religioſo politicam urbanitatem inculcare; vel ab eiuſmodi inurbanitate ipſum reprendere, idem eſt, ac exſtincto cadaveri ſuccenſere, & exprobrare; quòd cum hominibus non obambulet; non loquatur, non colat amicitiam, & familiaritatem. A mortuo quis hæc requirat, & extorqueat? *Mortuus eſt*. Sic Religioſo fugienti conſangvineorum ſuorum conſortium, aditum, viſitationem, cur vitio vertatur? *Mortuus eſt, & toti mundo crucifixus; in peculiarem Deo theſaurum adſcitus eſt. Vt mortuus liber eſt ab omni in propinquos tributi collatione, ut nudus omni rerum poſſeſſione, nihil iam habet, quod largiatur.*

10. Quòd ſi nihilominùs urgeat aliquis; indecorum eſſe Religioſo, urbanitatem non colere, quin potiùs eam pietati, neceſſitatique meritò comparari: aliud ad hoc non occurrit reſponſum; quàm ut cum illo religioſiſſimo viro Iacobo Alvarez Societatis Ieſu dicam: [a] *Vellem non verbis, ſed fletu reſpondere; quòd nos miſeri in religioſo ſtatu, ſæculi obligationes, & ſalutationes admiſimus; & ſæculum in vitam religioſam intulimus, & nos ipſos ſæcularium vanitati ſubiecimus.* Utinam, utinam, Religioſi nosipſos hodie ſæcularium vanitati non ſubiecerimus. Erunt fortaſſis aliqui, forſitan erunt & multi; qui vix modeſtè, & ad religioſam totius corporis habitudinem compoſiti, quin potiùs cum multis colli, capitis, cervicis, & laterum iam huc, iam illuc, ſerpentis inſtar, flexionibus, ubi cum ſalutante quopiam colloquendum eſt, ſe ſe per urbanitatis officium, & rationem, intorqueant, oculos, vultum, & manus artificiosè flectant; voce, verbiſque non tàm Religioſum,

[a] Iac. Alvar. de vita ſpirit. to. 5. l. 5. p. 2. c. 25.

quàm militem, aut strategum quempiam fastuosè militibus imperitantem exprimant. Inutilis huius, & sæcularis admoniti cerimoniæ, vel etiam humaniter correcti, mox inflatis buccis aut palàm, aut clàm monitore, coram alijs insulsum, stupidum, & politicæ rudem censorem appellitent; verè sæcularium vanitatibus in gestu, in incessu, in loquendi modo subiecti, modestiam, & humilem Religiosis probis usitatum agendi, loquendique modum vel cum inurbanitate, rusticitateque damnent; vel ad severum relegent tyrocinium.

§. V.

Nomine visitandorum parentum, & consangvineorum, veniunt etiam visitationes aliorum sæcularium fugiendæ Religioso.

I. ANtequam huius paragraphi prosequar materiam, moneo lectorem; me nihil hìc agere velle, neque cavillari conversationes, & visitationes à Religiosis fieri solitas, quas ab ipsis requirit charitas, necessitas, & quædam ex vi professionis, ac instituti obligatio. Et tales sunt ordines illi, qui cum vita contemplativa coniunctam habent activam. Et ne per multos alios eam ordines: institutum eiusmodi nostrum est. Nobis incumbit docere iuventutem; ad populum pro concione dicere; confessiones audire; infirmos, ubi vocamur, adire, & visitare; conscientijs eorum consulere; etiam (si necessitas postulet) moribundis assistere: brevius ut dicam; proximo in ijs, quæ ad animæ salutem pertinent, inservire. Hinc laudabilis illa consvetudo nostrorum fuit semper, & est hodieq; ; Quòd Scholarum Præfectus si non sæpiùs, saltem semel, aut bis, etiam frequentiùs in Mense, comitante semper socio quopiam ex Magistris, Scholarum nostrorum adeat hospitia; statum eorum, valetudinem, conversationem, & diligentiam exploret, & inspiciat; infirmos autem studiosos, ac præsertim pauperes, visitet, consoletur,

& chari-

& charitati cæterorum Scholarium commodè valentium commendet. Superiores etiam quorumcunque ordinum vel ipsi in persona, vel alios è cœnobio, seuCollegio suo probatos Religiosos quòd interdum aliquos è magistratu, seu alios in civitate, vel oppido, in quo cœnobium est, invisant; cum ijs utilia, præsertim ad animæ salutem pertinentia, loquantur, & agant; hoc nequaquam reprehendi potest, nec debet. Est enim opus & Christianæ charitatis, & necessitatis, à professione religiosa, seu à vita spirituali (videlicet Activa) nequaquam alienum; ut ità virtutes, quas contemplatione concipiunt, actione pariter erga proximum exerceant; cum eoq; communicent bonum, quod amant ipsi; videlicet æternæ vitæ desiderium; virtutum, & Christianæ perfectionis studium; regni cœlestis impigrum quæstum. Horum, hisque similium gratiâ visitationes subindè non tantùm licitè, sed etiam, ad lucrandum proximum, sanctè fiunt.

2. Ità Christus Dominus ad invisendum Zachæum principem publicanorum, cupientem videre, quisnam esset, ultrò se invitavit, salutem ut hospiti benè affecto impertiret. Nec sine mysterio describitur avidissimus animarum quæstor, & lucrio [a] *Ingressus perambulavisse Iericho.* Nam verbum hoc *Perambulabat* moram indicat aliquam in ambulando non temporis fallendi causâ, nec in urbe locum, in quo hospitaretur, de industria circumspiciendi; nec domorum & platearum ordinem, ac situm curiosiùs observandi: sed benè, Zachæum divitem lucrandi; & ideò apud ipsum [b] *Se non invitatus invitat,* út ait S. Ambrosius. *Sciebat enim uberem hospitis sui esse mercedem,* non tamquam elector hospitij, sed tamquã desiderantis, & (quod ampliùs est) magis indigentis, sedulus vestigator. Sic idem Dominus, ac Servator noster non refugiebat (sicut alibi Sanctus describit Lucas) conversari, domos invisere, in ijs etiam manducare cum publicanis, & peccatoribus, us-

[a] *Lu.* 19. [b] *S. Ambr. to.* 5. *comm. lib.* 9. *in Lu. c.* 19.

que ad invidiam Pharisæorum, & scribarum murmurantium, ac dicentium : a *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. Illud conversari, & manducare cum publicanis, & peccatoribus non erat supervacuum, aut otiosum: sed erat perhumaniter illis instillare salutis æternæ monita; comiter ad Cœlestium amorem invitare ; perditas animas, & oves, quæ perierant, domûs Isràël lucrari. Sic Religiosi dum sæcularium domos adeunt visitandi causâ, cum ipsis agant ità, ut exemplum, & doctrinam eis instillent salutarem, ægros ut præsentiâ suâ recreent, consolentur afflictos, & alia proximorum utilitati, præsertim animæ saluti necessaria exerceant officia charitatis. Istæ visitationes adeò non reprehenduntur, ut etiam Christianæ charitati maximè consentaneæ mereantur commendationem, & apud Deum merito suo non priventur. Sed quando Sancti Patres, & Doctores, alijque viri spirituales, in visitationes, quas exhibent subindè Religiosi sæcularibus, invehuntur ; semper intelligunt illas, quæ sunt otiosæ, supervacaneæ, non proximi lucrandi gratiâ ; sed animum, voluntatem, sensusque proprios pascendi causâ : non spirituale bonum aliquod ut visitatis adferant ; sed tantùm ut notitias contrahant ; amicitias aucupentur, garriant, comedant, & bibant lautiùs extra claustrum ; affectus hominum mundanos ut sibi concilient. Hanc conversationem, obambulationem, & nimiam sæcularium domos adeundi, circumcursandique frequentiam, & extra claustrum tempus terendi non ex virtute charitatis erga proximum, sed ex otij, curiositatis, & amoris proprij vitio pullulantem, iure merito reprehendunt.

3. Igitur Religiosus eiusmodi visitationes, & crebros è claustro ad sæcularium domos exitus; assiduam, nimiamque cum sæcularibus familiaritatem ; in domibus eorum commorationes, ad mensas eorum accubitus, & commercia, si vocationi suæ consultum esse velit, omninò fugiat,

a Lu. 15. 2.

grande

grande videlicet professionis suæ, temporis utiliùs in claustri cella impendendi; spiritûs in amore Dei, rerumque divinarum studio firmandi; exercitationis, ac disciplinæ religiosæ dispendium. Sibi Religiosi dictum existiment illud ad Ephesios Apostoli monitum: [a] *Videte, fratres, quomodò cautè ambuletis; non quasi insipientes; sed ut sapientes: redimentes tempus.* Quæ singula commata quasi totidem sententiæ sunt, instituentes ad religiosam conversationem magistræ; quando commendat Apostolus in conversando circumspectionem, *Cautè ambuletis*; prudentiam, & sapientiam: *Non quasi insipientes, sed ut sapientes*; & temporis impendium utile, sivè redemptionem; [b] *Redimentes tempus.* Ijsdem propè verbis, at eodem omninò sensu scribens Colossensibus, ait: [b] *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, redimentes tempus.* Qui sensus Apostoli, maximè nos instruit Religiosos, quàm diligenter, cautè, & circumspectè (in quo magna sapientia est) ambulare nos deceat, & cum sæcularibus, cùm id charitas, aut necessitas exigit, conversari, ne per imprudentiam, & curiositatem admittamus, quod aures, & oculos eorum, *qui foris sunt*, possit offendere; ne per curiosam, imprudentem, & temerariam cum extraneis conversationem nostram tempus amittamus potiùs, quàm utiliter ad Dei gloriam, ad ædificationem proximi, ad nostram ipsorum animarum salutem impendamus.

4. Ac propterea in utraq; sententia parænetica impensè inculcatur hoc. *Redimentes tempus.* Ne videlicet patiamur elabi sine fructu tempus, & tamquam illæ quinque fatuæ Virgines, ut habet Evangelium apud S. Matthæum; quæ otiosa deambulatione, garrulitate, curiosis, & inutilibus integrum diem effluere permiserunt narratiunculis, nec intereà pro lampadibus oleum ad occurrendum nocte Sponso, cuius adventum fama iam sparserat; & passim increbuerat, ipsum adventare, procuraverunt. Idcircò benè commonemur, nos præcipuè, qui

[a] *Ephes.* 5. 15. [b] *Coloss.* 4. 5.

iam expediti negotijs sæculi, corpus & animam Deo consecravimus in obsequium: cōmonemur, inquam; ne tempus aliquod, etiam unius horæ spatium, perditum eamus in nugis, & vanis in consortio sæcularium discursibus; *Redimentes tempus*. In quæ verba scribens Sanctus Hieronymus ait: [a] *Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, & proprium facimus; quod malitiâ hominum venditum fuerat, quodammodò immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri.* Scitâ quoque paraphrasi Cornelius à Lapide, commentans in eadem Apostoli verba: [b] *In sapientia ambulate, redimentes tempus: sapienter*, inquit, *agite cum infidelibus*, (addamus nos, cum sæcularibus) *cum quibus intercedebat notitia: ne ex veteri amicitia cum eis tempus teratis, otio, fabulis, ludis, convivijs, &c. Sed dextrè ab ijs vos subducite; ut tempus pretiosum redimatis, illudq; in oratione, studio, charitate, alijsque virtutibus impendatis.*

5. Itaque foras è claustro prodire dum charitas, aut necessitas adigit Religiosum; agat quidem, quod partium suarum est ad utilitatem proximi: sed memor sit temporis redimendi. Non enim ad hoc exitè claustro, nec ideò tempus aliàs orationi, lectioni, studio, disciplinæque destinatum relinquit, ut illud fabulis, audiendis etiam, ac narrandis curiosis rumoribus impensum vanissimo, vilissimoque conversationis pretio vendat, & amittat: sed ut hoc utilissimum, quod intereà relinquit propter proximum iuvandum tempus sapienti, cauto, & circumspecto causæ, propter quam exivit, impendio redimat, commutet; & quantumcunque alienæ utilitati concessum, faciat nihilominùs suum. Quod fit, dum ità foris agit Religiosus inter sæculares, & ità prudenter conversatur cum ijs; ut nullam arripere possint carpendi occasionem. Non aliter prudentem, cautum, & modestum agat foris; quàm domi: sicut egregiè monet S. Ambrosius in eadem commentans Apostoli verba, cùm ait: [c] *Ideò* hoc

[a] S. Hieron. hic [b] Cornel. hic.

[c] S. Ambros. comm. in ep. ad Colos. c. 4.

hoc monet Apostolus, ut opportuno & loco, & tempore, magistrâ modestiâ, religionis verba promantur: aut si persona talis in medio est, quæ perstrepat, reticendum. Ad prudentiam, nimirùm, & modestiam Religiosi pertinet; locum, tempus, homines, cum quibus agit, observare, & circumspicere, ut ità converse-tur; ne, quod loco, tempori, personisque non convenit, per temeritatem effutiat, & faciat, à sæcularibus facilè notandus, & reprehendendus. Undè prosequitur Præsul Mediolanensis: *Aliter cum potentibus, & aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterùm cum mansvetis, aliter cum iracundis, quibus cedere oportet. Hoc est redimere tempus.*

6. Sunt ergò visitationes, & aditus ad sæcularium domos non semper reprehendendi; quin imò sunt laudabiles, & utiles: sed semper in ijs attendendum est; ne curiositati magis, ac propriæ voluntati; animi tædio relevando, cæterisque minùs utilibus, ac vanis propositis serviatur, quàm proximi, vel nostro profectui spirituali. Ità prodeundum est ex religiosa domo, dum id ratio, necessitas, & charitas postulat, ut sibi proponat Religiosus (uti docet S. Basilius) [a] *In quoscunque inciderit, illis se & doctrinâ, & exemplo virtutum, veluti scholam futurum.* Quam in rem, nescio, an sapientiùs aliquid ab Ethices ullo præceptore præscribi potuit, quàm quod habet Enchiridion Epicteti, certè Religioso viro dignum, qui monitum hoc observet; sic enim ille: [b] *Præscribe iam tibi formam quamdam, & legem, quam custodias, quamque & ipse tecum, & in congressibus hominum, observes.* Et mox capite sequenti: [c] *Ac maiori quidem*, ait, *ex parte silentium præstetur; aut necessaria dicantur, eaq; paucis. Raro autem, cùm se obtulerit occasio, ad dicendum veniemus: sed non quidvis dicemus. non de gladiatoribus, nõ de ludis Circensibus, nõ de pugilibus, non de cibis, aut potionibus, quæ res passim inculcantur. In primis autem de hominibus cùm verba fiunt, ne eos vel laudemus, vel comparemus, caveatur.* Hæc Ethnicus ad perfectam etiam

[a] S. Basil. [b] Epict. c. 40. [c] Cap. 41.

Religioso cum sæcularibus extra claustrum agenti regulam sapientissimè. Sed si Religiosus vagandi solùm, & fabulandi, curiosè suis affectibus indulgendi causâ de claustro egreditur, aliud non facit, quàm quòd disciplinam religiosam, ac nomen, ignominiæ cuidam, contemptui, & vilitati, sæpè etiam multo vitiorum generi semetipsum exponat. Idquod scitè animadvertens Hugo: a *Qui discurrunt*, inquit, *per alienas domos; de assiduitate sæcularium gaudent hominum; qui foris spectacula sequuntur; qui non ad necessitatem communem, sed ad propriam voluntatem sunt parati; qui causas itineris sui non habent* (notemus hoc Religiosi) *sed fingunt: tales dico, sicut sunt faciles ad discurrendum; ità forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.*

7. In qua sapientissimi viri sententia duo præcipuè sunt observanda. Primum, (sicut iam dictum) *Qui causas itineris sui non habent, sed fingunt.* Alterum: *Proni sunt* (dicamus nos saltem, *Proni sunt*) *ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.* In primis enim sæpè proprius amor, inordinatus affectus, & impetus animi, in causis itineris confingendis adeò dexter, & ingeniosus est; ut necessitatem ex inutilissima profectione proponat summam; ex perpetua, per consvetudinem contracta, arctaque familiaritate, charitatem exaggeret religiosam; ex vanis, & curiosis alloquijs, atque colloquijs, spiritualem obtendat perfectionem: & interea dum assiduis ad sæcularium domos occupatur discursationibus, fit deindè pronior. *Ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.* Quid autem opportunitas loci subministrat aliud, quàm sæcularium actionũ materiam? subministrat comessationem, ebrietatem, genij indulgentiam, luxum, licentiam, lapsum. Quod ipsum pulcherrimâ similitudine citatus alibi Iacobus Alvarez illustrat, cùm ait: b *Sicut lux in laterna ab impetu ventorum servatur; extra verò non iam magno vento, sed flatu levissimo extinguitur: ità Religiosum ineptus discursus, & non necessaria congressio sæculari-*um

a Hugo lib. 1. de claustro animæ cap. 4.

b Iac. Alvar. in vita spir. l. 5. p. 2. c. 17.

um occidit; cella verò, & silentium, & ianua cœnobij custodit. Nec opus est ad horum probationem multis argumentis. Quod enim ipsa docet experientia, hoc Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum brevissimo totum complexus est aphorismo, cùm dixit: [a] *Vita nequam hospitandi de domo in domum.*

8. Hinc hallucinantur gravissimè, parumque Religiosi probantur, illi; qui, si in domo quapiam habitent religiosa, in quà disciplina viget, dum non facilè permittuntur sæcularium domos adire, visitare; huc, & illuc discursare, nihil aliud cogitant, & omni studio curant, quàm ut in aliam transferantur domum, in qua vel crebrior cum sæcularibus agendi, conversandique datur occasio; vel cùm sæcularibus in eorum domibus edendi, bibendiq; opportunitas. audiuntur ideò sæpè conqueri: Domum hanc esse certam eremũ, Arabicum desertum, ab omni hominum honesto consortio remotam; uno verbo, carcerem. Religiosum in ea fieri stupidum, hebetem, & agrestem; sine fructu, sine exercitio, sine honesta deambulatione miserum Religiosum domi putrescere; Superiorem nimis esse rigidum, stypticum, & scrupulosum; ob cuius obfirmatum animum ingenia silvescunt; nec aliud domi delitescendo discunt, quàm obmutescere; cellas suas tamquam ursorum speluncas inhabitare. Cùm intereà non ipsis agitur de honesta vel occupatione (quam habent domi sufficientem) vel deambulatione: sed ut oculos, aures, & ventrem foris inter sæcularium commercia possint pascere; liberiusque genio indulgere; non autem ex honesta deambulatione mentem recreare. Satis autem indicant hi murmuratores, atque de claustri solitudine malè contenti; se ne hilum quidem religiosi spiritûs & ad virtutem inclinatæ mentis habere. Nam illa de domo una in aliam migratio, assiduum illud, quod tantoperè cupiunt, cum sæcularibus consortium, & conversatio, certè meliorem non faciet, si non & deteriorem, quem domestica discipli-

[a] Eccli. 29. 31.

na bonum efficere, coërcereque non poteſt. Sapientiſſimè proinde Seneca: a *Primum*, inquit, *argumentum mentis compoſitæ exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari.* Contrà de Religioſo domi parùm quieto rectè inferam: *Primum argumentum mentis incompoſitæ*, nec ſibi cum Deo, & religioſo ſpiritu benè convenientis exiſtimo, *non poſſe domi conſiſtere, & ſecum morari.*

9. Iam, ſi tu, Religioſe, tecum inquietus es; tecum conſiſtere, morarique neſcis; & domus, in qua viget religioſa diſciplina, non te hucuſque in eum efformavit virum, qui tecum poſſis habitare; putas extra clauſtrum inter ſæculares, ubi in continuas impingis levitates, & aliud non occurrit, quàm iurgia, lites, rixæ, diſcurſus parùm honeſti, licentioſa commercia, religioſis oculis, auribuſque prorsùs indigna; putas, inquam, fore te meliorem? Erras, infelix, erras: & ſcias denique cum eo mutandi locum deſiderio, cum eo ſæcularium familiaritates, & commercia colendi voto, reperturum te certò, quod quæris: nimirùm conſcientiæ laqueum, diſciplinæ remiſſionem, licentiæ campum, improbitatis ſcandalum, animæ ruinam; & uni loco, qui non aſſveviſti affixus vivere, in pœnam tuam nullum reperies, in quo melior, ac probior fias. Ad hoc propoſitum audi S. Laurentium Iuſtinianum ſapientiſſimè diſſerentem: b *Impoſſibile eſt in uno hominem figere animum ſuum, qui non alicui loco priùs fixerit corpus ſuum. Qui enim ægritudinibus animi ſui migrando de loco ad locum effugere nititur, ſic eſt; ſicut qui fugit umbram corporis ſui. Seipſum enim fugiens, ſeipſum circumfert: locum mutat, non animum. Eundem ſe ubique invenit, niſi quòd deteriorem facit ipſa mobilitas. Quid terrarum iuvare novitas poteſt? quid mutabilitas locorum? Irrita quidem eſt illa iactatio. Onus animi deponendum eſt; & tunc omnis placebit locus.* Ità Venetus Patriarcha. Vis autem ſcire, quid facto ſit opus, ut Religioſus & probus, & verus ſis? In cella tua tecum habita; domi diſciplinam exerce, virtutem cole, vi-

a *Sen.*

b *S. Laur. Iuſtin. in ligno. vitæ tract. de perſever. c. 4.*

le; visitationes, & colloquia desere; cum Deo, & tecum loquere. Ità Donatum suum instruit S. Cyprianus: qui iuvenem ut à sæculi turbis avocatum in spirituali statu consistentem fortiter contineret, sic ad ipsum: [a] *Tu tantùm, quem iam spiritualibus castris Cœlestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam, religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio. Nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat; ille disponat. Quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla iam poterit, cùm semel pectus cœlestis sagina saturaverit.* Hucusque S. Cyprianus.

§. VI.

Plurimum obest; Religiosos, præsertim iuvenes, aut mitti ad visitandos parentes, & consangvineos; aut in eo constitui de familia claustro, quod parentibus, & propinquis vicinum est.

1. Cùm non tantùm religiosi statûs ipsa ratio, sed etiam ipsius Christi Domini summæ veritatis auctoritas, & Sanctorum Patrum, ac Doctorum comprobatio luculentissimè convincat; Religioso nullum prorsus esse debere cum sæcularibus (excepto necessiratis, & charitatis exhibendæ casu) consortium, & abstinendum esse à supervacuis, otiosis, & curiosis, extra claustrum discursationibus; sequitur multò magis, Religioso, præsertim iuveni, nec ad parentes, quantumlibet hi urgeant, præcipuè vix factâ professione, permittendum esse visitandos ut pergat; nec in eo claustro, cui parentes, & propinqui, vicini sunt, in familia scribendum, & constituẽdum. Primam huius propositi partem quod attinet, ità probandam accipio. Si Religiosus, ad evitandas propinquorum in sui de claustro evocatione importunas instantias deprecari deberet, omnem ad hoc facultatem, quantò magis unicuique Superiori, cui incumbit, curandum est, ne ultroneâ quadam indulgentiâ visitationum in animo pruriginem excitet?

a S. Cypr. lib. 2. ep. 2. ad Donat.

citet? Semel indulsisse satis est; iam posthac finem vel difficilè, vel nullum inveniet. Amor naturalis erga suos, res est tàm tenera, ut ei sufficiat vel parva domesticorum, quos reliquit, memoria; nedum eorum, à quibus est genitus; à quibus enutritus, & educatus est; cum quibus annos sedecim, viginti, plus, aut minùs, vixit, aditus & visitatio. Quæ sensim animum ità flectent, ut Religiosos, in quorum societatem transcriptus est, primùm incipiat ægrè videre; claustrum in quo manet, horrere; disciplinam assiduam refugere: deindè consortiumReligionis suæ contubernalium odisse; tandem & exsecrari.

2. Amor etiam proprius, & cognata vitia, quæ non facilè ex integro sopiuntur, à minimis incipiunt repullulare; sed demùm in enormes se effrenant ausus. Nam ad veritatem cecinit Horatius:

[a] *Nemo repentè fuit turpissimus; excipient te*
Paulatim, qui longa sibi redimicula sumunt.

Sit enim pater vir probus, sit Mater Sanctæ Hedvigi suppar; sint sorores ità boni consilij capaces, ut tamquam alteræ Divi Thomæ sorores ad vanitatibus sæculi renuntiandum sint facillimæ. Non dissvadeat pater cœptam vocationem: mater ad virtutem mactè prosequendam hortetur: sed ipsa rei mundanæ vanitas illecebrosa, & crepundia sæcularia suaptè naturâ sensum alliciunt; proritant, & se blandè insinuant. Quid si quis à latere (non enim etiam in paterna domo probos omnes invenies) addat stimulos? Iacob Patriarcha religiosissimus erat, qui simul (& extra dubium) pietatem filios suos probè docuerit; & tamen [b] Ruben maior natu filius in paterna domo reperit, cuius illectus illecebra paternum thorum commacularet. Davide quid Sanctius? & tamen Amnon filius eius habuit scopulum, in quem cum Absolonis speciosissima sorore Thamar impingeret, certè nec patris, nec matris consilio; sed Ionadab amici svasu. Aquinaticus Angelus in domo paterna (sed invitus) fuit;

[a] *Horat.*

[b] *Gen.* 35. 22.

fuit; & non deerat, quod libidinis adniteretur instillare venenum, sed nihil evicit, prostibulum. Non ad me pertinet hìc, ut ad magis pecularia descendam, & velut intento digito demonstrem, quidnam in religiosissimorum etiam parentum, & consanguineorum latere soleat domibus. Dœmonium, quò illecebrosius, eò occultius est, ut securiùs illaqueet, ac disciplinæ virgam excutiat.

3. Benè propterea scivit Magister Optimus Christus, cur discipulum illum, qui nihil aliud petijt, quàm ut rediret, & renuntiaret his, quæ domi erant, neutiquam redire sit passus. [a] Volebat ille domesticam rem suam disponere, valedicere suis: sed meliùs advertit nemo, quantum hæc noceant Discipulo Christi, quàm ipse, qui reditum, & dispositionem eiusmodi non permisit. Salutare suos, illis valedicere, commovendorum affectuum materia est. Inter valedicentium amicas lacrymas etiam festivè mox ridetur; alternant in risu lacrymæ, cum mærore lætitia; & quidquid natura sibi de amici vel adventu, vel abitu, commentatur ad solatium, inordinatus amor ibi dominus est, & admittit omnia; iamque divisus à Creatore Deo, ô quantum adimit pietati, quam soli debet illi, cui iam se dedicavit! Respicit ab aratro, ad quod manum misit; errat à sulci recta linea, quam in agro Christi perficere debet, & ità prorsùm ineptus fit regno Dei. Verba Christri Domini sunt: [b] *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* In quo S. Paulus Apostolus ne erraret, vocatus à Christo Domino, quàm sapienter vocationem hanc suam tractârit, ipse describens ad Galatas ait: [c] *Continuò non acquievi carni, & sangvini.* Videlicet postquam suscepit commendatum sibi ministerium prædicandi gentibus Evangelium, easque docendi, factus, ex Magistro Mosaicæ legis, Christi Discipulus; non acquievit ijs, quæ caro svadebat, & sangvis, ut vel in patriam rediret, ad suos, vel Ierusalem,

[a] *Lu.* 9. 61.

[b] *v.* 62.

[c] *Gal.* 1. 16.

undè venerat à principibus sacerdotum missus, proficisceretur, ibique quidnam secum sit dispositum cœlitus, enarraret, ac Dei gratiam annuntiaret. Scivit enim optimè; carnem, & sangvinem, amicos, & familiares, esse donorum Cœlestium, divinæque gratiæ fures, ac prædones: ideò rectè non acquievit ulli carnis & sangvinis affectui: nulli consangvineorum aut familiarium colloqui voluit, sed contulit se ad ignotos Arabes, ibique mansit: *Abij*, inquit, *in Arabiam, & iterùm reversus sum Damascum*. Cur autem ità? Quia noluit vocationem suam inter propinquos, & notos obijcere ulli periculo; nihil ampliùs cum carne & sangvine communicandum esse censuit: sed vocanti Christo totus adhæsit.

4. Sic & Religiosus, postquam corpus & animam Deo consecravit in holocaustum, non acquiescat carni, & sangvini. Urgeat Pater, solicitet mater, obsecrent consangvinei; Superior facultatem impertiat; caro, & sangvis insusurrent: non acquiescat, non, imò Superior ipse non inferat eam Religioso, & religioni iniuriam; ut adeundi consangvineos impertiat facultatem, quam subditus deprecatur. Paterna domus insidiæ sunt Religioso, non præsidium. Advertit hoc sapienter Divus Hieronymus, qui iuvenem Heliodorum ad suos ex eremo redeuntem, immò cum ipsis iam habitantem, ità compellavit: [a] *Quid facis in domo paterna delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta cum pellibus? Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in Sacramenti verba iurâsti: pro nomine eius non te patri parciturum esse; non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum occidere conatur; Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant.* Hucusque graviter S. Hieronymus. Qui dum tot animadvertit in paterna domo, perstringitque pericula: nullum videlicet in ea vallum, nullam fossam, non hiemem sub pellibus actam, quæ Christi militem tutentur, ac defendant; sed undique pateat licentia sensi-

[a] *S. Hieron. ad Heliod.*

ſenſibus; concupiſcentiæ libertas incitet, delicati carnem confoveant pulvilli, à quibus curandæ cuticulæ delicatis fomentis ut Sanctus ille vir abſtraheret iuvenem, in hæc ſiquidem erupit verba: *Quid facis in paterna domo, delicate iuvenis?* Iam ſi Superiorem quempiam à facultatis impertiendæ debuerat dehortari facilitate, an non maiori cum motu, & emphaſi dixiſſet? *Quid facis*, in paternam domum ultrò iuvenem protrudens ſuperior? quod ibi reperturus eſt vocationis ſuæ *præſidium?* quod ad defenſionem vallum? quam ad arcendum hoſtem *foſſam*? quam bullienti ſangvini diſciplinam? Pro præſidio patentem undiq; ſenſibus aditum; pro vallo circumfuſas illecebras; pro foſſa viridantem voluptatum planitiem; pro hieme ſub pellibus agenda, delicata mollium pulvinarium tegumenta. Hæccine ſunt religioſæ præſidia vocationis? an non potiùs ſenſuum ad omnem licentiam irritamenta? vide, ne conſulere, iuveni Religioſo cum volueris, aut conſolari parentes, aut Collegio tibi commiſſo compendium aliquod curare, illum perdas, iſtos contriſtes, domui noceas. Satiùs eſt, parentes ut contriſtentur de filij ſedentis in clauſtro ſolitudine, quàm de præſentis aſpectu modicum gratulati, poſteà cum perpetua ſolicitudine deplorent ipſum æternùm. In clauſtro ſeverus Chriſti miles eſt; in paterna domo delicatus athleta. Non quærunt parentes, & conſangvinei utilitatem Religioſi filij; commodis, & ſolatijs ſuis intenti ſunt. Præſtet, ut triſtentur illi, & Chriſtus de milite ſuo gaudeat. Ruat paterna domus, & corruat; Chriſtus in diſcipulo ſuo vivat integer. Non parentibus, non propinquis, non mundo Religioſus militat, ſed Chriſto.

5. Idcircò S. Hieronymus iterùm alibi ad nobiliſſimam quandam viduam: [a] *Contriſtabitur*, inquit, *pater*; *ſed lætabitur Chriſtus*; *lugebit familia*; *ſed Angeli gratulabuntur. Faciat pater, quod vult, de ſubſtantia ſua; non es, cui nata es, ſed cui renata, qui*

[a] *S. Hieron. ad Furiam viduam.*

ta, qui te grandi pretio redemit sanguine suo. Cave nutrices, & gerulas, & eiusmodi venenata animalia, quæ de corio tuo satiare ventrem suum cupiunt. Non suadent, quod tibi, sed quod sibi prosit. Quæ S. Doctoris adhortatio prorsùs ad propositum facit nostrum. Solent parentes, ætate præsertim iam provecti, Religiosum filium invitare; pater viduus, aut mater vidua, de bonis inter superstites filios, aut alios, disposituri: rogant, instant, urgent, superiori supplicant; filium, aut nepotem Religiosum, ut paternæ domui tantisper concedat, eius consilio in re plurimis obnoxia turbis, uti; eius aliquâ consolatione in extrema iam ætate ultimùm frui. Sed hæc ad Religiosum iam sæculo, patri, matri, propinquis omnibus mortuum quid pertinent? Sinite ut alij [a] *Mortui sepeliant mortuos suos. Faciat pater,* aut mater, aut patruus, *quod vult, de substantia sua*; ipsi, de bonis suis disponant; ipsi sepulturam sibi provideant; ipsi lites, & iurgia sua componant: Religiosus Christo consepultus ista non audiat; paternam domum non adeat: vivunt ibi nutrices; vivunt gerulæ; vivunt venenata hæc animalia: Religiosus ea caveat. Superior autem, ut consulat Religioso suo, fortis & constans sit, ipsum in claustro teneat; & non tantùm illorum petitioni consentiat minimè; Sed quotidie potiùs inculcet subdito suo: *Cave nutrices, cave gerulas, & eiusmodi venenata animalia. Contristetur pater; sed lætetur Christus: lugeat familia; sed Angeli gratulentur.*

6. Huic proposito magis ut consultum eatur, non postremæ dexteritatis erit; à Superioribus ità Religiosos in domorum distribui, describique familias, ne facilè quis in ea collocetur domo, qui vicinos habeat parentes, aut quoscunque consangvineos. Si enim procul dissitum crebrò suspirant, literis inquietant, nuntijs interpellant; quid facient vicini? Visitabunt sæpè; crebriùs invitabunt; semper importuni, tempus omne, quod obsequio divino destinatum est, suffurabuntur, & quod si-

a Lu. 9. 60.

lentium ac pacem hucusque religiosa domus habuit, iam continuæ visitationes, salutationes, & rumores eripient. Et licèt fortasse minor esset inquietudinis alicuius habenda ratio; maior tamen haberi debet, quòd cōtinuum illud commercium vehementer noxium, religiosum spiritum, & erga disciplinam affectum, ac spirituales exercitationes hebetet; susceptæ vocationis, in iuvene præsertim, aliquam sensim invehat pœnitentiam; cuius abundè materiam subministrant consangvinei, & eorum negotia: sicque Religiosus fiet quædam sæculi sui (quod iam alibi dictum est ex S. Bernardo) chimera, nec bonus Religiosus, nec probus Clericus, nec sæcularis honestus. In quo cum provæctis ætate, & [a] *Qui pro consvetudine* (sicut Apostolus ait) *exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali*; id est, (uti S. Ambrosius explicat) qui [b] *Ex usu, & frequenti lectione Sanctarum scripturarum* (certè non ex consangvineorum frequenti visitatione) qui ex diuturno religiosæ disciplinæ, meditationum, orationis, & spiritualium exercitiorum studio probati sunt, atque propinquorum, & quorumcunq; extraneorum crepundijs, & sæcularibus amicitijs, minimè delectantur; quin imò subterfugiunt ista modis omnibus; &, quantum in ipsis est, à propinquis abesse longiùs adnituntur: cum his, inquam, etsi nec periculum subsit, nec scrupulus aliquis habendus facilè: attamen eorum consulendo quieti potiùs, & paci, spiritualique desiderio, semper utilius est à loco patrio procul eos habitare. Raro namque tàm fortem invenies, ut seipso fortior nihil omninò tàm de consangvineis, quàm de notis alijs, & amicis scire velit, ac in domo religiosa sic maneat solitarius, ut & ipsi consangvinei, noti, ac amici cogantur ipsius oblivisci. Sunt enim in hoc genere sæculares incapacissimi; quantumcunque Religiosus ab ipsorum visitationibus, & conversatione se vel excuset, vel submoveat; illi tamen semper iam consilium, iā auxilium; iam suscipiendum,

[a] Hebr. 5. 14. [b] S. Ambr. hic.

expe-

expediendumque negotium aliquod, implorabunt importunissimi.

7. Idcircò benè quondam Arsenio, dum adhuc Constantinopoli ageret in palatio Theodosij Senioris, eiusdemque filij Arcadij Magisterium exerceret, oranti, voluntatem suam Deus ut manifestaret, quidnam ab ipso fieri vellet, saluti suæ magis necessarium, vox insonuit è Cælo : a *Arseni; fuge homines, & salvaberis.* Iam in solitudine posteà constitutus, iterùm divinum consilium quidnam sibi facto sit opus ad salutem ultrà promovendam, cùm imploraret, audivit hanc delapsam ad se vocem: *Arseni; fuge, tace, & quiesce : hæc sunt principia salutis.* A quo tempore deinceps ità iam egit solitarium, tamquam esset mortuus. Undè vir quidam nobilis ad eum Româ cùm vestigatum venisset, nuntiassetque reperto; ut in Vrbem veniret: ipsum enim à cognato suo mortuo plurimorum bonorum ex asse scriptum esse hæredm, constanter respondit Arsenius: *Ego priùs mortuus sum, quàm ille; ipse modò mortuus est; quomodò me fecit hæredem?* Simile quid scribit Cassianus de Abbate Apollo. b *Ad hunc senem (ait ille) cùm germanus eius intempesta nocte venisset, implorans, ut de monasterio suo paulisper egressus ad evellendum bovem, quem cæno palustri eminùs inhærere flebiliter querebatur, ei esset auxilio; quia eum solus nequaquam posset eruere. Abbas Apollo pertinaciter obsecranti: Cur ait, iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens propiorem, quàm me habueras, non rogasti? Cumque ille eum mortuum, olim sepulti fratris oblitum, & ex nimia continentiæ, ac solitudinis iugitate velut impotem mentis existimans respondisset: Quomodò poteram de sepulchro eum, qui ante annos quindecim obijt, invocare? Abbas Apollo: Ignoras ergò, ait, me quoq; ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaq; iam posse de huius cellæ sepulchro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? quem in tantùm Christus ab intentione mortificationis arreptæ vel modicum ad extrahendum bovem tuum non patitur relaxari, ut ne brevissimi qui-*

a *Petr. Ribad. in eius vita die 19. Iul.*

b *Cassian. Collat. 24. c, 9.*

dem momenti inducias pro patris indulſerit ſepultura, quæ multò utique celeriùs, honeſtiùs, & religioſiùs fuerat exhibenda? Sic Abbas ille germanum fratrem ſuum expedivit ſapientiſſimè. Et certè convenit, omnem religioſum non ſolùm conſangvineis, & cognatis ad ſæcularia negotia nimis ipſum diſtrahere volentibus reſpondere, ſed omnibus etiam alijs ipſi negotia ſua ad nimiam uſque diſtractionem commẽdantibus, ac dicere: ſe iam pridem huic mundo mortuum eſſe: crebriùs autem illud Apoſtoli S. Pauli ſibi recitet, inculcetque dictum: [a] *Mortui eſtis; & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.*

§. VII.

Ad religioſæ vocationis, & perfectionis, ornamentum pertinet, à nimijs, & affectuoſis ſalutationibus, quas vulgò valedictiones dicimus, abſtinere.

1. RES adeò videtur exigua, multò minùs aliqua reprehenſione digna, dum Religioſus una domo, in qua commoratus eſt aliquot annos, in aliam migrat, amicos, & notos, velut ultimum ſalutare, illiſque vale dicere; ut non ſolùm eſſe materia nulla debeat ſuper eo quidpiam commemorandi; ſed etiam iuſto riſui ſit proſtituendum; præſertim cùm hucuſque nullus authorum gravium aliquid ad hoc propoſitum operi ſuo disertè quidpiam inſeruerit; viliſſimiq; momẽti rem prætеriẽrint omnes. Imò contrarium vel ex ipſis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs habetur paſſim; & communis apud Religioſos recepta praxis, ac conſvetudo, ſalvis uniuſcuiuſque ſtatutis iuſtituti obſervantiaq; regulari, docet aliud. In primis enim, ad ſacri codicis ut veniatur teſtimonia, ipſe Moyſes, poſt quem [b] *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſràël, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, vir petfectiſſimus; & tamen moriturus, univerſo populo valedixit; cuius rei teſtimonium eſt ipſa benedictio, quam narrat liber Deuteronomij, facta [c] *Filijs Iſràël*

[a] Coloſſ. 3. 3.

[b] Deut. 34. 10. [c] 33. 1.

srèël ante mortem suam. Idem fecisse constat fortissimum ducem Iosue: qui pariter iam morti vicinus, [a] *Congregavit omnes tribus Isràël in Sichem; & vocavit maiores natu, ac principes, & iudices, & magistros; steteruntque in conspectu Domini, & ibi ad populum locutus est* ultima verba, deditque monita. Tùm verò [b] *Dimisit populum, singulos in possessionem suam: & post hæc mortuus est.* David & Ionathas ab invicem separandi, quoniam tenerrimè se diligebant, [c] *Osculantes se alterutrum fleverunt pariter*, & ità demùm mutuò salutantes, sunt separati.

2. Et ut omittamus alia, ipse Christus Dominus, [d] *Sciens, quia venit hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem*, quàm prolixo sermone Discipulos suos ad ultimum consolatus est vale? Certè non aliâ causâ, quàm ut illis, quos *In finem dilexit*, cor suum, & tenerrimum dilectionis affectum panderet. Quod idem & homines, etiam Religiosi, faciunt; ut quos deserunt corpore, semper illis animo coniunctos manere se protestentur. Magister gentium, & Vas electionis S. Paulus ex Asia, cuius omnes urbes peragraverat docendo, & eorum conversionem impensissimè curando, navigaturus à Mileto Ierosolymam, nec ampliùs ad illum Asiæ populum rediturus, an non & ipse *vocavit maiores natu Ecclesiæ*, quibus & multâ vale dixit oratione, & omnes ad fletum commovit? Nam teste scriptore S. Lucâ, [e] *Magnus fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum.* Igitur si viri tàm Sancti, perfectionis & Sanctitatis exempla, præcipuè verò ipsa incarnata Dei sapientia Christus Dominus, noluerunt humanitatis, aut potiùs charitatis officio deesse testificandæ, quin abituri, & divellendi à suis, ipsos ultimâ dignarentur salutatione; cur nō & Religiosus, qui annis aliquot in oppido, vel civitate quapiam tamquam unus è domesticis vixit, expertus civium, & circumhabitantium beneficia, benevolentiam, & affectûs optimi testimonia; qui doctrinâ

a Iosue. 24. 1. b v. 28. c v. 29.
d Ioan. 13. 1.

e Act. 20. 37.

popu-

populum, pro concione, iuventutem in gymnasio, conscientias in sacro confessionum tribunali, egregiè erudivit; de omnibus benè meritus est; cur, inquam, & ipse tàm sit inhumanus, ut non admonitis patronis suis, amicis, propinquis, discipulis, alijsque quocunque officij genere de se benè meritis abeat? non ipsis vale dicat? non gratias agat? Profectò nova quædam hæc sapientiæ Schola non minùs arguit rusticam, & aggrestem ruditatem qúàm gratitudinis, & humanitatis ignorantiam, & beneficiorum oblivionem. Nos homines sine hominibus esse non possumus. Etiam Religiosi tàm egent hominum gratiâ, quàm alij plurimi sæculures. Et certè Religiosi vel maximè; qui sine beneficiorum munificentia vivere non possunt.

3. Ità quidem, & (ut videtur ipsis) sapientissimè ratiocinantur. Sed cum eorum venia; tantùm ex Politica, non autem ex religionis æqua lance theorematibus ponderatis. Nam istæ rationes; patronis, ac beneficis, agere gratias; vale dicere; notam rusticitatis effugere; cum hominibus, sine quorum benevolentia, beneficentiaque Religiosi subsistunt ægrè vivendum esse, nihil pertinent ad verum religiosi statûs, ac vitæ, fundamentum; quod non tàm in hominum gratia, quàm in Dei sapientissimè gubernantis admirabili providentia, hominum animos & corda moventis, atque ad beneficentiam erga Religiosos excitantis, constituitur; & qui secùs existimat, ne ille divinæ providentiæ plurimùm derogârit, non divinâ bonitate, & curâ, sed humana ratione religiosam metiendo conditionem, parùm Christianus. Ruditas, & humanitatis ignorantia, vel potiùs (ut arguitur) gratitudinis, & beneficiorum oblivio, nihil hìc evincit; tùm quòd benefici sciant benè, sintque contenti, Deum à Religiosis beneficiorum non immemoribus orari pro se, non habentibus alium compensandi beneficia modum, quàm orationibus, quibus illi se commendat; & Deus annuendo pauperum Religiosorum pre-

cibus, tàm in hac, quàm in futura vita beneficis remuneratur copiosè: tùm si verè (sicut omninò creditur) propter amorem Dei beneficia pauperi largiuntur Religioso, etiam ipsi non aliundè, nec alibi, quàm à Deo, & in cœlo remunerationem sperant, & expectant; tùm etsi gratum habeant aliquod gratitudinis, & affectûs mutui testimonium; tamen ex alia parte non ignari, Religiosos ad urbanitatis eiusmodi cerimoniam non obligari, libenter eorum ex obedientia migrationi, sine denuntiatione, dant veniam; sciuntque probè, manere semper in claustro tales, etiam hos, qui novi adveniunt, beneficiorum memores, idem pro benefactoribus orandi prosequi officium: tùm quòd hæc vale dicendi cerimonia cum religioso nihil penitùs habeat instituto, eò quòd in claustris versentur mortui toti mundo, sicut & omnibus vanitatibus eius; inter quas abusus iste vale dicendi magis à sæculi vanitatem sectantibus, quàm à bonis Dei servis invectus, est vanitas maxima.

4. Exempla verò magni prophetæ Moysi, Iosue ducis Isràëlitici populi, Davidis cum Ionatha, & quod ampliùs est, ipsius Christi Domini, sicut & Magistri gentium S. Pauli, adferuntur huc parùm aptè. Nam Moyses, & Iosue duces electi populi fecerunt pro ratione officij sui sapienter, & sanctè: inter quorum authoritatem, & unius pauperis Religiosi personam nulla est comparatio. Illi non tàm vale dicturi congregaverant, & convocârant maiores natu, & populum; quàm ut timorem Domini, & legem, in cuius prævaricationem universus Isràël erat semper inclinatissimus, servandam inculcarent, additâ quoque comminatione divinæ ultionis, & quidem gravissimæ in eos, qui à cultu veri Dei ad gentium idola transferrentur. Idque factum à sanctissimis illis viris principaliter, ut Dei timorem populo duræ cervicis seriò commendarent, & inculcarent: sicut hoc ipsum disertè continet totus Deutoronomij liber, &

canti-

canticum Moysi; qui demùm concludens omnia, sic ad populum: a *Ponite*, inquit, *corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie; ut mandetis ea filijs vestris custodire, & facere, & implere universa, quæ scripta sunt legis huius. Quia non in cassum præcepta sunt vobis; sed ut singuli in eis viverent.* Iosue pariter ad natu maiores, ac principes, iudices, & magistros, & ad populum universum, postquam ipsis enumeravit omnia Dei erga ipsos beneficia, denique sic concludit: b *Nunc ergò timete Dominum, & servite ei perfecto corde, atque verissimo; & auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, & Ægypto; & servite Domino Deo soli.*

5. Iam quidquid fecerunt hi magni duo Principes Isràelitici populi Moyses & Iosue, fecerunt ex officij, & ministerij sui obligatione, inter quos, & sublimem eorum, quem gesserant, magistratum; & inter pauperem Religiosum, eiusque ministerium, ad quod administrandum, exhibendumvè sine dominatu, vocatus est, quanta disparilitas? Proportio nulla penitùs. Quantumcunque concionatus ad populum fuerit; multos annos magister iuventutem docuerit; pro conscientiæ tribunali sedens desudaverit; fecit, quod facere debuit, servus (secundum Christi veritatem) inutilis, non ut populi corda venaretur, & gratiam (hoc enim grande foret sacrilegium) sed ut imposito sibi ministerio pro Dei gloria benè fungeretur; & tàm populo, quàm sibi æternæ vitæ coronam lucraretur. Moyses, & Iosue, fecerunt ultimæ voluntatis suæ testificationem iam morituri: Religiosus autem iam pridem mortuus, voluntatem suam in superiorum tradidit manus; cur iterùm sæculo reviviscat? Davidis, & Ionathæ pariter exēplū ad politicam non ad statū religiosū pertinet.

6. Christi Domini summæ Sapientiæ, & Divi Pauli Magistri gentium exempla æquè perperam ad defensionem adferuntur; tùm quòd Discipulos ex optimi sui magistri mæstos abitu consolari, & confirmari; similiter & gentes ab

a *Deut.* 32. 46. b *Iosf.* 24. 14.

earum Ecclesijs Apostolo iam abeunte, nec ampliùs ad eas redituro in fide roborari, de quibusdam intraturis inter illos post discessionem eius lupis rapacibus admoneri, conveniens erat, quin & necessarium. Quorum, & horum similium Religiosi pro instituti sui professione iam nihil interest; cùm ad ipsum non pertineat de ovibus, sivè de Discipulis, vel auditoribus, nec de lupis rapacibus, aut de successuris alijs magistris, esse solicitum: tùm quòd Christo Domino tamquam supremo Capiti Ecclesiæ incumbebat eandem Ecclesiam suam in Apostolorum Collegio præsentatam confirmare in fide, & instruere: sicut post gloriosam resurrectionem suam idem fecit, teste sacrâ historiâ, quòd a *Præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies, quadraginta apparens eis* (id est, Apostolis) *& loquens de regno Dei*, hoc est, de Ecclesia; quam Apostolis reliquit fundandam, erudiendam, & pleniùs instituendam. Apostolus etiam S. Paulus quòd convocaverit *Maiores natu Ecclesiæ*, nimirùm Episcopos, quia fuit admonitus à Spiritu Sancto per omnes b *Asiæ Civitates; quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis ipsum manent*, & consequenter ampliùs minimè rediturum, omninò debuit & ipse fungi magisterij sui officio, & inculcare perseverantiam in fide illis, quos post discessionem suam erant invasuri lupi rapaces, pseudomagistri, c *Loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*, turpis lucri gratiâ. Id quod æquè nihil ad Religiosum hoc tempore pertinet, utpotè mortuum huic sæculo; nec ampliùs eos, quos aut ex pulpito pro concione, aut in arcano conscientiæ tribunali, aut in gymnasio docuit, curare ad ipsum spectat, seu spectabat; nisi quantum ipsi permisit obedientia. Qui neque timere debet successores in officio, quo fungebatur, lupos rapaces; sed persvadeat sibi, fore probos in Christo fratres, & forsitan meliores se, diligentiores, ad docendum industriâ, & ingenio sagaciores, spiritu ferventiores. Denique quid-

a Act. 1. 3.

b C. 20. 23. c v. 30.

quid ſit de præmiſſis exemplis; penes illos authoritas abſoluta fuit, & ex plurimis cauſis etiam ſumma neceſſitas, ſicut ex iam dictis abundè colligitur. at pauper Religioſus, & mundo iam defunctus non habet ampliùs, quod ſibi ex hac mundi vanitate vendicet. Dico, ex mundi vanitate. Nam iſtæ, quæ fiunt hodie, gratitudinis, & affectuum in ſalutationibus eiuſmodi teſtificationes nihil ſapiunt aliud, quàm hominem, qui iam in Dei ſortem vocatus eſt, & humanis affectibus eſſe deberet ſuperior, ac cerimonias à religioſa profeſſione prorsùs alienas infra ſe deſpicere, & calcare, nimis adhuc ipſum ſæculo vivere probant: & difficilè ſeparari ab illis, quibus per teneram animi affectionem innodatus eſt (quod eſt viliſſima quædam ſervitus) manifeſtè convincitur.

7. Praxis apud Religioſos recepta perperam etiam allegatur: imò contrarium apud cordatos, quin & universè in omnibus, in quibus obſervantia viget regularis, ordinibus Religioſorum uſurpari, compertum eſt: & quidem apud nonnullos, diſceſſurus neque ſcit priùs, abiturum ſe, quàm ipſo migrationis die, quo, dum ad menſam accumbit, reperit poſitam ſub lance, ſchedam indicentem ſibi obedientiam diſcedendi. In abitu valedicunt ſibi cum omni religioſa modeſtia, ſine fragore, ſine multis affectuum teſtificandorum cerimonijs, ſed ut decet Religioſos. Praxis autem alia, quæ aliter uſurpatur, ab illis eſt invecta; qui neque ſibi, neque mundo, perfectè mortui ſunt. Cæterùm illi, qui migraturi, dies, aut ſeptimanas aliquot antevertunt, deque migratione ſua iam per tabellarios, ac epiſtolas, faciunt certiores amicos, (uti ſibi quidam arrogant) & familiares, aut beneficos; iam & in perſona ipſi circum circa, cum quibus habuerunt notitiam, adeunt, viſitant, ijs valedicunt, omnemque locum famâ ſui diſceſſûs implent, præterquam quòd contraveniant religioſi ſtatûs intentioni, etiam egregiè deprehenduntur in multis impingere. In primis enim ſatis indicant, ſe nimium

quantum

quantum adhuc humano laborare affectu; & qui olim patrem, matrem, & consangvineos omnes constanter ob amorem Christi deseruit, forsitan etiam, (ut eidem Christo Domino perfectiùs adhæreret) clàm ipsis abivit, siccis oculis in tàm heroica actione seipso fortior; iam nunc erga hos, & illos, cum quibus evanidam tantùm habuit amicitiam, & conversationem aliquã, sic affectus est, ut ab illis avelli nequaquam possit, nisi priùs oculos, animumque pascat, & amicis, non sine lacrymis, dicat vale. Deindè, vix benefactorum, amicorum, & familiarium aliquis est indolis adeò hebetis, & obtusæ; ut non intelligat, vel saltem interpretari possit, cuiusnam rei gratiâ fiat hæc vale dicendi ceremonia. Nimirùm ut abeuntem viatico quopiam consoletur, & comitetur, habiturus fortasse gratiùs, si vale dicturus non venisset. Et dum illi plerumque liberales sunt, aut etiam crumenæ suæ vim adferunt aliquã, iste beneficiarius viatici titulo sibi forsitan tantisper indulgebit, & argenteæ, vel aureæ monetæ specie illectus eam neque superiori tradet; in itinere vel imagines, & (uti vocamus) Rosaria in amicos alibi distribuenda, vel aliquid aliud necessitatis obtentu sibi comparaturus, & iam beneficij dominus, ac insigniter proprietarius futurus. At hoccinè vocationis aliquod ornamentum est, aut præsidium?

8. Præthereà dum acceptum se maximè fuisse putat, & super alios in reverentia, magnaque observantia habitum, fieri potest, ipsum egregiè hallucinari. Non enim considerat, sibi cum sæcularibus, statu, professione, conditioneque dissimillimis, non cum pauperibus Religiosis, fuisse negotium. Sæculares ea, quæ sæculi sunt, sectantur; & affectibus affectus accõmodant, ac reponunt: sed sæpè tàm sincerè, quàm status ipsorum à religiosa differt professione. Putas illos abitu dolere tuo; cùm intereà dolent, te pridem non abijsse, ne toties importunè visitarentur. Putat alius honorem, & applausum abeuntis exacto ministerio

nisterio, vel Magisterio suo fieri; cùm illi rident in occulto vilitatem animi: qui dum supra humana ferri deberet, in infimis sæculariū more commoratur. Ex cōmiseratione fieri sibi putat alius honorariū, aut donativum: & erunt, qui minimè necessariam, si non & avaritiâ putentem, explodant aviditatem. Et ità per alia discurrendo, nescio; an aliquid sinceri promittere sibi debeat Religiosus; cúius institutum à sæcularium politica toto cœlo diversum est. Postremò, illa tàm industriosa discursatio, causâ vale dicendi, satis prodit; Religiosum, cæteros, à quibus abit, contubernales, & qui venturi, successurique sunt aliundè, in Christo fratres, ostendere, non esse tantæ apud ipsum existimationis; quòd & ipsi benefactorum, & erga cœnobium, propensorum animos sciant demereri: tantique suam operam hucusque religioso conventui impensam æstimat, ut cum migrante se migraturam quoque putet omnem domûs fortunam, & commoditatem: metamorphosim audeat ominari, & iactare longè aliam, quàm fuerat hactenus; tantùm non & domum, cum omni statu suo, ruituram. Quæ tamen insignis animi superbia sæpè notabilirer vapulat, & non solùm in eodem commodo manet cœnobium statu, sed etiam in meliore, quàm antè; Deo videlicet, qui solus habet curam pauperum religiosorum, divinam providentiam suam nulli hominum adscribi volente; superbiam autem; & arrogantiam humanam confundente.

9. Iam ea sæcularibus vale dicendi cerimonia per Religiosum exhiberi solita parùm laudabilis reprehensionem dū incurrit; fortassis etiam non multum meretur laudis & illa, quæ ad nimium invaluit: domesticos, id est, eos, cum quibus in claustro tantisper vixit, ultimum salutandi. Modus, inqā, non iam ille religiosus, & simplex, qui decet Deo dicatos in charitate simplici; sed totus ad sæcularem politicam exquisitus. Non enim suffecerit in abitu dicere: Vale, bone pater, aut frater; Deus te ser-

vet incolumem, & ora pro me. Sed necessum est, dies aliquot ante abitum per cellas omnes ab uno ad alium itare; cellas in conciliabula quædam convertere; colloquia post multas diei horas in longam quoque noctem, clam Superiore, producere; temporis, & silentij nullam rationem habere. Iam quid ipso die, qui migraturo iam unus tantùm superest, aut, ultimus est? ô quantus hìc in tota domo salutantium tumultus! quàm clamosum, confusumque murmur, & collisio vocum! Non hìc reprehenditur tenerrimus, & spiritualis amor; qui nusquam magis, quàm in religiosis animis sincerè exuberat; & negari non potest, in ea separatione mutuis affectibus aliquid dandum esse: sed huic sufficere debet intra modestiæ limites amica salutatio paucis expedita. Cætera, quæ sæcularium affectuum explicant motus, in quos etiam religiosæ mentes deflectunt, à nobis propulsanda sunt. Quia sæcularem, & politicum potiùs ea referunt hominem, quàm Religiosum; cujus prima virtus esse debet, ubique in gravitate, & modestia constare sibi; nihil eorum, quæ sæculum, & inordinatum aliquid sapiunt, admittere; affectus, qui nimis exteriorem sapiunt hominem, contemnere. Quia verò in his plerumque, sicut homines, humana respicimus iudicia magis, quàm professionis, & habitûs religiosi decentiam; hominibus placere, & in affectibus humanis palmam quamdam referre contendimus; in ijs vivere quæstum reputamus: ideò consulat nobis hìc illud S. Hieronymi dictum: [a] *Prima virtus Monachi est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Religiosa vocatio non quærit aliud, quàm Christo consepulta manere. Sæcularia dilectionis symbola relinquit sæcularibus. Hoc ipsius ornamentum, & decor est. Et qui religiosus ità se gerit, [b] *Hunc meâ sententiâ* (cum Tullio concludo) *divinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto.*

a *S. Hieronym. ep. ad Pammachium.*
b *Cic. pro M. Cœlio.*

CAPVT. XVI.

§. I.

Religiosæ vocationis singulare præsidium, est devotio.

1. NOn est dubium, quin virtutes omnes à Religioso exerceri solitæ concurrant ad vocationis præsidium, & custodiam; præcipuè verò morales adeò conservandæ vocationi sunt adminiculo, ut nulla prorsùs earum sit, quæ non veniat in tanti boni, qualis est eadem vocatio, tutelam: eò quòd sibi connexæ sicut se mutuò non expellunt, sic etiam ad bonum invicem operantur. Undè singulas ad hanc operam, seu tutelam, singulatim examinare si quis vellet (quod immensi foret operis) in singulis earum reperiret, quod ad religiosi statûs iam semel apprehensi conservationem mirificè faciat. Quia verò singularum examinationem percurrere, foret (sicut dictū est) operis immensi, satis erat hucusque præcipuas in huius opellæ molimen attulisse; quarum agmen hoc ultimo capite claudat Devotio. Quæ nihil aliud est, quàm [a] *habitus quidam principalis, inclinatus ad omne bonum, procedens à virtute religionis in actum ad colendum Deum. Vel; est promptitudo, & agilitas ad exercendum id quod rationem habet divini obsequij.*

2. Iam verò sicut divotionis est causa duplex; alia *Extrinseca*, & principalis, ut docet [b] Divus Thomas secundâ secundæ, quæst. 82. Artic. 3. in corpore; & hæc causa est ipse Deus gloriosus: qui ex infinita bonitate sua devotionis spiritum liberaliter infundit, quibus vult; ideoque continuè rogandus est, ut hunc devotionis spiritum largiri dignetur, & in nobis augere. Undè S. Ambrosius (sicut Doctor idem Angelicus allegat) donum hoc ad Dei voluntatem refert, cùm ait: *Deus, quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit*, & devotum. Alia causa devotionis est *Intrinseca*; & hæc est meditatio, seu contemplatio; quæ fieri debet ex parte nostra ut meditando, eam ipsam in nobis excitemus devotionem, iuxta illud Psalmi [c] *In meditatione mea exarde-*

a Devotio quid? *b S. Tho. 22. q. 82. a. 3. in c.* *c Psal. 38. 4.*

scet ignis. Sicut, inquam, devotionis est causa duplex ità quoque devotio duplex est. *Prima*, & principalis, est illa, quam Deus dat, promptitudo, & agilitas ad omne bonum, & hæc dicitur devotio solida, constans, & permanens; etiamsi non sentiatur aliquis in ea gustus, sed satis est, inclinationem illam, & habitum promptum ad omne bonum, ad divinum obsequium, & ad quoscunque religionis actus in anima durare, & in exercitium, actumque facilè deduci. *Altera*, & secundaria devotio est illa, quæ sensibilem quemdam adfert in voluntate gustum: & hæc est valdè transitoria, citòque perit.

3. Quamvis autem talis ista devotio sensibiliter magis excitet voluntatem ad dilectionem Dei, & ad omne id, quod intellectus approbat tamquam gratum Creatori suo; tamen etiam pro tali devotione gratiæ quidem agendæ sunt Deo, non tamen illi sic inhærendum est, tamquam principali medio ducenti ad ultimum finem; sed tantùm soli datori Deo, mentem ad devotionem solidam permoventi: pro cuius amore libenter anima renuntiat omni gustui sensibili, contenta solo delectari Deo supra omnem sensuum quantumcunque dulcem experientiam. Et hic actus est verè heroicus, excitatus à meditatione, & contemplatione bonitatis, ac beneficiorum Dei. Quem actum legitur S. Maria Magdalena de Pazzis egregiè exercuisse; quando videlicet [a] *Multis ante obitum annis, universis cœli delicijs, quibus copiosè affluebat, heroicâ virtute renuntians, illud frequenter in ore habuit*; *Pati non mori*. Maluit hæc sancta Virago pati pro Deo quoddam cordis exilium, & nihilominùs ipsi per obsequium constanter adhærere; quàm sine patientiæ exercitio, sensibili devotionis aliquo gustu mentem pascere. Quod verè fuit heroicum amoris erga Deum Creatorem suum perfecti constans symbolum, solidæque devotionis argumentum. Similem devotionem solidam est animadvertere in Sancta Virgine Theresia. Quæ [b] *Per duo de viginti annos*

a *Breviar. Rom. die 25. Maij.*
b *Idem. die 15. Octobr.*

nos gravissimis morbis, & varijs tentationibus vexata, constantissimè meruit in castris Christianæ pœnitentiæ, patientiæq; ; nullo refecta pabulo Cœlestium earum con solationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare.

4. Iàm verò sciendum est, solidam hanc devotionem adeò necessariam esse cùm ad perseverandum in spiritu, vocationeq; religiosa, tùm ad omnem religionis actum exercendum in obsequio divino, quales sunt Oratio, Meditatio, Sacrosanctæ Missæ (si sit Sacerdos) celebratio, vel auditio, & omnes aliæ piæ exercitationes à Religioso fieri consvetæ, ut opus eiusmodi sine tali devotione exhibitum vix aliquod apud Deum habeat meritum. Est enim hæc devotio solida (sicut Aquinaticus docet Angelus) animæ quædam pingvedo per charitatem (sic ut dicam) causata. quæ sicut hominem reddit promptum, & agilem ad Deo serviendum, eumque colendum; ità servitium quoque, & omne divini cultûs obsequium efficit Deo gratum. Quemadmodum olera quæcunque, vel alius etiam cibus omnis, humano gustui sine pingvedine parùm gratus est, & cum nausea quadam manducatur; ità, quæ Deo exhibentur ad eius obsequium opera, sine devotione non habent eam, quam nobis optamus, in Dei conspectu gratiam, eò quòd videantur exhibita sine charitate, devotionem excitante, & opera divini cultûs informāte. Hinc Doctor Angelicus ipse, comparat devotionem pingvedini corporali, digerenti, naturalemque calorem conservanti, tamquam eius nutrimentum. Sic & charitas, quæ calor est supernaturalis, [a] *Et devotionem causat*, (verba S. Doctoris sunt) *in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico, & etiam per devotionem charitas nutritur, sicut & quælibet amicitia conservatur, & augetur per amicabilium operum exercitium, & meditationem.* Igitur mutuò nutriunt se, fovent, conservāt, & augent hæc duo, charitas, & devotio.

5. Undè S. Ambrosius mirificè prædicat Abrahæ devo-

[a] *S. Tho. ubi sup.*

tionem, ex qua sine tergiversatione, postquam Domini mandatum accepit, de offerendo in holocaustum Filio suo unigenito, non passus ullam intervenire moram, promptissimè, quod fuerat iussus, effectui dare voluit, nisi divinum oraculum aliud constituisset. Do Sanctissimi præsulis verba: [a] *Abraham*, inquit, *filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies, ut Cain, obtulit; sed exurgens manè, (de nocte consurgens,* habet Sacer codex) *stravit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum, surgens abijt. &c. Primò adverte immolantis studium maturum, atque festinum, ut mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deindè, ut pararet asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio omnia præpararet. Quod autem ait: die tertiâ, quòd continua debeat esse, & perpetua devotio.* Hucusque S. Ambrosius. Quia verò devotionem, præterquam quòd Deus ipse sit eius causa principalis extrinseca, meditatio quoque excitat, tamquam causa intrinseca, Sanctus idem Præsul sapienter observat; iugem divinorum beneficiorum, (quorum contemplationem suggerit consideratio) esse debere memoriam. quæ idcircò reddit hominem devotum, id est, voluntate promptum ad exhibendos actus ad divinum cultum pertinentes. Dicit igitur: *Tripartitum est tempus; præteritum, præsens, & futurum. Quo admonemur; quòd nec præteritorum beneficiorum Dei, vel præsentium, vel futurorum irrepere debet ulla oblivio; sed tenax gratiæ memoria perseverare, & obedientia non deesse.* Ex quo satis intelligitur; Religiosum ut in vocatione constanter perseveret, exercitia sua spiritualia cum devotione, cum beneficiorum Dei memoria, cum divinæ gratiæ tenaci recordatione, debere peragere. Siquidem in omni opere, quod exhibetur Deo, ad colendum ipsum [b] *Primas partes* (ait alibi Sanctus idem Ambrosius) *sibi iusto ordine vendicat devotio.*

6. Est ergò devotum esse, nihil aliud, quàm promptam habere

[a] *S. Ambr. to. 4. l. 1. de Abel, & Cain. c. 8.*

[b] *Idem lib. 1. de Abrah. c. 3. ad init.*

habere voluntatem ad exsequendum ea, quæ pertinent ad Dei cultum. Quæ devotio solida facilè se prodit per indicia quædam foras erumpere solita non aliter, atque latentis ignis sub cinere scintillæ; quæ, dum minimè speres, in superficiem erumpunt. v. g. dum quis in oratione tàm vocali, quàm etiam mentali sivè decenter sedens, sivè genuflectens, sivè stans, cum magna sensuum, animique recollectione, corpus etiam ipsum, ac sensus omnes externos ad omnem componit modestiam, non tanquam opus aliquod perfunctoriè peragens, sed in Dei præsentia constitutum se considerans orationem cum omni peragit diligentia. Dum item aut orat, aut legit, aut scribit, ad dulce, sanctum, sed & terribile, Dei, & amabilissimi IESU Nomen, tàm in publico, qàm in privato, caput reverenter detegit, & humiliter inclinat; dum præter eas, ad quas vel ex ordine, vel ex instituto obligatus est, preces, etiam alias ultroneè, & (ut vocant) supererogatoriè, Deo solet offerere; iaculatorias etiam preces, & aspirationes in cella, vel ubicunque, præcipuè dum in privato versatur, elicere. Huc pertinere possunt, quæ superiùs sunt dicta cap. 6. §. 1. & 2. Item cap. 8. §. 1. & 4.

7. Iam quid dicam de cultu, & frequentatione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ? In hoc incomparabili divinæ bonitatis, & immensæ charitatis erga nos, ac misericordiæ recolendo mysterio si præ devotionis spiritu non se totam liquescere sentit anima, saltem excitatur nihilominùs ad exhibendam illi profundissimam non solùm exteriorem, sed etiam interiorem reverentiam; ut sivè legit, aut scribit, sivè profert voce, sivè proferri audit, caput similiter detegat, & humiliter inclinet: locum autem, in quo conservatur hoc Venerabile Sacramentum, si pertranseat, humillimè ingeniculatus, illud adoret; & si tempus patitur, tantisper subsistat, ac brevibus salutet illis verbis: *Tantum ergò Sacramentum veneremur cernui &c.*

Vel

Vel devotè dicat Orationem: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue, quæsumus, ità nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.* Vel breviùs: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* vel: *Salve Veneranda Hostia, Angelorum Panis vivus, admirabile Sacramvntum, Panis Sanctè, panis vivus, panis mundè, panis dulcis, & Angelorum deliciæ. &c.*

8. Iam de Deo sermocinari si contingat; summam animi, sensuumque recollectionem tunc exhibeat. Hæc enim, & his similia probant Religiosum devotum, & satis argumento sunt, ipsum esse beneficiorum Dei, inter quæ numeratur & religiosa vocatio, memorem, & in vocatione sua perseverantem. Contrà verò, dicimus aliquem indevotum esse, vel sine devotione, dum nihil eorum, aut horum similium, quæ sunt hìc commemorata, videmus ab ipso fieri. Hinc etiam mirum non est, quempiam in oratione tam privata, quàm publica, in téplo, in oratorio, seu alibi cum alijs versantem stare, sedere, vel flectere, oculis vagis, aut attonitis cum stupore, vultu ad nullam modestiam composito, ad sanctissimum Dei nomen, duri stipitis instar caput non inclinantem, flaccidum, tædio tabescentem, irrecollectum animo. Quia caret devotione divini cultûs actum (sic dicam) impingvante: carere videtur & charitate, devotionis spiritum nutriente. Ex quo devotionis, & charitatis defectu sequitur, ut non solùm oratio, meditatio, aliaque spiritualia exercitia cum quadam violentia fiant, sed etiam reddantur aspera, dura, difficilia, non sine manifesta quadam animi nausea. Sic & ieiunia, sic & aliæ, si quæ fieri debeant, corporis afflictationes, in his, & similibus alijs exercitijs non tantùm nullum experiuntur gustum; sed etiam nullam ad ea sentiunt in se agilitatem, aut animum promptum; quin potiùs ingentem repugnantiam. Quare devotio cui deest, donum ad

alacriter Deo serviendum momenti maximi postulet à Deo, & ipse dabit spiritum bonum petenti se.

9. Ut autem Religiosus hanc erga Deum in se foveat devotionem; erit, præter strictim commemorata superiùs, adhuc alia praxis eam testificandi: videlicet, ut mysteria, Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Dominicæ, institutionis item Sanctissimi Sacramenti Corporis, & Sangvinis Domini, quantum est ex parte sua, peculiari prosequatur cultu: id est, in præcipuis quibusdam festivitatibus etiam à venialibus ut conscientiam expiet culpis, ipsumque Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum magna cum reverentia suscipiat; si nimirùm non sit Sacerdos. Quam in rem sanctè providit Venerabilis Patriarcha noster Ioseph à Matre Dei; quando non tantùm Sacerdotes quotidie Sacrificium Missæ celebrare constituit; sed etiam a *Cæteri tàm fratres operarij, quàm Clerici, aut in sacris constituti, singulis Dominicis, semelq; infra hebdomadam, ac diebus festis primæ, & secundæ classis ut Cœlesti cibo reficiantur.* Quæ divinissimi Sacramenti frequentatio si fiat cum ea, quâ par est, animi sensuumque collectione, devotionis spiritum inexplicabiliter nutrit, fovet, & auget. Huc etiam spectat illa quotidie facta coram eodem Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, votorum renovatio, & extra id tempus etiam aliàs saltem semel in die visitatio. in qua possunt elici (quod brevissimo tempore fiet) præter profundissimam adorationem, actus aliqui interni, humilitatis, contritionis, & peccatorum detestationis, gratiarum actionis, gaudij, & lætitiæ de bonis Dei, & amabilissimi IESU Christi; de tàm inæstimabili beneficio, quod nobis in Eucharistiæ Sacramento confertur. Elici quoque possunt actus fidei, spei, charitatis, & alij. Actuum autem singulorum praxes eiusmodi quia longum foret huc adnectere, relinqvuntur eliciẽdi uniuscuiusque devotioni, quæ in verè spiritualibus non solet esse ie-

a *Constit. P. 1. c. 7.*

iuna, quin potiùs omnem ſuggerendam ab alio praxim eſt aptiſſima prævenire.

10. Nec poſtremum quoque promptitudinis ad divinum cultum teſtimonium eſt in illis; qui, ſicut paſſim in religioſis ordinibus obſervari videmus, fratres Operarij, vel etiam Clerici, ſivè feſtum ſit aliquod celebre, ſivè non, modò tempus die feriali ſuppetat, vocati, vel non vocati, libenter, & alacriter ad miniſtrandum ſacerdoti divinis operanti, conferunt ſe. Et quidem in illis hic devotionis ardere magis deprehenditur ignis, qui vocati quamdam animi præſe ferunt hilaritatem; aut etiam qui non vocati ſponte captant, imò ſuffurantur, & præripiunt alijs occaſionem ſerviendi. Contra; quos etiam vocatos piget, quin etiam ob certum reſpectum pudet, miniſtrare, & neceſſe eſt, ditutiùs eos adurgere; vel qui modis omnibus Angelicum hoc ſubterfugiunt miniſterium, ſeque ſubducunt, &, quantum poſſunt, occultant, ne ad eiuſmodi vocentur ſervitium; ſignum eſt manifeſtum, ipſos carere devotione, conſequenter & charitate. Siquidem hæc duo (ſicut dictum eſt) charitas & devotio, ſe mutuò complectuntur, excitant, fovent, nutriunt, & conſervant.

11. Quod attinet aliorum myſteriorum Dei frequentationem, puta Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti Domini, Spiritûs Sancti in diſcipulos illapsûs, & aliorum; devotionem ſuggerit ipſa myſteriorum eorumdem conſideratio. Ad quæ ſemper neceſſe eſt peculiari animi reflexione ſe expedire: ut non ex conſvetudine quadam, ac modo perfunctorio; ſed cum notabili charitatis, & gratitudinis erga Deum Creatorem, Dominum, ac Patrem optimum, teſtificatione celebrentur. Iam verò extra, vel etiam intra myſteriorum eiuſmodi celebrationem quoties contingit alicubi videre, vel pertranſire Chriſti Domini paſſi pro nobis, & mortui, quampiam imaginem; toties devoto mentis, & oculorum intuitu in eam defixo,

memoriam acerbissimæ passionis illius ardentiore in animum sibi imprimat affectu; & factâ humili capitis inclinatione, spiritum suum commendet illi, qui in Cruce extremos inter cruciatus iam iam exspiraturus [a] *Inclinato capite tradidit Spiritum.* Idem fieri potest, & quidem frequentiùs, in cella, sivè dũ aspicit ipsam Christi Domini sacram iconem, refricando sibi memoriam passionis, & mortis eiusdem; sivè inter legendum, scribendum, aut aliquid aliud agendum, mentem ad Optimi Dei bonitatem, & beneficia sublevando, eaque gratâ recordatione recolendo. Secùs habere sacras imagines in cella parieti affixas ideò tantùm, ut ornent, & videantur, vel etiam in religiosæ domûs ambulacris, nec ullam ad earum aspectum excitare in se memoriam illiùs, quod præsentat, mysterij; esset idem, quod summâ hieme sericam, sed tenuem, etsi pulcherrimis arte plumariâ pictam induere vestem, non pellibus, non aliâ re subductam, non ad arcendam frigoris asperitatem, sed tantùm ad ostentationem, & ornamentum, intereà benè frigere, nec ullum caloris experiri fomentum. Sic Religiosus, habeat quidem in pariete Christi Domini in Crucem acti pendentem imaginem; habeat aliûs mysterij Dominici raro labore efformatam: sed si tantùm ut locum occupet; parietem ornet; raritatem artis ostentet, ac operis; non autem ut devotam mysteriorum memoriam refricet; cor, & animum ad devotionem excitet; mentem ad recolenda Dei beneficia accendat; hic tantùm iconibus exornat cellam, sed non animum devotione.

12. Ad eamdem praxim devotionis attinet, etiam noctu vel ex lecto surgere, & ingeniculatum brevem aliquam ad Deum orationem fundere, vel in eodem lecto sivè sedendo, sivè etiam modestè iacendo tunc, dum è somno corpus evigilat, ad Deum mente suspirare, brevissimum ex aliquo Psalmo promere versiculum, quo Deus aut oretur, aut laudetur, aut ei gratiæ a-

[a] *Io.* 19. 10.

gantur, præcipuè dum sonare audit horologium. Quo tempore brevis aliqua fieri poterit pro fidelium defunctorum animabus, vel pro unius alicuius anima non pridem defuncti, precatio. Quod idem studium devotionis etiam interdiù, dum in cella moratur solus, vel in angulo quopiam si contingat imaginem alicuius mysterij Dominici haberi ibidem, potest exhiberi. His, & alijs similibus actibus frequentatis mirum quantum anima religiosa charitatem, & gratiam Dei sentit in se excitari, nutriri, & augeri; sed & devotionem novis incitamentis, & incrementis invalescere quibusdam sic, ut vocatio semel suscepta quasi perpetuo custodita præsidio nec vacillare, nec deficere, nec in periculum aliquod facilè vocari possit.

13. Deus enim religiosam animam sic affectam, sibique per charitatem, & devotionem ita coniunctam non deserit; & impletur in illa per regium Psaltem fidelis promissio: [a] *Qui habitat in adiutorio Altissimi in protectione Dei cœli commorabitur.* Et cum omni fiducia [b] *Dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.* In quos duos Psalmi versus scribens Cardinalis Hugo de S. Charo quatuor observat verba; in quibus præcipua quatuor enumerantur erga fidelem animam, qualis est uniuscuiusque devoti Religiosi, Dei beneficia; quibus obvallata, manere possit in vocatione sua inconcussa. [c] *Primum*, inquit, *est adiutorium; ut inimicos nostros impugnare, & expugnare possimus, cùm dicit: Qui habitat in adiutorio. Secundum, est protectio ab hostibus, si impugnati repugnare voluerint, cùm dicit: In protectione Dei Cœli commorabitur. Tertium, est cura, & recreatio; si hostes repugnantes nos vulneraverint, vel vexaverint, cùm dicit: susceptor meus es tu, ut medicus. Quartum, est receptatio; si conflictum ferre non valentes, fugerimus, ibi: Et refugium meum.* Et tantò securior in sua vocatione perseverat Religiosus sub hac Dei tutela; quantò magis, ac fideliùs ipsum Deus in ea spirituali

a Psal. 90. 1.

b v. 2. c Hugo hic.

rituali pugna tuetur, & adiuvat, virtutem hoſtium minuendo (ſicut commentator idem accuratiſſimè ſingula notat) impetum eorum flagellis impediendo, fortitudinem ad pugnandum dando, audaciam impetendi tribuendo, longanimitatem in pugna, arma, ſubſidia, præbendo, & agilitatem: ipſam exaltando, ſeu in altum ponendo, faciendo deſpicere mundum, & ſemetipſam; in latitudinem, ſcilicet in charitatem, collocando: pro pugnante ipſa, & in pugnante pugnando; cadentem erigendo, ac denique deducendo in bello, & prælio. Quibus omnibus enumeratis auxilijs concludit tandem: *In hoc ergò adiutorio debemus habitare, ſicut in caſtro forti, & ſic in protectione Dei Cœli commorantes, erimus ſecuri.* Tot igitur, & tantis auxilij divini munitus præſidijs Religioſus, non eſt, quod timeat vocationi ſuæ periculum: modò erga Deum, & erga Dei myſteria peculiari ferveat, nec unquam deficiat, devotione.

§. II.

Erga B. V. Mariam devotio iuvat, promovet, & conſervat Vocationem.

1. EQuidem Domino Deo totum ſe debet homo tamquam Creatori, Patri, ac per omnia Summo bono, & ultimo fini ſuo; & propterea quidquid eſt in homine virium, potentiarum, & affectuum, id totum in Creatoris ſui impendere debet obſequium, cultum, & (quantum vires humanæ patiuntur) in eiuſdem obſequij miniſterium: ſiquidem mandatum Dei maximum, & primum eſt: [a] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ubi quod dicitur de dilectione idem intelligendum & de cultu, quem uni Deo debemus; eò quòd cultus, & obſequium hoc, ex charitate devotionem excitante procedat. Sed tamen Sanctos Dei amicos honorare, in veneratione habere, & devotum erga eoſdem eſſe, divinæ Maieſtati non minùs eſt gratum, quàm ſi id omne, quod in Sanctorum cultum impenditur, ipſi Deo

[a] Lu. 10. 27.

exhiberetur. Et ità omninò est, quòd cultus eiusmodi redundet in ipsum Deum. Nam (ut docet Divus Thomas) a *Devotio, quæ habetur ad Sanctos Dei, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur.* Iam verò inter omnes Dei ministros, & amicos, qui sunt innumerabiles, excellit una Beatissima Virgo MARIA, Dei Mater pretiosissima; de qua Cœlestis Sponsus in Cantico: b *Vna est*, inquit, *Columba mea, una perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitricis suæ.* Quæ verba *Vnicè, & maximè propriè* Beatissimæ Virgini Mariæ convenire docet Cornelius à Lapide. c *Quia ipsa est*, ait ille, *una Columba, id est, una Sponsa S. Trinitatis, præ omnibus, hominibus, & Angelis electa, & dilecta.* Super quam Spiritus Sanctus ideò supervenisse dicitur, ut sola superaret omnes alios Sanctos charismatum donis, & gratiæ plenitudine. Quod de Beatissima Virgine sapienter notavit Amadæus, quando super illa verba Angeli, d *Spiritus Sanctus superveniet in te*, Sic ait: *In alios Sanctos venit Spiritus Sanctus; sed in te superveniet. Quia præ omnibus, & super omnibus elegit te; ut superes omnes, qui ante te fuerunt, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ.* Et propterà S. Ioannes Chrysostomus eamdem Sanctissimam Virginem appellavit magnum Orbis miraculum, idque propter eiusdem excellentiam super omnes Prophetas, Apostolos, Martyres, Patriarchas, & Angelos. Ait enim: e *Magnum re verà miraculum fuit semper Beata Virgo MARIA. Quid namque illà maius, aut illustrius, ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Hæc sola Cœlum, ac terram amplitudine superavit. Quidnam illà Sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli &c. non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, maius, aut excellentius, inveniri potest.*

2. Iam sicut dignitate, & excellentià supergreditur omnia creata; sic & apud Deum maior est omnibus amicitià. Quæ propter eximiam pu-

a *S. Tho.* 2.2.*q.* 82. *a.* 2, *ad* 3.
b *Can.* 6. 8.
c *Cornel. hic.*
d *Lu.* 1.*v.*35. *Amad.hom.*3.*de Incarn.*
e *S. Ioan: Chrys.*

ritatem suam, & humilitatem sola meruit, ut esset secundum carnem Mater Verbi æterni incarnati. Quam eâ causâ S. Bernardus appellat meritò Dei thesaurum, ac si disertè dicere vellet; eam esse quoddam arcanum Dei, omnem gratiæ plenitudinem in ea reponentis; sivè thesaurum, in quo Deus quodammodò cor suum reposuit. Do melliflui Doctoris verba: [a] *Miraris, ait, quòd Nazareth parva Civitas & tanti regis nuntio illustretur, & tanto? Sed latet in hac parva civitate thesaurus; latet, inquam, sed homines, non Deum. An non thesaurus Dei Maria? ubicunque illa est, & cor eius, & oculi eius, super eam. Vbique respicit humilitatem Ancillæ suæ.* Tenerrimæ devotionis verbis in huius Virginei thesauri ærario tàm Christum commorantem, quàm in omnes erga Beatissimam hancce Virginem devotos gratiæ, gloriæque reconditam affluētiam explicat Adam de Persevia; dum super illud Ecclesiastici, [b] *Quasi oliva speciosa in campis*, sic ait: [c] *Si Virginem nostram, olivam dixerimus, erit oleum partus eius. Virgo sanè nostra, est oliva speciosa in campis. Quia gratia eius, & misericordia omnibus est communis.* Et paucis interiectis: *De oliva*, inquit, *profluit pingvedo olei, fundit gratiæ plenitudinem, misericordiæ unctionē, profert Mater Christi. quam jucundū, Quàm svave est, illi cohærere! quàm salutiferū intra puerperæ diversorium remorari! si infirmus es; de diversorio illo abundāter profluit oleum infirmorum. Si sanus es, & de testimonio conscientiæ arridet tibi iustitiæ sanitas; oleum iustitiæ suscipis ex Maria. Species morum, operum decor, meritorum gloria, de gratia Mariæ suscipitur, cùm amatur.* Hucusque tenerrimus intemeratæ Virginis Encomiastes. Iam siquidem ipse Dei Filius ex Virginis huius purissimo sangvine in membra formatus humana iucundum, & svave in materno Virginis eiusdem utero diversorium habuit, & Deus illam super omnia creata solam in delicijs habuit; benè concluditur, quòd *species morum, operum decor, meritorum* gloria,

a *S. Bern. citat. in men. spirit. cib. verbo: Maria Virgo. nu. 42.*
b *Eccl. 24.*
c *Adam de Persev. citat, ubi sub. nu. 40.*

gloria, *de gratia Mariæ suscipitur, cum amatur*: id est; cùm ex charitate colitur; cùm in veneratione habetur, & tamquam vera Dei Mater, omnia per ipsam in homines gratiæ suæ dona conferentis, singulari devotionis obsequio honoratur. Id quod nihilominùs totum in auctorem Deum redundat. quando talis devotio non terminatur ad ipsam, sed transit in Deum.

3. Ex hoc deindè cultu, singulariq; devotione erga pretiosissimum hunc divinitatis thesaurum Beatissimam Virginem Mariam, sequitur; quòd Religiosus munitus eius patrocinio, certum suæ vocationis habeat præsidium, ità ut nec debeat, nec possit auxilium aliquod desperare. Non enim vult, nec potest deserere Deus illum, qui vicissim non deserit, imò tenerrimè diligit, colitq; Mariam. Quia (ut rectè S. Bernardus) a *Omnis ad Mariam conversus, & ab ea respectus, impossibile est, ut pereat.* Quem autem illa benignissimis oculis suis magis respicit, quàm devotum sibi clientem, & materna viscera singulari cultu devincientem? communis illa quidem Mater omnium est, & omnes in Ecclesia fideles suo protegit patrocinio: b *Maria Mater Christi* (Lyranus ait) *ex plenitudine suæ pietatis recipit omnes ad eam debitè recurrentes, in hospitium suæ misericordiæ.* Et S. Bernardus iterùm: *MARIA*, inquit, c *omnibus omnia facta est; sapientibus, & insipientibus debitricem se fecit; omnibus sinum suæ misericordiæ aperuit; ut de eius plenitudine acciperent universi.* Ità de Virginis intemeratæ, simul & Deiparæ Matris erga fideles omnes universali teneritudine, ac pietate cùm omnes Sancti Patres, & Doctores sentiunt; tùm universa fidelium sibi persvasum habet congregatio. Sed nihilominùs illos, qui peculiarem exhibent ipsi devotionem, ipsa pariter singulari prosequitur patrocinio. Quod enim legitur de divina sapientia: d *Ego diligentes me diligo; & qui manè vigilant ad me, invenient me*, hoc aptissimè pietatis Matri potest accommodari: quòd videlicet il-

a *S. Bernard.*

b *Lyran. super illud: Fuit Iephte vir, &c.*
c *S. Bern.* d *Prov. 8. 17.*

la diligentes eam diligat, idest: qui maiori devotionis affectu feruntur erga MARIAM, eam colunt, & venerantur; eos ipsa vicissim maiori dilectionis teneritudine protegit, & quodammodò gratam peculiaribus hisce clientibus suis reponit vicem; id quod adhuc sententiâ suâ Divus Bernardus confirmans ait: [a] *Convenienter Maria, Mater misericordiæ vocatur. Quia divinæ pietatis abyssum magis, orantibus,* colentibus, & diligentibus se *creditur aperire; & nunquam, illam deprecans peccator perit, quia ei Sancta sanctorum suffragia præstat.*

4. Ubi singulariter notanda veniunt hæc verba: *Pietatis abyssum magis, orantibus se, creditur aperire.* Sensus enim svavissimi Patris est prorsùs ad propositum nostrum; quasi diceret: Mariam Matrem misericordiæ, nemini fidelium non aperire *Divinæ pietatis abyssum*; sed magis illis, qui magis illam colunt, & crebriùs orant; qui magis erga illam devoti sunt, & obsequij sui studium erga benignissimam hanc profitentur, & contestantur matrem; quam Idiota vocat [b] *Thesaurariam gratiarum* aperientem, & dispensantem *Pietatis abyssum, cui vult, & quando vult.* Et quidem illis semper vult præcipuè, qui devotionis obsequio peculiari semper illi assistunt. Ut enim Princeps aliquis etsi multam subditorum sibi frequentiam numeret, & omnium universè prospectum esse velit, & prospicit paci, tranquillitati, securitati, & saluti: nihilominùs illis addictus est magis, & gratiâ prosequitur singulari; quos aut assiduos habet in palatio promptos, & alacres ad ministerium; aut à quibus solidiorem erga se fidem, virtutem, & studium experitur; aut quos honori, dignitati, commodis, & incolumitati suæ agnoscit addictiores. Uti contigit Mardochæo patruo Estheris. Qui quòd sincerior erga regem Assverum fuerit fidelitate, quàm alij; & duorum Eunuchorum in cædem principis conspirantium insidias ipse detexerit; ideò rex sciscitatus ex assistentibus sibi: [c] *Quid pro hac fide*

[a] S. Bern. serm. in cant.

[b] Idiota contemplat. de B.V. [c] Esth.6.3.

 honoris,

honoris, & præmij Mardochæus consecutus est? ubi audijt, ipsum *Nihil omninò mercedis accepisse,* statim præ omnibus alijs, quos habuit in palatio suo, etiam præ ipso Amane, cuius *a Solium rex posuerat super omnes principes, quos habebat; & cui cuncti servi regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant eum,* voluit honorari.

5. David quoque super universas tribus Isràél unctus rex nulli maiorem exhibuit gratiam, quàm Miphiboseth Ionathæ Filio sibi quondam amicissimi, & fidelissimi. Cui quidem Miphiboseth restituit agros omnes patris sui Saul, ipsumque regiæ suæ semper adhibuit mensæ propter Ionatham patrem illius, eò quòd olim in tota regia Saulis, nullius maiorem fuerit expertus sinceritatem, & dilectionem erga se, quàm *b* Ionathæ: à quo trium sagittarum indicio liberatus erat è manibus persequentis se Saulis. Sic & Beatissima Virgo Maria, maiore præ alijs gratiâ, & pietate dignatur illos, qui maiore prosequuntur ipsam devotione. Et cùm S. Germanus audeat ipsam ità compellare *c Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, ô Sanctissima! nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima! nullus est, cui donum cõcedatur, nisi per te, ô castissima! Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima!* profectò Religiosus huic Sãctissimæ Deiparæ Virgini devotus, ab huius intercessione donũ in sua vocatione perseverãdi tutò sibi promittat; modò patrona hãc, matremq; sibi delectam cultu, veneratione, & obsequio prosequatur peculiari

6. Quod ut Religiosis nobis in nostro instituto, tantò magis usitatum esset, non satis erat Venerabili Patriarchæ nostro Iosepho à Matre Dei sub nomine magnæ Matris Mariæ Congregationem instituere, dum titulum ipsi præfixit: *Congregatio Pauperum Matris Dei*, & usuale Congregationis eiusdem sigillum constituit sub eodem nomine Mariæ Matris Dei; nisi etiam, sicut ipse totus erga Deiparam ardebat devotione, frequenter in suis ad ipsam precibus illud usurpare solitus: *Eia Mater!* ità suis omnibus in

a c. 3. 1. & 2. *b* 1. Re. 20. 36.

c S. Ger. Archiep. Constant. orat. de zona.

in CHRISTO Filijs peculiarem erga Matrem pietatis eandem incularet devotionem, & commendaret. Atque idcircò statuit, ut in oratione vocali bis in die simul habenda, [a] *Post prandium, Litaniæ Beatæ VIRGINIS Lauretanæ, & quinque Psalmi in honorem Nominis eiusdem Virginis consveti recitenter.* Item non quidem reliquâ lege præscripsit, sed piâ consvetudine introduxit iam inviolabiliter servatum, & servandum, ut omnis oratio tàm mentalis, quàm vocalis, sicut & examinatio conscientiæ, terminetur duabus illis, erga Matrem Sanctissimam, filialem pietatis affectum testificantibus strophis ingeniculatim capite profundè inclinato: *Monstra te esse Matrem* &, *Virgo singularis* &c. cum oratione: *Defende, quæsumus Domine, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam &c.*

7. Cuius præcipuæ devotionis argumentum illi posteà Patres nostri (pauci quidem) qui tunc erant superstites, & à Venerabili Patriarcha cum religiosa disciplina pietatem pariter olim hauserant, ut exhiberent; ex decreto Capituli Generalis Anni 1659. libellum rituum, regularumq; communium veluti summarium quoddam constitutionum ex ipsis constitutionibus nostris componerent, inter alia præclarè constituerunt: [b] *Ad conservandam, & augendam pietatem erga Beatam Virginem Mariam, qui non sunt sacris Ordinibus insigniti, quotidie privatim eius officium recitabunt.* Idipsum devotionis argumentum paulò inferiùs imperatur etiam fratribus nostris operarijs, ubi sic habetur: [c] *Omnes fratres nostri Operarij ad conservandam, & augendam pietatem erga Beatam Virginem Mariam, quotidie privatim eius (ut aiunt) Rosarij tertiam partem recitabunt.* Ubi non abs re semper in his statutis adhibentur hæc verba: *Ad conservandam, & augendam pietatem erga Beatam Virginem. Ad conservandam* enim indicat; ipsam devotionem illis semper fuisse cordi, & usui; ne per Venerabilem Patriarcham invecta devotio in posteris unquam

a Const. p. 1. c. 5.

b lib. rit. tit. Regulæ Scholasticorum n. 6.

c Ibid. Tit. Officium quæstorum. n. 2.

obliteraretur. *Ad augendam* verò, significat Patrum illorum zelum, quo non tantùm conservari devotionem eiusmodi, sed etiam semper magis augeri desiderabant.

8. Sicut re verâ devotio hæc erga pretiossimam Dei parentem adeò divinâ miseratione viget inter nostros hucusque; ut præter illam Litaniarum, & quinque Psalmorum in honorem Nominis intemeratæ Virginis Mariæ recitationem (ab omnibus simul, ab absentibus autem privatim) fieri solitam, plerique Sacerdotes nostri, postquam Officij divini stâtus recitârunt horas, ipsum quoque parvum Officium B. V. Mariæ cum annexis horis, tamquam certum obsequij sui pensum Matri misericordiæ, quotidie persolvāt: Tertiam quoque partem Rosarij, etsi non ubique passim, eò quòd nulla super id exstet lex, tamen in provincijs quibusdam nostris, puta in provincia Liguriæ, Germaniæ, Sardiniæ, Poloniæ, & Hungariæ, quæ coloniam suam Poloniæ debet, ter in hebdomada simul omnes post vespertinam meditationem absolvant. Qua de re, peculiariq; devotione, erga Deiparam, iudicent qnidem, ut volunt alij: sed quod olim Romæ de hac eadem consvetudine recitandi Rosarium cum Patre Gabriele Liguriæ Provinciali dum in sermonem veni, ab eodem dicente; Ideò Deus provinciam vestram Polonam singulariter conservat; quia non intermittitis hanc devotionem Rosarij recitandi: quod, inquam Anno 1686. olim ab illo patre accepi, hoc ipsum ausim & ego affirmare: Ideò Institutum nostrum tot, & tantis persecutionibus sub tempus Innocentij Papæ X. gubernantis Ecclesiam, dum adhuc viveret Venerab. Patriarcha noster concussum, & iam iam (ad votum adversariorum) tantùm non extinctum, conservatum tamen est prodigiosè, cùm Romæ, tùm in commemoratis provincijs: quia devotionem hanc *Ad conservandam, & augendam pietatem erga B. V. MARIAM* non intermsêire illi, qui tempore persecutionis illius, &

extre-

extremæ confusionis, eidem Venerabili P. Iosepho à Matre Dei licèt iam per summi Pontificis decretum exauctorato, tamquam pastori suo, vel tamquam apes genuinæ Matri suæ constanter adhærebant, & instituti ministerium strenuè prosequebantur, adstipulantibus ubique principibus, ordinarijs locorum, & Magistratibus, non obstante tunc gubernatione P. Visitatoris Apostolici non ex nostris, sed ex alterius ordinis professione per sedem Apostolicam deputati, sed institutum nostrum ad interitum propellere adnitentis. Undè pronum est unicuique iudicare; an non prodigium fuerit, ordinem Scholarum Piarum conservari, sub adversantis instituto nostro gubernatione. Sed ad propositum magis ut redeam exempla quædam recenseo.

9. De P. Glycerio à Chrysto ex nostris, tyrocinij Magistrum nacto Venerab. P. Petrum à Nativitate B. V. Mariæ, Virum in ordine nostro non postremum, & tempore persecutionis Venerab. P. Nostro Generali præposito, cuius erat Assistens, fideliter, & constantissimè adhærentem, scribitur in eius vita; quòd [a] *Singulariter omninò devotus erat Deiparæ Virgini Dominæ nostræ. Eius officium præter statas, prolixasq́; sacerdotum preces, crebrò recitabat. Rosarij quoq́; quotidie recitandi consvetudinem habebat: quam toto vitæ tempore retinuit. Cùm Sacra IESV, & MARIÆ nomina vel audiret, vel ipsemet pronuntiaret, ilicò honoris, & reverentiæ causâ caput detegebat, & inclinabat; omnibus Divæ Virginis pervigilijs ieiunium religiosissimè servavit.* Et quidem hoc etiam strictissimè: quia tantùm unâ pulmenti, vel alterius esculenti refectione contentis nobis servari solitò per universum Ordinem nostrum præveniuntur septem festivitates B. V. Mariæ; ante cuius in Cælum Assumptæ festivitatem à festo S. Laurentij pariter ex constitutionis nostræ præscripto ieiunatur.

10. Iam quod in primordijs instituti nostri fecit commemoratus ille P. Glycerius à Christo, fecerunt, & hodieq;

[a] *P. Ioann. à S. Maria Magdal. in eius vita, cap. 5.*

 faciunt,

faciunt, alij Sacerdotes nostri; nisi fortassis hoc solùm inferiores illo agnoscant se; quòd parem illi devotionis affectum adferre, & Sanctissimæ Deiparæ Virgini gratificari non possint. Intereà tamen sicut obsequij sui pensum non prætermittunt, ita vicissim ab illa Matre misericordiæ nunquam, in ultimo præsertim cum morte conflictu, deserentur. Felices hi devoti clientes, si sub Deiparæ patrocinio, & tutela spiritum Creatori suo sint tradituri. Nam hac patronâ quantas experiuntur in morte gratias ij, qui constans illi exhibent obsequium, multa sunt, quæ fidem etiam excedunt hominum, exempla; & tamen vera. Quia fabulas S. Mater Ecclesia non permittit historijs inseri. Inter alia prorsùs admirandum est, & propè incredibile, sed tamen (ut dixi) verum, quod ex rerum Ungaricarum historia per Bonfinium conscripta de cruento bello, duos inter principes Dæan, & Merchen eodem genere natos de Valachiæ dominatu contendentes accuratè scribentem, narrat Antonius Dauroultzius Soc. IESU, ipsius Bonfinij verbis ità referendo.

10. [a] *Secundo, tertiovè anno, cùm plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem memorant, editissimumq; cadaverum acervum spectarent, emissam inter ossa vocem subindè exaudivêre tristissimam, IESV Christi Salvatoris, & Divæ Mariæ Virginis nomina resonantem. Admiratio, simul & pavor hos incessit. Cùm ad verba subticuissent, eadem Paulò post quasi difficulter expressa accepêre. Dum vocem inter ossa disquirerent, portenti desiderio succensi, loquax inter cadavera caput inveniunt. Quod ubi homines sibi adesse agnovit: Quid tàm, inquit, stupidi hìc statis viri? Christianus ego sum, & magnæ Dei Matri Mariæ semper addictus, inexpiatus, inconfessusq; in bello occubui. Magna ea, in cuius tutela vitam degi, me æterni supplicij reum esse non patitur. Hìc me adhuc linguæ compotem servavit; ut & delicta fateri, & animam sacris ritè Apostolicis lustrare queam. Proindè sacerdotem, qui confessionem exaudiat, & me expiatum reddat, accersi-*

a Bonifin. rerum Vng. decad. 3. Dauroult. Flor. exempl. cap. 2. Tit. 43. Exemp. 6.

te, quæso. Rogatus; quo tantum à dea beneficium promeruisset? respondit: peculiare sibi id in vita fuisse numen; se septena quotannis in vita sua festa reverentissimè celebrâsse, religiosissimisq; ieiunijs ea, pane duntaxat, & aquâ decorâsse; sacris fuisse quàm studiosissimè operatum; illi tantùm numini cunctas animi vires dedicâsse. Accersito, è pago proximo, sacerdote, confessionem ritè transegit, & impetratâ erratorum omnium remissione, acceptaq; novissimâ lustratione, id defuncti caput repentè conticuit, perpetuoq; quievit. Hucusque Dauroultzius ex rerum Ungaricarum scriptore.

11. Iam si post mortem duos, aut tres annos, occisi militis, erga Deiparam Virginem olim devoti resectum caput lingvâ privari non potuit, nec eius anima supplicij sempiterni rea fieri potuit patrocinante magnâ Matre; profectò multò facilius erit, & est, eidem Sanctissimæ Virgini in ipso mortis agone, dum integro corpori migratura superest anima, devotæ mancipationis gratam præstare vicem. Id quod inter innumera experti beneficij exempla unum illud testatur abundè; quod iam commemoratus Author scribit ex Hieronymo Plato de Adulpho quōdam Alsatiæ principe; posteà ob Dei amorem, humilem S. Francisci Ordinem amplexo. [a] Cui moribundo adstitit hæc divinissia Religiosorum omnium patrona & Mater, innumerabilium Angelorum stipata comitatu; eumque trepidantem ità confirmavit: *Quid times Fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ.* Taceo alia tàm in vita, quàm in morte, patrocinantis Sanctissimæ Deiparæ Virginis erga devotos sibi clientes exhibita beneficia, quibus enumerandis hìc neque tempus, neque locus est. Satis est; hucusque neminem fuisse B. Virgini Mariæ devotum, & perijsse. ideoq; vocatio quoque Religiosa quidni ab hac Matre pietatis patrocinante securitatem expectet?

12. Dat enim Deus grati-

a Idem ubi sup. exem. 3. ex Hieronymo Plato, l. 1. de bono. stat. Rel. c. 31.

am etiam perseverandi, sicut & alia confert innumera beneficia, gratiasque: sed omnia potissimùm clientibus suis impetrat Maria. Undè præclare S. Bernardus ad hoc propositum: [a] *Si quid in nobis* inquit, *est spei; si quid gratiæ, si quid salutis; ab ea noverimus redundare.* Idcircò devotionem erga Sanctissimam Virginem cõmendans Adam de Persevia: [b] *Nostra*, inquit, *est Virgo; nostra sunt Virginis viscera; noster Virginis partus: nostra sunt, quæ penes illam de cœlestibus acticantur.* Et mox subdit: *Periculosum est ad punctum ab illa discedere; apud quam nostræ suavitatis deliciæ reponuntur. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum venit in corde Patris Christus in cor Virginis, & in Virginis utero pauperum gazophilacium collocavit.* Hactenus Mariæ devotissimus Encomiastes. Iam qui sunt alij pauperes spiritu, nisi Religiosi? Qui propter Christum facti pauperes, & mortui mundo, non sectantur vanitatem, nec quærunt mendacium sæculi; sed Christo confixi Cruci, stantem iuxta Crucem semper venerantur Matrem, eiq; suam peculiari devotione commendant vocationem. In eius honorem alij statas Sanctissimæ Virginis horas, seu officium; alij Rosarium, alij alios in laudem eius hymnos aut preces, sivè diebus singulis, sivè etiam horis, sivè certis festivitatibus, ac memorijs illi dicatis, item ieiunia, vel aliam carnis afflictationem, aut virtutis alicuius exercitium Deo, in quem omnis illi Matri misericordiæ exhibitus honor, & devotio redundat, offerendo. Cæterùm ego de peculiari erga Beatissimam Virginem devotione paragraphum claudo S. Bernardi verbis: [c] *Advocatam præmisit peregrinatio nostra: quæ tamquam iudicis Mater, & mater misericordiæ, suppliciter, & efficaciter salutis* (certè & vocationis) *nostræ negotia pertractabit.* [d] *Quia Nihil nos Deus habere voluit, quod per MARIÆ manus non transiret.*

§. III.

Ad custodiam vocationis mul-

a *S. Bernard.* b *Adam de Persev. super illud. quasi Oliva speciosa.*

c *S. Bern. ser. 1. de Assumpt.*
d *Idem. serm. 3. in Vigil. Nativ. Domini.*

tum

tum confert; aliquem è Sanctis habere tutelarem, & illi peculiariter esse devotum.

1. SAnctorum in cœlo (qui divini conspectûs consortes sunt omnes) puta vel Angelorum, vel ex universa cœlesti hierarchia, quæ prorsus immensa est, quempiam eligere sibi patronum tutelarem, illum præsertim, cuius nomen vel ex sacri baptismatis, vel confirmationis Sacramento, vel ex instituti religiosi usu, sicut in Ordine nostro cum habitu nomen quoque mutare, sicut & cognominis loco, à Sancti, vel Sanctæ cuiuspiam nomine cognominari, consvetum est, multum facit ad religiosæ vocationis custodiam, & ad spiritum in suscepta semel electione statûs aliàs quidem ardui, sed Dei gratiâ tanti momenti negotium liberaliter pro movente, facilè tolerandi, conservandum. Certum enim est, & de fide divina; beatos illos cœlestis mansionis cives, sicut viva suntEcclesiæChristi membra, sed iam feliciora nobis in hac misera lacrymarum valle patriam nostram suspirantibus, ad ipsius capitis omnium fidelium præsentiam exultantia, sic etiam nobis adhuc in terra pro iustitiæ corona certantibus patrocinari. Quod disertè Divus Cyprianus attigit, ubi de contemnenda mortalitate multa sermone prosecutus, & ad immortalem vitam adamandam hortatus, inter alias sic ait: a *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita.* Nimirùm ea beatarum mentium in cœlum iam receptarum etsi summa sit felicitas, videre Christum in gloria sua, Deiq; beatâ visione frui; tamen etiam hoc in aliqua parte numerant felicitatis, quòd habeant, quos in illa beatitudine socios expectant, nos concives suos habituri. Ideoq; meritò sunt *Adhuc de nostra incolumitate soliciti*, nobisque precibus suis in Dei conspectu succurrere non intermittunt,

a *S. Cypr. serm. 4. de mortal. ante fin.*

mittunt, suffragantur impensis pro consectanda iustitiæ corona laboribus, & studijs nostris, & periclitantibus patrocinantur.

2. Sed huius argumenti testimonium certius sit ex sacra scriptura, quæ plurimis in locis innuit nobis Sanctorum patrocinia. Sic Deum pro populo cùm deprecaretur Moyses, ad Patriarcharum Abrahã, Isaac, & Iacob appellans merita: *a* *Recordare* (inquit ad Dominum) *Abraham, Isaac, & Israël, servorum tuorum; quibus iurâsti per temetipsum*, tamquam orationi suæ certum à patribus illis Sanctis iam vitâ functis, suffragium præstolatus. Sic Deus Salomoni de via Patris sui David plurimùm exorbitanti comminatus, in diebus eius non processurum se ad commeritam pœnam promittit; idq; propter David haud dubiè pro Filio suo deprecantem. Ait itaque: *b* *Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Verùmtamen in diebus tuis non faciam, propter David Patrem tuum.* Iam quid dicam de orationibus magni Patriarchæ Tobiæ? Etiam hic auricularium habuit Angelum Raphaëlem, qui preces, & opera illius ad Deum perferebat: *c* *Quando orabas*, inquit, *cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum; ego obtuli orationem tuam Domino.* Sic Iudas Machabæus in summo belli discrimine vidit per somnium duos viros, unum quidem Oniam olim summum Sacerdotem *Manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum*; alterum verò Ieremiam, de quo idem Onias ad Iudam: *d* *Hic est*, ait, *fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Ieremias Propheta Dei.* Est igitur extra dubium, tàm Sanctos Angelos, quàm sanctas hominum animas ex hac mortalitate iam in beatorum consortium translatas, orare pro nobis, & patrocinari causis nostris. Quorum etiam Deus, uti suorum amicorum, & domesticorum pro clientibus suis suffragia non repellit; nisi preces eorum ne Deus exaudiat, ex parte nostra impediantur: quod fi-

a Exo. 32. 13. *b* 3. Reg. 11. 12. *c* To. 12. 12. *d* 2. Mach. 15. 12.

eri solet, si cliens sit in statu peccati mortalis, & non contritus.

3. Ad ulteriorem huius argumenti comprobationẽ, quòd videlicet Sancti pro nobis orent in Cœlo, Interpretes Sacri Codicis illum quoque versum apud Iob: *a Voca ergò, si est, qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum convertere*; ad Angelorum, vel hominum iam sanctè defunctorum, & iam in patriam Cœlestem receptorum, preces, & suffragia non incongruè referunt; dum Eliphaz iubet Iobum consulere oraculum, & patrocinium sancti cuiuspiam implorare. Nam de sanctis Angelis orationes ad Deum perferentibus, sicut & aliorum preces Sanctorum pro viatoribus fusas offerentibus, ac patrocinantibus, tàm ex libro Tobiæ iam demonstratum est; quàm ex libro Apocalypseos est manifestum; ubi dicitur venisse Angelus, & stetisse iuxta Altare, *b Habens thuribulum aureum; & data sunt illi incensa multa c (quæ sunt orationes Sanctorum) ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum.* Hinc & S. Hilarius ait: *d Hominum desideria, ac postulationes ad æternum, & invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu, ac ministerio provehi.* Quod ipsum & S. Athanasius admiratur; videlicet cœlestes illos Spiritus adeò promptè nobis servire, *e Sursum, & deorsum commeantes*, eo planè modo, quo visi sunt olim à Patriarcha Iacob per scalam à terra tangentem cacumine cœlum ascendere, & descendere. Quam in rem etiam S. Augustinus in soliloquijs suis sic ad Deum: *f Magnâ* inquit, *curâ, & vigilanti studio adsunt nobis* (Angeli) *omnibus horis, & locis, succurrentes, & providentes necessitatibus nostris; & solicitè discurrentes inter nos, & Te Domine; gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ bendictionem.*

4. De alijs verò Sanctis, quorum animæ iam in Cœlo perfruuntur beato Dei conspectu ob eximiam vitæ innocen-

a Iob. 5. 1. b Apoc. 8. 3. c. c. 5. 8.

d S. Hilar. in Matt. c. 18. e S. Athan. orat. 2. contr. Arrian. f S. Aug. soliloquior c. 27. ante med.

tiam, animi puritatem, & corporis; & quos Deus pares Angelis fecit, æquè nihil ambigendum est, eos pro nobis esse solicitos, & tamquam membris Ecclesiæ semper addictos. Et hos post Deum colere, venerarique debemus ob duo præsertim peculiaria, quæ in nos ab ijsdem derivantur beneficia: nimirùm (uti S. Leo Oratione de S. Laurentio Martyre profitetur) ob præsidium, & ob exemplum. Dicit enim. [a] *Gaudeamus gaudio spiritali, & de felicissimo inclyti Viri fine gloriemur in Domino; qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis est & præsidium, & exemplum. Et quidem præsidium* quod attinet, luculēter etiam S. Ambrosius in Oratione quadam ait: [b] *Sancti semper nobiscum sunt; nobiscum morantur; hoc est: & in corpore nos viventes custodiunt; & de corpore recedentes excipiunt. Exemplum* autem idem Sanctus ità contestans ait: [c] *Martyr sibi patitur ad præmium, civibus ad exemplnm.* Quidquid enim Sancti vel passi sunt, vel heroicè fecerunt, id totum est exemplum, & doctrina quædam in bonum nostrum, & eruditionem: ut illorum fortitudo nos roboret in fide, passio doceat, quid credere, quid pro vita æterna consequenda pati, vel agere nos oporteat. Nam illorum actiones heroicæ, sicut & passiones invictæ, voces quædam sunt, quæ nos erudiunt ad credendum; ad patiendum animant; ad fortiter agendum excitant; sicut idem Mediolanense oraculum ait: [d] *Constat, Sanctos Martyres plus passione docere, quàm voce.*

5. Cùm igitur Sancti iam in Cœlum recepti tàm præsidio, quàm exemplo sint nobis, superest; ut Religiosus eosdem peculiari cultu, & devotione in suæ vocationis præsidium non solùm in genere veneretur omnes; sed etiam aliquem, vel aliquos ex illis eligat sibi singulari veneratione cultuque prosequendos; quin & ad exemplum imitandos, vitæ videlicet innocentiâ, profundâ humilitate, assiduitate silentij, adversâ perferendi constantiâ; summæ paupertatis, obedientiæ perfectæ, puritatis incorruptæ, vel aliûs virtutis, quâ

[a] S. Leo. in natali. S. Laurent. post. init.
[b] S. Ambr. ser. 77. [c] Ser. 76. post init.
[d] Idem ubi sup.

quâ Sanctus vel Sancti Patroni sui excellebant, heroico exercitio. Qui demùm Sanctorum Patronorum cultus eorum honori singulariter impensus hoc consequitur à tutelari suo, vel tutelaribus, ut clienti, Vocationis impetrent stabilitatem, & ad finem usq; perseverantiam; sine qua salus æterna periclitatur.

6. Iam verò duplici modo Sanctorum Patronorum nobis suffragantur patrocinia. Uno quidem (ut docet Theologorum Angelus) [a] *Oratione expressâ; dum votis suis aures divinæ clementiæ pulsant.* Alio, *Quasi oratione interpretativâ, scilicet per eorum merita; quæ in conspectu Dei existentia* non solùm cedunt illis in gloriam, sed etiam nobis in suffragium. Undè S. Mater Ecclesia in orationibus pro sancti, vel sanctæ cuiuspiam memoria fundi solitis ad eiusdem sancti, vel sanctæ, plerumque provocat merita. Ut in oratione de S. Saturnino Martyre, dum orat: *Eius nos tribue meritis adiuvari.* Et in festo S. Nicolai Episcopi. *Tribue, quæsumus, ut eius meritis, & intercessione à gehennæ incendijs liberemur.* Sic & de S. Francisco Salesio: *Eius*, inquit, *dirigentibus monitis, & suffragantibus meritis æterna gaudia consequamur.* De Sancto quoque Ioseph Sponso Beatissimæ Virginis Mariæ sic orat: *Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi meritis adiuvemur.* Et sic in orationibus alijs plerisque, quas hîc enumerare prolixum foret. Satis est; Sanctorum preces, & patrocinia plurimùm apud Deum viatoribus nobis suffragari: sed eorum præcipuè, quos peculiari prosequimur cultu, & devotione.

7. Assertionem hanc innumera quidem comprobant exempla; sed horum unum, alterumvè recensuisse sufficiat. Sancta Catharina Virgo Sveca Filia S. Birgittæ, nobilissimo viro cuidam in matrimonium data, consentiente verò eodem, imò Sanctæ coniugis exemplo perpetuam quoque castitatem vovẽte, Virginitatem, quam Deo voverat, servavit; puritatisque tutorem ac defensorem, [b] *S. Sebastianum Martyrem à Deo poposcit; cuius patro-*

a S. Tho. p. 3, q. 72, a. 3. in c.

b Brev. Patron. Regni Svec. die 22. Martij.


cinio deinceps à multis periculis liberata est. S. Edvardus Rex Britanniæ. a *Sanctum Ioannem Evangelistam mirificè coluit, nihil cuiquam* (de illo testatur historia) *quod eius nomine peteretur, negare solitus.* Qui aliquando conventus à paupere, sub cuius lacera veste fuit ipse S. Ioannes, dum nihil haberet in promptu, quod nomine tutelaris sui rogatus impertiret, eidem ex digito detractum dedit annulum; quem *Divus non ità pòst multo, Edvardo remisit unà cum nuntio securæ mortis*, aliàs à magnis, quæ ipsi machinabantur inimici, periculis hoc eodem sancto patrocinante semper liberatus.

a *Brev. Rom. die 13. Octob.*

Cæterùm Sancti Reges, aliįq; principes, ac Dynastæ cùm semper aliquem è Sanctis habuerint, quem præcipuo prosequerentur cultu; Religioso pauperi tantò magis usitatum sit, oportet, tamquam pretiosissimo thesauro, qui est religiosa vocatio, onustum incedenti: ne facilè insidiatoris diaboli circumeuntis, & quærentis, quem devoret, rapinæ fiat obnoxius. Siquidem non satis esse debet Religioso, benè cœpisse; verùm ad finem in benè cœpto perseverâsse, quod Deus per Sanctorum tutelarium preces elargiri solet, est laudabile, & salutare



PARS II.



PARS II.

De

Religiosæ vocationis ruina.

EGimus hucusque de ijs, quæ pertinent ad sedulam religiosæ vocationis custodiam; &, quantum fieri potuit, ad hujus pretiosi thesauri conservationem, spectantem materiam collegimus. In quibus, etsi nonnulla jam sparsim inveniantur, quæ plerumque sanctam vocationem, & spiritum religiosum labefactant, hîc tamen peculiariter aliqva de ruina religiosæ vocationis adferentur theoremata; liquidiùs ut unicuique Religioso pateat, qvænam præcipua sint, & esse possint, per quæ gravior in animæ salute subeatur jactura, ità ut, cùm qvis satis prosperè cœperit tamqvam in placido pelago navigare, portumque prospicere, mox infelix in scopulum allisus facillimè naufragetur.

Quod hìc, antequam calamum admoveam operi, moneam, est præcipuum. Quoniam scribenda venient nonnulla, quin & jam scripta sunt; quæ licèt magìs ex diuturna experientia, quàm ex nuda religiosi statûs contemplatione comperta sunt: nemo tamen existimet in ijs, quæ dicta, dicendaque sunt, vel mores suos, ac indolem, vel personam suam, alteriusvé cujuspiam in peculiari, & ex proposito tangi, perstringique. Nihil etenim adferam novi, quasi nunc primùm aliqua fiant, & ex felici religiosæ vocationis aut hunc, aut illum deturbent, deturbârintque statu. Nec ego Momum, nec Satyricum agam:

Sed

Sed adferam ea, quæ multis ante nos sæculis jam in alijs esse facta legimus, & quæ ex hominum imbecillitate communi futura sunt aliquando. Utinam autem nec facta fuerint, nec fiant, nec sint futura.

Et cùm nihil sub sole sit novum etiam in gravissimis religiosarum personarum lapsibus, ac ruinis; ideò nec ea, quæ vel ruinæ causa fuerunt, & sunt subindè; vel in quæ contigit, & contingit, aliquos fuisse prolapsos, prolabique, nova quis arbitretur. Sapientissimè proindè magnus ille, & rerum humanarum peritissimus, dixit Ecclesiastes: [a] *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod futurum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole novum: nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Itaque communis imbecillitatis humanæ semper ad malum ab adolescentia sua pronæ ratio, omnem cavillationis, quâ se perstringi quispiam, ac notari putet, amoveat à me suspicionem. Sit verò jam.

a. Eccle. 1. 9.

CAPUT I.

§. I.

Qui incipit màlè; rarissimè finit benè.

1. Multæ profectò sunt causæ, ex quibus à religiosa vocatione facilè contingat desciscere. Nam si ulli alij, certè Religioso præcipuè congruit, quod venerabilis ille religiosi spiritûs Magister Thomas à Kempis dixit: [b] *Inter hostes versaris; & à dextris, & à sinistris impugnaris.* Cùm enim Vocatio, seu professio religiosi statûs, sit pretiosus ille thesaurus, quem portamus, & possidemus *In vasis fictilibus*, inimico generis humani semper invidiosissimum, tantò majoribus insidijs ab omni parte obnoxium, quantò cæteris donis, quæ Dei nobis inexhausta confert liberalitas, præstat excellentiâ. Quòd cum non ignoret Stygius veterator, videatque jam in eo constitutam animam statu, ex quo non facilè deturbari possit, facit, quod plerumque strenuorum in bello strategorum est. Qui dum animadvertunt, à quanam

b. Tho. à Kemp. de imit. Christi l. 3. c. 35.

quanam parte validior ſit hoſtis, & ad inferendam cladem premat acriùs, eò pariter militarem artem, vires, & ſtudia convertunt omnia, ut & reſiſtendo fortiter, & arte pugnandi callidè impreſſionem eludant; infringant robur, campum obtineant, & victoriam reportent glorioſam. Sic Judas Machabæus cum Bacchide exercitûs Demetriani duce confligens ut advertit: [a] *Quòd firmior eſſet pars exercitûs in dextris, convenerunt cum ipſo omnes conſtantes corde, & contrita eſt dextera pars, ab eis.* Eodem planè modo diabolus, quia videt robuſtiſſimam eſſe partem dexteram ſervorum Dei, videlicet Religioſorum profeſſionem, & vitam, ad hanc unam in oppugnando, robur omne, quod habere poteſt, ſubſidiarium à mundo, carne, & à ſenſibus, affectibuſque homini inſitis, & quaſi domeſticis quibuſdam latrunculis in dæmonis fœdera juratis, omnes etiam artes, fraudes, ac dolos ad perſequendam, & conterendam hanc militantis Eccleſiæ dexteram partem, convertit. Et ideò non eſt mirum; Religioſum patere tantis inſidijs, & vocationem ejus *à dextris, & à ſiniſtris*, ac demùm undique *impugnari*. Non enim unum, ſed plurimos hoc ipſo, quia Chriſto vexillo adſcriptus eſt, irritavit, & in certamen provocavit hoſtes, non tàm à virium magnitudine, quàm ab aſtutia, fraudibus, & mira calliditate metuendos.

2. Hinc præclarè S. Bernardus: [a] *Non eſt*, (ait) *quod vobis metuam à viribus ſatanæ, fratres mei, & ſatellitũ ejus; cùm noverim illius fortitudinem traductam per vulnera Redemptoris, & deductam ad nihilum. A verſutijs & aſtutijs ejus timeo vobis, in quibus partim ſubtilitate naturæ, partim experientiâ temporum, ſub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ, quaquaverſum ſe vertit, non ignorat. Sic enim ille inſatiabilis homicida, non urſos, non leones, non fortia terræ animalia; ſed tortuoſum, & callidum ſerpentem, qui per ſinuoſa volumina nunc caput caudâ, nunc caudam capite, tegere conſuevit. Deniq; & ſerpens erat, non fortior, ſed callidior cunctis animantibus ter-*

[a] 2. Macb. 9. 14.

[a] S. Bernard.

ræ. Hucuſque Claravallenſis Pater, non vires, ſed calliditatem diaboli pertimeſcens. Quare Corderius in ſuo Job elucidato ſcribens in illa verba; [a] *Oſſa ejus*, id eſt, Behemoth, *fiſtulæ æris*, ex Pineda ſapienter ſic ait: [b] *Non eſt dubium, quin ex utroq; nomine tum æris, tùm oſſium, ingens diaboli*, per Behemoth ſignificati, *fortitudo, & vires ſignificentur, non eæ ſcilicet, quibus alienos*, aheneoſque *muros valeat confringere: ſed callidæ artes, & ſubdolæ machinationes; quibus animum blandè pelliciat, atq; ſeducat.* Nec ſine cauſa vaferrimi inimici oſſa comparantur æri. Sicut enim (ut rectè S. Hieronymus obſervat) per ventrem æneum ſtatuæ, quam in ſomnis vidit Nabuchodonoſor, ſignificabantur Græci, quòd eloquentiâ vigerent, & ſapientiâ: [c] *Aes enim* (ait maximus Eccleſiæ Doctor) *eſt vocaliſſimum*; ità diabolus eloquenter, & & ſuaviter ad modum fiſtularum ænearum ſonare videtur, & varijs tentationibus agens, varijs quaſi fiſtulis dulce canit, ac perſonat. Qui, teſte S. Gregorio Nazianzeno, [a] *Initio blanditur, & lenocinatur; verùm in malum deſinit.* Ejus autem fraus in eo præcipua eſt; quòd ſæpè victum ſe, fugientemque fingat: intereà tamen à tergo magis ut feriat, perimatque. Verſipellis hic hoſtis [b] *Tanquam diverſis machinis, ſic innumeris utitur argumentis* (ait S. Fulgentius) *&, cùm certamine manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat, ut vincat; ad hoc fugam ſimulat, ut perſequentem, miſſis poſt tergum ſagittis, occidat.* Et paulò poſt: *Armis*, inquit, *quibus eliditur, ſurgit; & virtute, quâ deijcitur, deijcit*, ac proſternit; ut jam meritò non tàm fortitudo diaboli formidari debeat, quam ejus fallacia, calliditas, & in perſuadendo ſuaviloquentia, in argumentando lenocinium, argutiolæ; ac mille, niſi cautiſſimus ſit athleta Chriſti, vincendi artes, ac proſternendi.

3. Et hæc quidem eò ſint dicta, ut intelligamus & hoſtium multitudine, & inſidiantium innumerâ machinatione

a *Job.* 40. 13. b *Corder. hic.*
c *S. Hieron. Comm. in Dan. c.* 2.

a *S. Greg. Naz. orat.* 40.
b. *S. Fulgent. Ep.* 3. *ad Probam.*

Reli-

Religiosum impugnari; constetque multas, ob quas à statu vocationis facilè possit excidere, causas inveniri. Sed inter omnes principalis est; quempiam incipere malè, nec ea spiritualis hujus ædificij ponere fundamenta, quæ tàm nobili fabricæ, qualis est Religiosa professio, construendæ, stabiliendæq; competunt; sed prorsùs ità se huic accingere operi, sicut qui domum ædificaturus, non tàm de bono, firmoque cogitat fundamento, quàm solùm domûs ideam, quantum ad formam, & pulchritudinem aspectui videntium gratam, jucundam, & laudabilem attinet, mente versat; nec intereà pervidet; locus, in quo constituendum est ædificium, arenosusné sit, an palustris; argillaceus, an petrosus? Ad quorum locorum indolem, & qualitatem accommodandum est fundamentum, & in hoc principaliter laborandum. Quia formam ministrabit, & suggeret ars ipsa: robur autem, & firmitatem ad terræ situm, & naturam, positum prudenter fundamentum. Et propterea Christus Dominus apud S. Matthæum, virum illum appellavit stultum, qui nullo penitùs habito delectu temerè. [a] *Ædificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Sic, qui religiosum statum eligit sibi quidem, sed ejus mala ponit principia; nec magis in electionis susceptæ stabilitatem benè firmandam mentis oculos convertit, quàm in spiritualis vitæ speciosum nomen; quod plerisque plausibile tantùm est; at minimè pro decore, decentia, & dignitate consideratum.

4. Indè fit, ut ex perfunctoria quadam religiosi statûs inspectione, parumque circumspecta consideratione non pro eo, ac requirit ipsa professio, ponantur initia, succedaneo tempori fortasse, tanti negotij profectum permittendo, non autem ad serium, bonumque principium, animum, & studium adijciendo. Cùm tamen tota susceptæ vocationis ratio,

[a] *Matth. 7. 26.*

firmitasq; sita sit in eo, ut quis incipiat benè; tota quoq; ruituræ vocationis in eo constituatur debilitas, & infirmatio, malè incepisse. Ut enim densâ, prolixâq; silvâ perrecturus in urbem quampiam sibi propositam, si principio bivij non statim eam, quæ proprio, recto, tritoque ducit calle, sed aliam aliò tendentem arripit viam, vel tardè, vel difficilè, vel minimè, præstitutam continget metam per avia, deviaque salebrarum huc, & illuc errabundus; ità qui religiosæ vitæ, seu professionis suæ mala ponit initia, fieri quidem poterit, ut ad vitæ monasticæ perveniat in habitu religioso finem; sed quanta cum animi repugnantia, nauseaque; quàm difficilè, quanto salutis æternæ periculo, eò quòd statum suum certæ ruinæ, quantum ad religiosè vivendi rationem, objecerit, facilè est æstimare. Non enim respondet fini, propter quem Deus ipsum ad Religionem vocavit. Vel magis ad rem ut dicam: non sequitur, nec tenet ea media, quæ ad propositum religiosi statûs conducunt finem: sed vel judicij proprij pertinaciâ, vel propositi sui perperam concepti fallaciâ, vel diaboli ruinæ semper advigilantis astutiâ, vel affectuum ac passionum ad nimium radicatâ contumaciâ, vel denique alio per indolis inconstantiam seductus infortunio, â via veritatis turpiter aberrabit.

5. Sanè contingit ipsi, quod illis jam serò pœnitentiam agentibus, & lamentabili voce temeritatem, ac miseriam suam accusantibus, ut dicat, sed ah! quàm serò: *a Ergo erravi à via veritatis*. Ità est; errâsti miser; quia malè currere cœpisti. Viam, quæ ducit ad verum, & perfectum finem, deseruisti, malum principium vocationi tuæ posuisti. Certum est enim proverbium: *b Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Vitæ religiosæ tyrocinium, certa quædam est adolescentia, non generatione naturæ, sed professionis insuetæ novitate; non ætate annorum, sed sensuum renovatione. Quod enim est in Christo re-

a Sap. 5.6. *b. Prov. 22. 5.*

nasci

nasci per fontem baptismatis; hoc per habitûs, & vitæ religiosæ susceptionem est regenerari. Jam sicut fœtus in ipsa sui effussione si vel obstetricis incuriâ malè excipiatur, vel alio parùm felici effundatur eventu, matrem spe suâ fallit, & consolatione frustratur, semper, quamdiù vixerit, notabili vitio, quod mater plerumque probro sibi ducit, & est illi dolori, laboraturus; & sicut naturæ adolescentia in ipso ætatis principio, si probitatis, honestatisq; non ponat in educatione principia, sed permittatur in licentiam, & morum improbitatem effundi, ac instar surculi recens inserti sine cura quaquaversum luxuriare, vix aliquam in reliqua vita consolationem adferre solet: ità religiosus tyro, qui tamquam novus quidam fætus ex sæculi vanitate in Religionis sinum effusus, vel tamquam nova planta de silvestri sæcularium consuetudinum terreno, vel ex tenebricosa mundanorum desideriorum valle in amænum vitæ spiritualis viridarium, & (sicut S. Leo Pontifex ait) [a] *Translatus in Dei lumen, & regnum*, tyrocinij sui tempus si malè collocet, nec ponat ea, quæ toti vitæ post hac in Religione transigendæ conveniunt, & necessaria sunt, principia: sed æquè pravitati permittat frena, sicut dum vivebat in sæculo; neque malè succrescentes è nova plantatione, succidere studeat malorum habituum surculos, fiet, ut instar inutilis arboris, aut locum occupet sine fructu; aut demùm ut excidatur, & in ignem mittatur. Nec alia perditionis hujus futura sit causa, quàm quòd tyrocinium malè positum fuerit ad primam ætatem; & quòd, sicut mater Religio desiderabat, ad professionis pervenire non studuerit perfectionem.

6. Veritatis hujus argumentum, hominis in paradyso status adumbrat, vel potiùs illustrat luculentiùs. Primi parentes illi cur tàm deplorando nobilem illam conditionem suam exitu terminârunt? Quærant, investigent, ac definiant, ut volunt, alij; ego felicissimi statûs in perpetuam miseriam

[a] *S. Leo.*

 devo-

devoluti causam deprehendo, malum principium, quod protoparens noster in voluptatis horto posuit. Nam ad vitæ prosperitatem, ad posteritatis propagationem, ad dominatûs, & imperij super omnia creata authoritatem; &, quod maximum erat, ad Dei domesticam quamdam familiaritatem admissus, ubi præcipuum adhibere debuerat studium, ut in Dei laudes, & gratiarum actionem verba formaret, ut Creatori suo gratum rependeret animum; nec respiceret aliud, quàm Deum, ad cujus imaginem, & similitudinem fuerat creatus, ultimum finem suum; ipse nihil horum in illo tàm nobili creationis suæ tyrocinio legitur præstitisse. Ad tanta beneficiorum, quibus à Deo fuerat cumulatus, exordia mutus ubique fuit Adam. Scivit equidem os aperire, quando Deus adduxit mulierem ex ipsius ædificatam costa, & satis prolixâ phrasi donum hoc extulit, verùm non Deo magis opifici sapientissimo tàm admirandum illud mulieris in societatem additæ tribuit donum, quàm sibi potiùs arrogavit. Non enim dixit: Hanc vitæ sociam tu, Creator optime, admirabili sapientiâ tuâ formâsti, ex infinita bonitate tua, ne viverem solitarius, mihi providisti, ac dedisti. Tibi tantum acceptum refero beneficium. Sed quid? Audite hominis arrogantiam. a *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Quasi diceret: non de sapientiæ tuæ, Domine, thesauro mulier hæc ad similitudinem meam in vitæ sociam facta est, sed est *os ex ossibus meis*; non de inexhausta beneficentiæ tuæ abysso; sed *caro de carne mea.* Scivit benè ex sublimi ingenij sagacitate mulieri nomen imponere; legem societátis inter virum & mulierem præscribere, cùm dixit: *Hæc vocabitur virago: quia de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo Patrem suum, & matrem; & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Hæc illæ de osse ex osse suo, & de carne ex carne sua satis eloquenter. Sed de tot, tantisq; beneficijs alijs erga se, de sui ex nihilo creatione,

a *Gen.* 2. 23.

tione, de divini ſpiritûs in ſe participio, de paradiſi, in quem ex nativa terræ ſuæ regione tranſlatus eſt, tradita ſibi poſſeſſione; de magnifico ſuper omnia animalia, terram, mare, & àérem implentia principatu, de plurimis alijs naturæ, gratiæque donis, naturalibus, & ſupernaturalibus, an ſemel ſaltem, ut gratæ mentis aliquod tributum reponeret, os aperuit? Non equidem; ubique taciturnus Adam, ubique mutus. Omnia de carne; de ſpiritu nihil.

7. Obſervatio hæc eſt acutiſſimi Ruperti. qui expendens hæc ſingula: [a] *Hinc tandem*, inquit, *animadvertendum eſt, quàm pertinaciter homo primus à Creatoris laude mutus perſtitit; quàm obſtinatis labiis ab omni gratiarum actione abſtinuit! & ingratum Domino Deo ſilentium dedit. Formante Deo, & inſpirante ſpiraculum vitæ, factus in animam viventem, non ſuſpiravit eodem ſpiraculo vitæ acceptæ in plaſtæ ſui faciem, ut adoraret; ut eum glorificaret, ut ei gratias ageret. Item ab eodem Domino Deo poſitus in paradiſum voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturnâ ingratitudine tantum, tamq; felicem deliciarum Dei locum, quaſi rapinam arbitratus, occupavit. Ecce nunc tertio divinæ dignationis dono locupletatus eſt in eo, quòd fecit ei (Deus) adjutorium ſimile ſui; adjutorium, inquam, ad hoc, ut creſcere, & multiplicari poſſet, & de ſe uno propagatà felici progenie, terram viventium repleret. Sivè hoc tertium, ſivè ſecundum beneficium Dei fuerit; tribus planè divinæ beneficentiæ dilatatus muneribus tacet adhuc; & nihil, quod laudem Domini reſonet, eloquitur; nec ullum dilectionis, vel gratiæ, verbum in ore ejus fuiſſe ſcriptura teſtatur.* Hactenus graviſſimè Tuitienſis Pater. Quæ omnia ſatis arguunt, & exaggerant primi hominis in paradiſo mala principia. Qui dum initia ſua fundare debuerat in Creatore laudando, in multa, eaque efficaci pro tot, & tantis beneficijs gratiarum actione; in ſublimi Dei, ac beneficiorum ejus cognitione; ingratus ille totus obmutuit; ultra os, carnemque non ſuſtulit mentem. Quid igitur? tàm malum habitationis in pa-

[a] *Rupert. comm. in Ge. l. 2. c. 39.*

radiſo

radiso felicissimæ, imò vitæ totius principium quem finem habuit? Trangressor factus, & Creatori suo rebellis in eam est miseriam prolapsus, ut originalis justitiæ exutus omni ornamento, perpetuæ morti obnoxius, ad laboriosam, ærumnosamque damnatus vitam, è voluptatis horto suam in terram, de qua, & ubi, formatus erat, tamquam in ærumnosissimum exilium eijceretur.

8. O deplorandam ruinam! ô exitium non uni prævaricatori felicem statum suum malè ordienti, sed toti denique luendum posteritati! nisi Dei Filius ipse adfuerat instaurator. Concludit igitur sapientem sententiam suam sapientissimè Rupertus, & ait: *Qui ergò gratiam Dei non agnovit, non mirum; quòd ad hoc, ut peccaret, pervenerit*: tamquam peccati lapsus, & conditionis humanæ perditio totam originem suam traxerit indè, quòd vitæ suæ, felicitatisque principium, ac innocenter in paradiso vivendi tyrocinium malè posuerit homo primus: ad Dei Creatoris sui laudem, & gratiarum actionem os non aperuerit, cum vivere cœpit: ad tanta Dei beneficia semper taciturnus fuerit, semper mutus. Ità Religiosus tyro, qui statûs sui, quem ad Deo serviendum suscepit, primordia malè collocat, finem vocationis suæ vel difficilem, vel nullum expectet bonum; sed ruinam.

§. II.

Mali principij quatuor causæ præcipuæ; mala intentio, supina vocationis incuria, exigua Superioris animadversio, & conscientiæ remorsus.

1. Cùm difficile sit (uti jam diximus) finire benè, qui malè cœperit; tum & ipsæ malè incipiendi causæ veniunt dispiciendæ. Quarum æquè plurimæ sunt. Sed quæcunque tandem reperiri possunt, eas in quatuor contrahimus capita: nimirùm ad malam intentionem; ad supinam susceptæ vocationis incuriam, ad exiguam Superioris aut Magi-

stri

ſtri Novitiorum animadverſionem, & ad remorſum conſcientiæ. Jam quod attinet primum mali principij caput, malam videlicet intentionem, ſubire poteſt aliquem admiratio: quomodò ad tanti, tamq; ſalutaris momenti negotium, qualis eſt vocatio religioſa, poſſit intervenire mala intentio? Nihilominùs hæc aſſertio tàm eſt certa, licèt non paſſim in multis, quàm verum eſt, meridie ſplendere ſolem. Quæ quidem intentio in adoleſcentibus eſſe poteſt non purè mala, ſed tantùm ex animi quodam impetu temeraria: In adultis, & juvenibus purè mala; in provectioribus, & maturis ætate, perverſa. Temerariam intentionem dicimus illam; quæ licèt fundatur in propoſito ad perſeverantiam pertinente; non tamen purè dirigitur ad Deum; ſed incedit media inter Deum, & humanum reſpectum. Solent enim adoleſcentes ſubindè metuere, ſi non etiam odiſſe, diſciplinam; quam vel à parentibus, vel à præceptoribus ad ſtudia literarum urgentibus experiuntur, ij præcipuè, qui nimis invitâ ſtudent Minervâ; vel quibus literæ non admodùm arrident, quamvis aliàs ingenio ſint præcellenti. Hi ſeveriorem ut effugiant caſtigationem, arbitrati in ſtatu religioſo non fore, ut ſedulò ſtudere debeant; ſed tantùm ut orent devotè, aliaque miniſteria faciant, quibus manus ſolùm exerceant, non ingenia, caputq; fatigent; ſed neq; rigidam aliquam in clauſtro diſciplinam ad literas adurgentem exiſtimant adhiberi, & ità ſpe ſubterfugiendæ ſeverioris educationis, aut etiam propoſito patri, matri, propinquis, aut tutoribus aliquem dolorem, & ſolicitudinem ad vexationis ſuæ vindictam adferendi, ſtatum eligunt ſibi religioſum.

2. Quæ tamen intentio licèt mala, & temeraria ſit; poteſt tamen, accedente lumine divinæ gratiæ, ſi ad boni ſui ſeriam cognitionem perveniant, & arreptæ vocationi reſpondeant, in regularum obſervantia, ſerioq; virtutum, & religioſæ diſciplinæ ſtudio a-

nimum applicent, mutato jam per religionis, ac pietatis frequentatos actus in melius, & probato proposito, sensim corrigi, & in bonam orbitam facilè induci, atque ita tyrocinij deinceps bona ponuntur principia. Sed qui de religiosæ vitæ fundamento parùm solicitus aliud in proposito non habet, quàm ut constanter effugiat disciplinam, nec animum ad ingenij, morumq; correctionem applicat; is ex temeraria intentione in mali principij prolabitur labyrinthum, ex quo ne ad unum quidem se se virtutis extricabit gradum. Præterquam enim quòd se suâ frustratum spe deprehendet, quando & id, quod fugiebat, tantò magis inveniet; siquidem in Religione nullatenùs disciplinæ parcitur, quæ, si in aliquod pertinacius incidat ingenium, eò magis exit in exercitium; & præter virtutem, literaturam quoque, & scientiam apprimè necessariam Religioso, æstimari quia videt, ac fortassè neutrum, id est, tàm virtus, quàm scientia locum in sua reperiunt indole: ideò præterquam, dico, quòd frustratum se spe suâ deprehendit, etiam ad bona religiosæ vitæ principia despondet animum. Quia non tàm re, quàm nomine tantùm Religiosum agere cogitavit; non sæculum, sed modicam in sæculo disciplinam effugiturus.

3. Mala deindè intentio, quam purè malam distinguimus à temeraria, reperiri potest in adultis illis, qui jam aliqua rerum imbuti cognitione, & experientiâ, facilè discernere possunt inter status, de quibus deliberant eligendis. Horum propositum æquè spectare potest ad perseverantiam, sed non æquè dirigit ad Deum: & ideò pariter ad ponendum bonum principium non perducit. Nam vivere quidem in Religione, quin & perseverare non dubitant; sed falluntur in intentione, tria sibi plerumq; capita proponente: videlicet meliorem conditionem, honoris alicujus, seu dignitatis consecutionem; & majoris libertatis usurpationem. Quæ singula in claustro succes-

ſum habere nequaquam poſſunt. Nam ad melioris conditionis ſpem quod attinet; hac illi tantùm prurire poſſunt; qui vel familiæ multitudinem, vel domûs anguſtias, ac tenuem fortunam, vel aliquam aliam calamitatem ſibi duram, tolerandoque difficilem connituntur effugere; fingunt autem intereà, ſibiq; imaginantur; ſe in Religione maiorem habituros commoditatem ſplendidè vivendi; miſerias omnes temporarias ridendi, & ſine ſolicitudine totam vitam in quadam optata tranquillitate tranſigendi. Intereà tamen falluntur egregiè. Quia nullus ordo religioſus adeò remiſſus eſt, ut permittat privata ſolùm ſectari commoda, vivendiq; lautitiam: & non potiùs ad communem moderatè vivendi adſtringat formam, & modum. Procul ab omni regulari profeſſione proprij commodi exulat indulgentia. quam in paterna domo qui habere non potuit, in Religione multò minùs inveniet. Honoris alicujus, aut honorifici miniſterij ſpes, & prurigo, etiam hæc ingenijs adultioribus, & ad magna aſpirantibus ineſſe quibuſdam ſolet. Sed prorsùs æquè fallax, & inanis; quæ fortaſſis in ſæculo magis eſſet ipſis propitia, quàm in Religione: in qua non faſtus, & ambitio; non honoris, & dignitatis venatio; ſed virtus, humilitas, modeſtia, divini obſequij frequentatio, coronantur. Libertatis etiam uſurpandæ ſpes, & ipſa fallit plurimùm. Nam etſi *ſervire Deo, regnare eſt*: regnum tamen hoc, non conſiſtit in licentia, ſed in diſciplina; ſed in affectibus, motibuſq; tàm corporis, quàm animi inordinatis ſedulò frenandis; uti rectè Venerabilis annotavit Beda: qui ſcribens in illa Chriſti Domini verba: [a] *Dico enim vobis, quòd multi prophetæ, & reges*, &c. ſic ait: *Quos Lucas multos prophetas, & reges dicit, Matthæus apertius prophetas, & juſtos appellat. Ipſi ſunt enim reges magni. Quia tentationum ſuarum motibus, non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe noverunt.*

4. Eſt ergò libertas in clauſtro, motus animi, tentatio-

[a] *Lu.* 10. 24. *Beda l.* 3. *c.* 43. *in Lu. c.* 10.

nesq; per disciplinam, & castigationem vincere, subjugare, illisque dominari; non autem licentiosè vivere; vel (quod insanius est) majorem sibi licentiam, quàm in sæculo, usurpare. In quo proposito Religionem ingressus, intentionem quidem habet perseverandi; sed eodem, imò licentiosiore, quàm vixit sæcularis, ingenio vitam agendi. Quæ intentio prorsùs est mala. & nisi magis iram divinam contra se provocet, gratiam profectò non conciliat. Horum ingenium graphicè tangit Hugo de Foileto, dum scribens super illud Geneseos, capite duodecimo; [a] *Ecce conjux tua, accipe eam, & vade*, sic ait: *Mulieri pulchræ potest assimilari Religio; quæ pulchra est in contemplatione, sapiens in sui circumspectione; nobilis, quia libera est à peccati servitute; dives in hæreditate. Cujus hæreditas est, regni cœlestis æternitas. Amat luxuriosus pulchram, sed non castam. Sic quandoq; carnalis animus tactus pulchritudine Religionis, induit habitum. cum autem castitatis munditiem reperit; displicet, quod placuerat. Quis hoc ignorat nostris temporibus Ecclesiis evenire? Sunt enim quidam; qui delicatam, ac voluptuosam fore credunt Religionem, expertem laboris, vacantem otio; ideò Religionis habitum indiscretè, intentione malâ, etiam perversa rapiunt; votum faciunt, professionis vinculo constringunt. Cùm autem Religionis ordinem, & consuetudines ejusdem, adversantes carni, noverint, in hæc verba prorumpunt: Putavimus pondus Religionis levius esse. Quis enim potest ferre claustri tædium? diuturnitatem silentij? pondus laboris, asperitatem vestis, parsimoniam cibi? Sic ergò uxorem suam reddunt Abrahæ, expellentes eam, ut liberi maneant in Ægypto.* Hactenus Hugo sapientissimè.

5. Intentio deniq; perversa, est eorum; qui depravati prorsùs ingenij, non aliud sibi proponunt; quàm Deo pariter & hominibus imponere propter aliquod ex indolis pravitate per dolum, assequendum bonum temporaneum, aut perficiendum malum, sub ratione boni conceptum. Et hi, sicut non aliud proponunt sibi,

[a] Ge. 12. 19. Hugo de Foilet. citat. men. spirit. cib. V. Relig. nu. 9.

bi, quàm ut per imposturam acquirant, quod in animo sibi constituunt; ità neq; propositum, aut voluntatem habent ullam perseverandi. Et tales plerumq; sunt non unius, sed plurium religiosorum ordinum desertores, & impostores tamdiù, donec deprehensi, justo Dei judicio, vel in rogo, vel in perpetuo carcere, vel in triremibus, alioque supplicio quopiam ignominiosissimo dent pœnas.

6. Jam triplex hoc intentionis malæ genus, hominum non potest bona tyrocinij principia ponere, solam si demas in adolescentibus, qui subindè propositum corrigunt, temeritatem. Quia non Deo, sed ventri, sed desiderijs inordinatis, sed inimico diabolo constituunt militare. Quam in rem præclarè S. Gregorius: a *Si semel*, inquit, *cor intentione corrumpitur*; *medietas*, & *terminus actionis ab hoste securè possidetur*. Ad perversam hanc intentionem illi quoque pertinent, qui suaptè naturâ fallacis, & in omnem partem versuti ingenij parentum voluntatem ut fallant, filio suo religionem optantium, eumque crebriùs ad ejusmodi professionem solicitantium blanditijs, minis, alijsq; modis, denique præbent assensum, tamquam parentibus ex ea statûs electione solatium aliquod allaturi: sed intereà pravam indolem secuti, fingunt omnia, proponuntque tamdiù in Religione perseverare, quamdiù parentes, ætate præsertim si jam processerint, sunt victuri: secutâ morte, quacunq; tandem arte, dolo, ac fraude, susceptæ professioni nuntium missuri. Isti non aliûs, quàm Judæ traditoris, ingenio imbuti, furtis, sacrilegijs, & mille imposturis, sub religionis pallio pleni, sicut omnia ad religionem spectantia fictè peragunt, simulantque; ità & principia sub probitatis larva ponunt ficta: nec cessant agere perversè, donec secutâ parentum, vel saltem alterutrius morte perficiant desiderium suum in interitum carnis; utinam non etiam animæ!

7. Sed jam ad secundam venio mali principij causam;

a *S. Greg. lib. 1. moral. c. 30.*

 quæ

quæ eſt ſupina vocationis incuria, ſeu negligentia. id eſt: Ingreditur aliquis Religionem, & habitum ſuſcipit propoſito bono; poſtquam cum Deo, cum patre ſpirituali, ſivè cum illo, quem à ſacris habuit confeſſionibus, rem maturè, ſanctèque deliberavit. Sed poſtea negligit ea, quæ ſpectant ad vocationis, & ſpiritûs religioſi conſervationem; animumq; non tàm reflectit ad id, ad quod venit; ſed tantùm quòd venerit ad Religionem, & quòd in ſtatu ſit religioſo: intereà verò non applicat animum ad ſinceram conſcientiæ culturam. Obſervatio regulæ de ſilentio, de modeſtia, de ſedulo rerum ſpiritualium exercitio; admonitio Superioris, aut Magiſtri Novitiorum in ijs, quæ pertinent ad combibendum religioſum ſpiritum, ad Dei amorem in ſe excitandum, ad virtutem, & laudabilium actionum exercitationem, alacritas in obediendo, profectus in ſpirituali vita, & in ſedula tyrocinij collocatione, res apud ipſum ſunt peregrinæ, nulliuſq; curæ; ex quadam ingenij ſtupiditate, vel ſupina ſocordia. circumfert cum alijs habitum religioſum, non animum. Non cogitat renuntiare ſe debuiſſe, & debere ſæculo, omnibuſq; mundi civem referentibus; incondito riſui, cachinnis, intemperato ciborum eſui, geſtibus à religioſa modeſtia alienis; moribus, & illecebris hujus ſæculi: paucis ut comprehendam cætera; de veteri converſatione quod tranſire debeat in novitatem vitæ. Cùm tamen S. Hieronymus ád Fabiolam id diſertè inculcet, dum ait: [a] *Phaſe, id eſt, tranſitus, id nobis indicat, quòd de pejoribus ad meliora pergentes, tenebroſam Ægyptum derelinquamus.* Et S. Iſidorus: *Hoc,* inquit, *à nobis modis omnibus elaborandum eſt, ut exeuntes à ſæculi hujus illecebris, in novi hominis converſatione vivamus, relicto priſtino homine cum actibus ſuis.*

8. Sed & S, Bernardus in ſermone quodam egregiè docet; qualiſnam ſit, in homine vetuſtas, & qualis fieri debeat in eo novitas. Ait enim: [b] *Eſt*

a S. Hieron. ad Fabiol.
b S. Bern. ſer. 30. in parvos.

triplex

triplex vetuſtas, & è contrario triplex novitas. Eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in corpore; in quibus, tribus modis peccamus; cogitatione, locutione, & opere. In corde ſunt carnalia deſideria, & ſæcularia; id eſt: amor carnis, & amor ſæculi. Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia, & derogatio. Item gemina in corpore flagitia, & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis, & hæc omnia renovanda ſunt in nobis. Renovetur cor à carnalibus deſideriis, & ſæcularibus; ut excluſis illis inducatur amor Dei, & amor patriæ cœleſtis. Recedant ab ore arrogantia, & derogatio, & ſuccedant pro ijs vera peccatorum confeſſio, & bona de proximis æſtimatio. pro flagitijs, & facinoribus, quæ vetuſtas eſt corporis, aſſumatur continentia. & innocentia; ut ſcilicet contrarijs virtutibus contraria vitia depellantur. Ità S. Bernardus. Ex quibus ejus verbis liquet, quàm neceſſaria ſit Religioſo tyroni, veterem hominem cum actibus ſuis in clauſtrum inferenti, mutatio, vitæq; renovatio. De qua ſi parùm, ſi etiam nihil curet Novitius, ſed eadem in corde carnalia, ſæculariaq; foveat deſideria; ſi carnis, & ſæculi ſecum adhuc circumferat amorem; ſi arrogantiam, & derogationem ore temerario depromere non deſiſtat; ſi pro flagitijs, & facinoribus continentiam, & innocentiam in corpus inducere non connitatur; ſignum eſt manifeſtum, vocationem ipſi ſuám cordi non eſſe, cauſamque mali principij notabilem ab ipſo præberi. Si tyro ſalutaria Superiorum negligit monita, ſi ſtudium non amat orationis, & in oratione, vel meditatione torpidus, oſcitabundus, & deſes eſt; ſi nullius ponderis apud ipſum eſt, ſilentium infringere; ſine facultate quieti, ſomno, otio, cibo, potui, oris, & oculorum licentiæ indulgere; per cellas ab uno ad alterum curiosè vagari; obvios quoſque libros nullo habito delectu, ſacer, an profanus ſit, lectione percurrere; cubicula, & angulos omnes explorare; exercitia ſpiritualia, certas etiam (ut vocamus) mortificationes aut ſubterfugere, aut perfunctorriè

riè peragere; conſcientiam ſuam, tentationes, inſpirationes, & inclinationes Magiſtro ſuo non aperire; nam iſte procul à bonis aberrat principijs, & religioſum ſtatum exorſus malè, non equidem finiet benè.

9. Jam ad ſupinam iſtam novitij negligentiam, & incuriam, ſi neglectus inſuper, & exigua quædam Superioris, aut Magiſtri Novitiorum accedat animadverſio, quæ tertia, mali principij cauſa eſt; quid aliud ex hac, quamvis fortaſſe non voluntaria, ſed vel ob modicam experientiam; vel ob nimiam eorum, quæ præſcribuntur, tamquam ea novitij lectione percurrendo facilè exequantur, confidentiam; vel ob indolis, quæ in tyrone videtur, bonæ fiduciam, præſumpta quadam incuriâ, expectandum erit, quàm æquè ſuſcepti tyrocinij malum principium? Rem aperio clariùs. Verbi gratia; Superior, aut Magiſter Novitiorum, ſcit eſſe certas pro tyronum inſtructione regulas, quæ doceant ipſos, quomodò tàm in publico, quàm in privato gerere ſe debeant; quomodò, & quo ſtudio, tàm mentali, quàm vocali orationi inſiſtere: quâ modeſtiâ tam ad communem cum alijs menſam, quàm in communi cum alijs conſeſſu, quem recreationem vocamus, poſt menſam verſari; quâ verborum, vociſque moderatione, quâ etiam actionum circumſpectione tunc, cùm diſpenſatur cum ipſis in ſilentio, dum animi recreandi causâ luſus aliquis honeſtus ipſis permittitur, utendum ſit. Scit ab unoquoque Novitio libellum unum alterumvè ſpiritualem haberi, quem quotidie præſtituto tempore legant, fructum aliquem ex ea lectione ſpiritualem hauriant, & alia deniq; plura, quæ tyronibus tàm ad religioſum ſpiritum, qàm ad mores à ſæculo diverſos condiſcendos pertinentia præſcribuntur. Advertit etiam fortaſſis, aliquos ſuapte naturâ ad bonum inclinatos, ideoq; monitore, ductoreque non multùm eos indigere, nec multùm eſſe debere ſolicitum, an præſcriptis faci-

ant

ant ſatis? indicium enim bonæ converſationis ipſa præfert indoles

10. His, & ſimilibus Superior, aut Magiſter Novitiorum ſi ſit contentus, & non etiam in omnem partem oculos, & attentionem, ac mentem ipſe convertat; angulos omnes, omnem locum, & tempus, in quo verſari Novitios contingit, ſi non inſpiciat, exploret, & quaſi manibus (ut ajunt) palpet ſingula; neque advertat, quâ modeſtiâ, quo vocis in loquendo moderamine, quâ pedum, manuum, oculorum, totiuſq; corporis habitudine, in inceſſu, in luſu, in communi cum alijs conſeſſu, in labore manuali, in oratione; ad menſam pariter dum accumbunt, quomodò ſe gerant; & ſi quampiam in rem licèt, ut videtur, exiguam impingunt, non ſtatim moneat, corrigat, inſtruat; nec ipſis aſſiduè (poſſit tamen interdum ad modicum non ex incuria, ſed ſuadente vel tempore, vel aliâ circumſtantiâ prudenter diſſimulare) converſationem religioſam inculcet; permittat autem omnia vel ſcriptæ regulæ à novitio legendæ; vel indolis inclinationi bonæ, vel aliorum exemplo; profectò Superior iſte egregiè hallucinatur. Quia malo principio ſpatioſum aperit campum, poſteà difficillimè, cùm mala conſuetudo radices egerit corrigendo. Ut enim illi, qui novalé quodpiam paſtinare volunt, & in agrum fructuoſum excolere, ſi ſtatim principio ſpinoſos non effodiant diligenter, & exurant frutices, ac prorſus exſtirpent à radice; neq; mox à reſiduo, ſi quis remanet, ſtipite pullulantes alios ſurculos præcidant, evellantq;, laborem ſuſcipiunt inanem, quantumcunque ſemen in terram projecerint bonum: quia ſpinarum, dumorumq; ſuccreſcentium denſitas, omnem ſuffocabit ſementem, & malis agri, ſeminumq; principijs erit occaſio: ità qui malos habitus, quos plerumq; tyrones ex ſæculo ſecum adferunt, permittit inſtar fruticum ex ſtipitibus pullulare, nec illos ſedulâ vigilantiâ ſuffocat, ac præcidit

quâ docendo, quâ monendo, qvâ singula, quæ religiosum minimè decent, corrigendo; facit idem, quod Novitio præbere causam malè incipiendi. Qui enim non advertit, aut tacet, aut semper dissimulat, quæcunque fiunt perperam, probare videtur eadem; & sic in mali causam principij totus influit.

11. Observatione digna res hìc occurrit, quam Deus exercuit in Moyse Israëlitici populi posteà duce. Ad grande munus ipsum destinaverat Dominus, ut videlicet populum Israël educeret ex Ægyptiaca servitute; postmodùm in deserto per annos admodùm quadraginta religionem, divinum cultum. amorem, timoremq; Dei doceret. Sed advertamus; quânam methodo cum Moyse procedat Deus. Viderat ardentem, nec tamen combustum in ignis medio rubum, pastor ovium Moyses, & jam pergebat curiosiùs ad videndum *Visionem hanc magnam*, cùm confestim Dominus inclamat: *Moyses, Moyses!* & respondente pastore: [a] *Adsum*; *Ne appropies hùc*, inquit Dominus. *Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra Sancta est.* Quæri potest hoc loco. Quid est? quòd vix incipientem ambulare, sanctamq; terram pedibus contingentem, non permittit Deus appropinquare pedibus calceatis; sed jubet omninò solvere calceamentum, & nudis pedibus consistentem audire divinæ voluntatis imperium? Res adeò modica, qualis erat, calceatum in terra sancta stare, cur ipsi prohibetur? Quid calceati pedes impediebant? Mysterium hìc advertunt sacri Interpretes, & dicunt: ideò id factum, quòd Moyses in magni populi magisterium eligendus, & mittendus, ipse priùs erudiri debuit, in quo præire cæteris oportebat doctrinâ. Non enim agebatur ibi de calceamento magis, quàm de reverentia, veneratione, ac religione; quâ tractanda sunt divina: ideoq; statim ad ipsa vocationis ad sublime ministerium primordia, noluit Deus accedere Moysen parùm reverenter;

[a] Exo. 3. 5.

rentem; ne principio religionis adeundæ malè assuetus etiam deinceps malè progrederetur.

12. Igitur ex Eusebio, Hugone Victorino, Ruperto, Cajetano, & alijs, ait Cornelius à Lapide: [a] *Moyses cùm per modum naturæ audacter, curiosè, ac parùm religiosè ad scrutandum hoc mysterium ignis in rubo vellet accedere, prohibitus est ab Angelo, jussusq; calceos exuere; ut reverentiam exhiberet divinæ Majestati, quæ in loco hoc præsentiam suam exhibebat; utq; magnâ animi submissione, ac veneratione, ad percipiendum idem Dei oraculum accederet.* Id est: quia Moyses non solùm nunc, sed etiam posteà in Ægypto, & in deserto sæpiùs erat oracula Dei percepturus, debuit cælestis doctrinæ principia, magna cum veneratione, ac summissione adire, & excipere, posthac semper eadem religione divinis intersuturus oraculis: & ideò talia Religionis oportebat ipsum in terra sancta ponere principia, qualem posthac vitam in omne tempus ad infiniti populi exemplum, & eruditionem erat religiosissimè prosecuturus, & in ea perseveraturus. Quam in rem S. Ambrosius hunc sacræ scripturæ locum planè ad propositum nostrum symbolicè exponens, refert ad desideria carnis per calceamentorum pelles significata, dicitque; eum, qui cupit cœlestia percipere, carnales affectus exuere debere. Verba Sancti Doctoris sic habent: [a] *Mortale, atque terrenum calceamentum jubetur solvere, cùm mitteretur ad populum liberandum: & ideò cùm Dominus affectum ejus probâsset, conditionem autem vidisset infirmam, animi ejus mentisq; vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum.* Eodem planè sensu, verbis etsi parùm diversis explicans Rupertus ait: [b] *Hoc interim appropinquantibus nobis* ad Deum *agendum est, ut calceamenta non habeamus in pedibus, quæ fiunt de mortuorum animalium pellibus; id est, ut mortuorum mortifera, & in peccatis suis,* sicut & in imperfectis, in affectibus inordinatis, & in moribus sæcularibus, *morientium exempla non imitemur. Nam ille*

a Cornel. hic.

a S. Ambr. l. 7. in Lu. c. 10. post medium.
b Rupert in Exo. l. 1. c. 12. in fine.

quidem corporaliter nudis pedibus accedere jussus est, quod est solenne humilitatis instrumentum : nobis autem hoc spiritualiter agendum est; scientes, quia Deus noster, ad quem accedimus, non est mortuorum, sed vivorum. Ità sapientissimè Rupertus.

13. Jam ad propositum nostrum ità mysterium hoc convertamus. Parvam irreverentiam in calceamenti rustica gestatione non est permissus admittere Moyses ad ipsa religionis in populo per ipsum instituendæ principia; cumq; parùm religiosè, & audaciùs terram sanctam calcaret ; statim admonitus est ab Angelo, ne, si dissimulatione quâdam transire permisisset eam inurbanitatem, malè tanti momenti negotium ordiretur propheta. Religiosus tyro, qui & ipse terram ingreditur sanctam : statum dico religiosum, in quo animæ suæ negotium, imò totius instituti, quod professurus adit, honorem, ac reputationem ad Dei gloriam in se, toto deinceps vitæ tempore, præsentare debebit, ac promovere; quidni etiam in minimis, qualia sunt; humiliter, ac modestè incedere ; voce moderatâ verba proferre; orationis, & aliorum exercitiorum spiritualium apices observare, admoneatur? ut sic assuescat etiam in parvis bona ponere principia tyrocinij. Quæ si Superior, aut Magister Novitiorum negligat, nec oculo vigilanti Novitij mores, quos ex sæculo secum adfert, inspiciat, corrigat, & tempestivè occupet, videtur aliud non agere, quàm causam malè ordiendi ultroneè subministrare.

14. Sapienter idcirco monet Origenes : a *Tu qui præsides*, inquit, *hujus corporis* (id est Ecclesiæ, Religionis, aut Collegij) *oculus es; omnia circumspicias, & omnia ventura provideas. Pastor es, oviculas Domini vides ferri per præcipitia, & non occurris? non revocas saltem, neq; clamore deterres?* Inculcat videlicet vetustissimus pater seriam omni superiori curam; ut, cùm omnium esse debeat oculus, illorum tamen urgeat ipsum præcipua solicitudo, qui faciliùs feruntur per præ-

a *Origen.*

cipitia

cipitia sæcularium consuetudinum, uti contingere solet in tyronibus; hi ne permittantur ferri per eadem inordinatorum affectuum, & passionum prærupta : sed vel in minimis etiam, delinquentibus occurrat; eos moneat, revocet, clamore deterreat : ne, si malè cœperint, ipsi postmodùm eorúm imputetur malus exitus, & ruina. Hinc & Constitutio nostra solicitè cavet, aut potiùs admonet, ut per Magistrum, Novitij a *Strenuè probentur, & exerceantur in omni genere devotionis : hoc est; in oratione, in sacris tùm lectionibus, tùm meditationibus; nec non in varijs mortificationibus, veluti in vestibus humilioribus, in vilioribus ministerijs, præcipuè in silentio, & oculorum modestia, & alijs hujusmodi.* Quorum verborum sensus includit duo præcipua : sedulam videlicet omnium inspectionem Novitiorum, cùm dicit: *Strenue probentur, & exerceantur in omni genere.* Non enim strenuè probare poterit, & exercere in omni genere, qui genus omne devotionis spectantis ad religiosum aut ignoraverit, aut non advertesit, aut diligenter non inspexerit. Deindè commendatur etiam modicorum inspectio, & animadversio, quando res parvas, exiguas, & contemptibiles, uti sunt vestes humiliores, viliora ministeria, & alia his similia, jubet in tyronibus exercitia non præterire. Quæ videlicet inculcantur Magistro Novitiorum; ut is in ijsdem curet non perfunctoriè, sed strenuè ponenda principia bona; cùm certum sit, vix incepturos benè, quos oculus Magistri vigilans præterierit.

15. Dignum est considera-tione, quod S. Mater Theresia, dum quodam in loco scribit, quomodo Priorissæ, & Magistræ novitiarum Sorores instituere debeant, & formare in orationis exercitio; ne per exiguam earum animadversionem statim initio malè formentur Novitiæ, sensimq; per nimiam ad raptus, & estases in orationibus applicationem, adsciscant eæ sibi debilitates, & symptomata non facilè posteà curanda. Quorum omnium curam, diligens ad ejus-

a Constit. P. 1. c. 2.

modi corporis evitanda mala, studium totum consistere docet in principio. Dicit itaque, doctrinam à se præscriptam sæpiùs relegendam esse [a] *Priorissis, ac Magistris Novitiarum; quarum est, sorores in orationis exercitio instruere, & formare.* Ac demùm, quod rei caput est, subnectens ait: *Nisi in principio circumspectè, & exactè remedium adhibeant, videbunt certè; quàm multo posteà opus sit tempore ad hujusmodi debilitatibus medendum; & obviandum.* Jam idipsum in materia nostra dicere possumus. Nisi Superiores, & Magistri Novitiorum in principio circumspectè, exactè, & omni cum diligentia remedium inordinatis affectibus, & habitibus extirpandis adhibeant, principio tyrocinij benè forment, instruant, moneant, corrigant, & in omni genere mortificationis exerceant; videbunt certè, quàm multo posteà opus sit tempore, labore, & studio ad malè affectis radicibus medendum, & obviandum: imò videbunt, quanto periculo tùm suo, tùm

[a] *S. Theres. lib. fundat. Monaster. c. 6. ante medium.*

juventutis, quæ ipsis instituenda fuerat commissa, tùm & totius instituti manifesta labefactatione, (utinam non & ruinâ multorum!) demandatum sibi ministerium neglexerunt.

§. III.

Incipit malè; qui propter flagitium aliquod perpetratum, ex conscientiæ remorsu confugiens ad Religionem, eandem posteà contemnit.

1. QUartam malè incipiendi causam à tribus superiore paragrapho explicatis secrevi causis; eò quòd hæc res majoris sit considerationis. Siquidem quod pœnitentiæ loco deberet generosiùs assumi propositum ad Dei majorem gloriam, & ad certam animæ de profundo damnationis barathro liberationem, hoc posteà per incuriam, diabolo magis etiam allaborante, vertitur in majus animæ detrimentum; nisi Deus hominem ex infinita misericordia sua respiciat, peculiariter, eiq; non solùm media suggerat operan-

di benè, & seriam agendi pro enormi flagitio, vel flagitijs pœnitentiam; sed etiam cor excitet ad heroicè respondendum huic extraordinariæ divinæ gratiæ, & auxilia necessaria subministret efficaciter. Est autem hæc malè incipiendi causa, conscientiæ quidam remorsus, ad quem, sicut insigniores quidam sunt casus, ita quoque rarior ejus est origo, quæ plerumq; ab aliquo magno perpetrato ducitur scelere; cui probrosum, & immane supplicium leges, & jura præscribunt. Hoc ut reus evadat, non tam virtutis & pœnitentiæ amore, quàm gravissimæ pœnæ formidine, remotiorem aliquam in regionem, vel civitatem, antequam divulgetur flagitium; vel, si fuit occultissimum, metu nihilominùs aliquando sceleris evulgandi, conscientiâ semper animum exagitante, quàm celerrimè confugit, ibique non sine speciosâ spiritûs, humilitatis, & modestiæ larva per emendicatas etiam, imò potiùs ementitas, ab insigniore quapiam persona commendatitias literas, petit ad habitum admitti: ac tandem etiam constantissimè petendo persevérat, donec sacro vestiatur habitu, in probatione.

2. Contingit autem hominem ejusmodi subindè moveri etiam spiritu verè pœnitentiam agendi, sibique statuere Deo serviendi propositum, non jam tantùm ut scelus admissum expiet seriò; sed etiam ut dignum pœnitentiæ facturus fructum, per disciplinæ sedulam exercitationem, virtutes alias acquirat, & sibi cumulet. Et dum ità dispositus salutis suæ cogitat opus aggredi, modumq; circumspicit illud aggrediendi, simul & Religionis expendit media, quæ ipsi porriguntur ad Deo pro beneficio vocationis haud segniter respondendum, & ad ipsum in bonam orbitam ex mundanarum vanitatum erroribus inducendum, non ei probantur modus, & media sibi dari solita, non quòd Religio deficiat in his uniuscujusque spiritui pro capacitate subministrandis; sed quod ad flagitium, quod ipsum ad clau-

ſtrum compulit, heroicè revelandum non aſſumat animum, illud ſecum diù, multumque verſet, deliberet anxius, & ſemper rem differat in futurum, hinc quidem atrocitatem rei ſecum reputans, indè revelandi neceſſitatem (quamvis alibi per confeſſionem fortaſsè jam expiârit) ſi jam feriò velit frugi fieri: ſed ex alia parte difficultatem maximam, quam in aperienda ſincerè conſcientia experitur, diſpiciens, apud eum, cui ſe revelaturus eſt, famâ; apud Religionem exiſtimatione periclitaturum ſe imaginatur. Qui metus, & angor animi licèt inanis omninò ſit; cùm hoc ſit inauditum, ut pœnitentis alicujus occultum facinus, in Religione jam ſpirituali revelatum patri veniat in aliorum notitiam: tamen humani generis inimico plurimum in hoc allaborante, ſunt, qui ſibi metuendum eſſe perſuadeant; & ità ſemper fluctuantes inter aſſenſum, & diſſenſum, pacem, & quietem animi, quæ in clauſtro beatitudo quædam eſt, habere non poſſint.

3. Ex quo deindè ſequitur, quòd in ea mentis perturbatione, conſcientiâ quidem teſte, pœnamque, vel (mitiùs ut dicam) pœnitentiam expoſcente, ſed amore proprio judice ſeveritatem, & aſperitatem in ſemetipſum exercendam horrente, nunquam eſſe poſſit animo ſereno, quem ſtatus ejuſmodi non comprehendit. Semper incedit triſtis, tetricus, & malancholicus. Et Religioſo ſic affecto, non jam opus eſt, ut aſperitas inſtituti, quod profeſſurus in clauſtrum venit, ipſum exerceat. Ipſe mæror, & anxietas animi, tormentum eſt ei magnum, ſicut S. Joannes Chryſoſtomus in epiſtola quadam ad hoc propoſitum ſatis appoſitè: [a] *Triſtitia* inquit, *animarum crudele tormentum eſt; dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio, vindictaq; deterius. Nam & vermi ſimilis eſt venenato, non ſolummodò carnem, ſed & animam ipſam perimens, & tinea non ſolùm ad oſſa, ſed ad corda pertingens; & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens; ut ju-*

[a] *S. Io. Chryſ. ep. 8. ad Olympiam.*

gis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo; febris non apparens, omni igne validiùs incendens, & à pugna requiem non habens. Hucusque S. Antistes Constantinopolitanus ad Olympiam scribens. Jam carnificinam adeô crudelem, qualis est tristitia, dum intra se fovet, secumquè circumfert intestinam, non potest ad alia, quæ vel Institutum, vel Magister suggerit, media promptus animus esse, quem tantùm non ad mortem assiduè conficit tristis, & perturbata conscientia. Fit propptereà culpâ suâ totus ineptus ad obeunda Religionis exercitia, nunquam ab omni parte contentus, ne seipso quidem, ne dum illius, qui curam ejus animæ suscepit, monitis, & documentis, quibus neutiquam acquiescere potest, semper existimans; ineptè, & insulsè sibi suggeri media; responsa, consiliaq; dari puerilia; proposita sua vel non posse, vel nolle intelligi.

4. Et certum est, sic opinantem minimè falli. Non enim intelligi potest à ductore suo spirituali. Quia in magno animæ suæ negotio turpiter ineptientis apertam non habet Magister conscientiam. Semper ambagibus quibusdam incedens Novitius, nunquam se totum explicans, non etiam vult intelligi, scilicet ipsemet patri suo spirituali perfidus interpres. Quem idcircò diffidentia, vel potiùs perfidia sua reddit ad benè progrediendum inhabilem; donorum, & gratiarum Cœlestium incapacem; eruditionis ad spiritum exsortem. Quia gerit in corde tineam, idest, tristitiam, interiùs omnia, quæ spectant ad animæ profectum, corrodentem, ac demolientem. Id, quod disertè sapientissimus Salomon in proverbijs suis tetigit, cùm dixit: a *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ità tristitia viri nocet cordi.* Vestimentum corrosum à tinea; lignum, quod ambage multâ teredo demolita est; illud quidem nulli jam honesto usui, istud autem ædificio nulli prodest. ità prorsùs anima, in quam tristitiæ quadam ex diffidentia se insinuavit tinea, Cœlestium illustrationum, & gra-

a *Prov. 25. 20.*

tiæ, fit incapax; non ideò, quòd tristetur; hoc enim humanum est, talibus affectionibus impugnari; sed quòd per diffidentiam non eam, nec ejus causam, aperiat Patri spirituali. Quæ res novitium facit ad ea, quæ sibi suggeruntur, salubria media prorsùs ineptum, non secùs, ac vestimentum à tinea, lignum à teredine destructum ad nihil adhiberi potest. Uti prudenter Cassianus hìc recitata Salomonis explicans verba: [a] *Vestimentum*, ait, *tinearum esu attactum nullius pretij, vel honesti usûs poterit ulteriùs habere commercium; itidemq́; lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ità anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit vel vestimento illi pontificali, quod unguentum Spiritûs Sancti de Cœlo descendens priùs in barbam Aaron, deindè in oram suam solere suscipere Sancti David vaticinio perhibetur.* [b] *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Ità Cassianus.

[a] *Cassian. lib. 9. de Institutis Cœnobior. c. 2. & 3.* [b] *Psal. 132. 2.*

5. Igitur iste cum conscientiæ remorsu claustrum ingressus, & jam ex animi diffidentia (dicam veriùs) perfidia, per multam inquietudinem jactatus, nec tamen unquam aggressus medium, quod sedandis animi tumultibus erat, & est, summè necessarium, id est, sinceram sui manifestationem, non est mirum; si denique resiliat, à benè cœpto, cujus initia posuit pessima. Non enim fieri potest, ut in via perfectionis ille progrediatur, qui tam grandem progrediendi ponit obicem, ut patrato scelere non magis de pœnitentia seria secum disputans, quàm de pœna, quam ipsi deprehenso, comprehensoq́; leges imposituræ fuerant, effugienda, nolit seipsum candidè manifestare. Non sine causa monuit Apostolus ad Galatas scribens, ut is, qui docetur verbo, communicet Magistro suo, sed quomodo? [a] *In omnibus bonis.* Ait enim: *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis.* Non in fraude, & dolo; quod fit, quando Re-

[a] *Gal. 6. 6.*

ligio-

ligiosus Novitius parùm sincerè suam aperit conscientiam, tacendo, quæ manifestanda sunt, & dicendo ea, quæ tantùm ad speciem sunt, non autem ad rectitudinem animi, nec ad rem pertinentia: sed *In omnibus bonis communicet*; id est; referendo sententiam hanc ad superiùs ab Apostolo dicta: *a Opus autem suum probet unusquisq́.* Quo docetur, ut unusquisque sincerè coram Deo, cujus locum sustinet Pater spiritualis, opera sua probet, nec erret hac in re: sicut contingere potest, tam in pœnitente coram Confessario, quàm in Religioso novitio coram Patre suo spirituali, non sincerè conscientiam suam exponente, sed certis verborum involucris ità sensum intricante, ut is, cujus est judicare de propositis, non satis intelligere possit; & aliud longè, quàm exponentis requirit status, decernat. Ideò ille, qui catechizatur, id est, Religiosus tyro, qui verbis, ac monitis varijs docetur, viam perfectionis, oportet, ut interiorem animæ suæ statum, inclinationem, affectionem, causam tristitiæ rodentis ejus conscientiam fideliter manifestet; nec velit in hoc affectatè, sivè per voluntaria circumstantiarum involucra sciens prudens errare. *a Quia licèt hominibus fucum facere possit*, ait in hæc Apostoli verba Cornelius; *Deo tamen illudere non potest.* uti rectè confirmat idem Apostolus: *b Deus non irridetur.*

a v. 5.

6. Potest quidem cum conscientiæ remorsu Religionem ingrediens, vocationis suæ causas adferre speciosas, & probatas; potest etiam tristitiæ, & animi continuè perturbati proferre rationes ad speciem consideratione, quin & commiseratione, dico plus, etiam excusatione dignas apud catechizantem, viamq; perfectionis docentem: sed intereà causam tacet illam, quæ totius affectionis malæ fundamentum est; & per quam maximè laborat diabolus, ut animam decipiat, sibiq; lucretur. Et ità semper in alio, atque alio (quod dicimus) supposito dabit catechizans remedia, juxta ut intellexit; in alio quoq; catechizatus accipiet. Quia rem

a Cornel. hic. b v. 6.

ipſam, quam debuit, non ſincerè, ſed in fraude, & dolo catechizanti ſuo communicavit. ideoque cum errore voluntario, quo Deum videtur irridere, vocationis obice graviſſimò, trahitur ad reſiliendum à cœpto, reſilitq;, non quidem Religionis aliquo (ſicut ſibi perſuadent quidam) ſed animæ ſuæ notabili, detrimento. Quia ſpiritum, quem licèt ex remorſu conſcientiæ, tamen ad finem bonum collineantem, extinxit. Et periculum eſt; ne, quod eſſe debuit ſaluti, ſit æternæ damnationi. Cui meliùs erat, ſeu mitiùs, non agnoviſſe Religionis ingreſſum ad agendam pœnitentiam, & ad ſalvandam animam eſſe neceſſarium; quàm jacto malo fundamento, principioq;, deniq; reſilijſſe.

§. IV.

Incipit malè, qui parvos etiam non vitat defectus.

1. NOn in eo ſolùm conſiſtit negotium vocationis, ut quis ingreſſus Religionem adnitatur ea vitare, quæ ſibi videbantur, & erant, in ſæculo ſeu flagitia, ſeu digna reprehenſione, quamvis ſub titulo venialis ſolummodò culpæ: verùm & in eo quoq; præſertim incipientium, eſſe debet ſtudium; ut, quantum in ſe eſt, & quantum per humanam induſtriam, auxiliante Divinâ gratiâ, poteſt advertere, parvos etiam defectus, & qui vix etiam in venialem veniunt culpam, voluntariè, & ex propoſito, non admittat: & hi ſunt, inter alios, immoderati riſus, & cachinni; inceſſus immodeſtior, loquendi quidam modi, ac phraſes à ſæcularibus uſurpari ſolitæ; ſales, & facetiæ, quibus aut mores alterius perſtringuntur; aut ingenij oſtentatur acumen, & feſtivitas; item, ſi obedientiæ tardetur exſecutio; oculorum licentia non coërceatur; cuſtodia corporis in veſtiendo ſe, vel ſpoliando veſtibus habeatur negligentiùs; & alia his ſimilia minutiora. Quæ licèt adeò parva ſint, ut neque in venialem exiſtimentur cadere culpam, & contemptui potiùs habenda putentur, quàm ut mentio fiat eorum evitando-

rum; tamen in eam considerationem tyroni venire debent, ut omnem industriam conferat, si ad ea pronus est naturâ, in se non admittenda. Secùs si libertatem aliquam, vel potiùs licentiam, in his sibi permittat, neque ducat sibi religioni, talia non evitare, sciat certò, per eorum conniventiam, & indulgentiam aperiri januam, venialibus culpis ex voluntaria negligentia committendis amplissimam; quæ demùm sensim disponunt ad mortalem.

2. Est enim dæmon callidissimus animarum venator. Non statim obtrudit incipienti Novitio tentationem ad culpam aliquam manifestè mortalem, & nimis crassam, nec audet persuadere, quod ipsa humana ratio satis advertit culpabile, divinæq; legi contrarium. Secùs subitò deprehensus, nequam præstigiator repulsam acciperet facilem ab eo præcipuè, qui recens ad Dei servitutem accedens studere conatur seriò perfectioni, cui è diametro repugnat manifesta culpa voluntaria, sivè sit illa venialis, sivè mortalis. A rebus ergò minutissimis, quæ nullam habent culpæ speciem, incipit humani generis inimicus. Facit nimirùm, quod astuti volucrum aucupes. Qui dum insidias, aut pedicas struunt, quibus incautæ decipiantur aves, ante pedicarum ipsam instructionem locum circa occupant, certis instar tendicularum apinis, objectis etiam escis, quas primo quidem aspectu bestiolæ suspicaces aliquantum eminùs contemplantur; & dum hominum advertunt neminem, etsi nonnihil timidæ, tentant tamen accessum, sed resiliunt subitò. faciunt hoc semel, iterùm, ac tertiùm, ac tamdiù circumvolitant, saliuntq;, donec unum alterumvé granum surripiunt indemnes. hac prædâ mox audaciores huc illucque circumambulant sine damno, subjectamque captant, ac vorant escam: & dum ità duæ, vel tres agunt securiùs, tùm sensim plures advolant cumulatim, & obviâ fretæ securitate tandem extra formidinem veris involant, seseq; implicant, & capiuntur tendiculis. Ità diabo-

lus omninò; priùs objicit secura, mox audaciam, tandem licentiam suggerit. in qua si liberior fiat tyro, jam persuadeat sibi, mala vocationi suæ poni principia, sensim in culpam gravem, ac etiam in graviorem contemptum, deniq; in vocationis desertionem desitura.

3. Quare benè S. Bernardus ait: a *Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora. Quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Et alibi. b *Quàm multos*, ait, *videmus, & plangimus fratres! qui, dummodò maneat habitus, & tonsura, salva sibi omnia arbitrantur. Non considerantes miseri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem, quem vident, transforare dissimulat, ne fortè recogitent, & erubescant, ipsâq; verecundiâ emendentur.* Quæ melliflui Doctoris sententia non obiter est percurrenda; sed omninò premenda diligenter, præcipuè quod dicit: *Ingratitudinis vermis interiora corrodens, tantùm corticem transforare dissimulat.* Innuit nempè vir Sanctissimus; per negligentiam parvorum defectuum, laborante diabolo, qui ipse erga Deum Creatorem suum ingratissimus est, insinuare se vitium ingratitudinis pro beneficio vocationis ad Religionem; corrodit hac ratione Stygius ille veterator interiora conscientiæ; & intereà fingit, se tantùm corticem obtentu minutiorum, & neque culpabilium modicum transforare: & tamen haud dubiè disponit ad culpam non levem, id est, ad ingratitudinem, quæ culpa gravissima est. Deindè cùm dicitur: *Tantùm corticem perforare dissimulat.* Quid aliud per *corticem* intelligi voluit, quàm parvos illos defectus, quos superiùs commemoravi? Hic est ille cortex, quem vermis ingratitudinis, etsi non advertentibus nobis, non tantùm transforat, sed etiam in animi interiora se insinuans, illum corrodit sine sensu; & ità perfectionis inimicus inducit in animam, per transforatum parvorum defectuum corticem, securitatem, exin licentiam, & contemptum. Undè subdit postmodùm idem

a S. Bernard. de ordine vitæ.
b Serm. de ingratitud.

Claravallensium Pater: *Nisi fortè, quos videmus manifestè apostatare à Deo, repentè fieri pessimos arbitramur, & non magis defecisse, cùm comederint alieni robur eorum, & nescierunt.* Vult nimirùm dicere vir Sanctissimus: equidem hominibus hoc esse commune: pessimos ut existiment illos esse, qui repentino animi impetu manifestè fiunt vocationis suæ desertores: sed non tàm hoc considerandum magis, quòd repentè per apostasiam à Deo deficiant; quàm quòd inceperint deficere per occultam diaboli fraudem, voluntariè parvos admittendo defectus, nec eos, dum admittebant, sibi ducendo religioni.

4. In his igitur sine scrupulo committendis, ac per neglectum contemptis, à principio tyrocinij quia fuerunt incauti, vermis ingratitudinis, aut potiùs ipsa diabolicæ fraudis occulta tinea, corrosit, ac comedit eorum studium, & ità demùm mala vocationis suæ ponere pergebant initia, donec ad ipsam usque perventum est apostasiam, sivè desertionem.

Id quod etiam sapienter Ecclesiastes, aut potiùs ipse Spiritus Sanctus per Ecclesiasten divinissimè declarat, cùm ait: [a] *In pigritijs humiliabitur contignatio; & in infirmitate manuum perstillabit domus.* Infirmitas manuum hìc accipitur pro pigritia, & negligentia eorum, qui non advertunt animum ad defectus parvos; per quorum neglectum intrat in animam demolitio spiritûs, & ruina. Quam in rem appositè Cassianus: [b] *Eleganter,* inquit, *mentis incuriam domui comparavit, tectoq; neglecto: per quam primò quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum. quæ si, velut parva, ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum: per quos in die hyemali, id est, tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli expelletur mens de habitatione virtutum; in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domûs propriæ possessione requieverat.* Hactenus Cassianus.

5. Jam si ille, qui jam aliquando *Circumspectam diligenti-*

a *Eccl.* 10. 18. b *Cassian Collat.* 6. c. 17.

am reti-

am retinens manebat in virtutum aliqua possessione, posteà parvorum defectuum neglectu, contemptuque, virtutum tigna corrumpi passus, ingruente tandem impugnatione diaboli, expellitur de virtutum habitatione ; an non credibilius est; tyronem, qui nullam secum attulit virtutum possessionem, pessimè sibi consulere, si parva negligat, nec ullam eorum evitandorum habeat rationem ? Facit profectò, quòd ille, qui novam ad habitandum ingressus ædem, sed adhuc malè tectam, non munit, nec defendit à decidentibus passim stillicidijs, quæ demùm temporis aliquâ diuturnitate, majore semper accepto impetu notabilem invehunt ruinam, aut magnis impensis instaurandam, aut pigrum habitatorem ex ædibus exturbaturam. Jam sivè magnorum impensorum, sivè migrationis aliò, quæ causa futura est ? Non alia, quàm quòd principijs habitationis suæ malè prospexerit. Ità Novitius in claustro si ob incuriam parvorum defectuum denique fiat spiritualium exercitiorum incapax; si deindè magnis etiam quibusdam audeat involvere se culpis, ità, ut per diuturnitatem temporis invalescente mentis hebetudine corrigi, frugiq; fieri cùm non possit, omninò debeat dimitti; si posteà statum expendat suum miserabilem; certè non aliam deprehendet ruinæ suæ causam; quàm quòd parvis defectibus evitandis in principio statim non occurrerit.

6. Hinc ille, qui non solùm intentione bona perseverandi, sed etiam perfectionis studium seriò prosequendi Religionem ingreditur, adeò sibi cavet à parvis, imò & à minimis, ut ea grandium instar culparum horreat, ac detestetur, semper illud secum reputans : [a] *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Rectè propterea S. Laurentius Justinianus solertem in hoc genere justum describens, ait: [b] *Gravia delicta nedum ei perpetrare non libet ; verùm etiam levia, & minuta, sine quibus mortalis vita non ducitur, solerter declinare conatur, agnoscens procertò; quòd nemo criminibus prægravatus*

a *Eccl.* 19. 1. b *S. Lauren. Justin. lib. de grad. perfect. c.* 6.

tus

tus ad perfectionis valet evolare vestigia. Intelligit præterea, quod viri Sancti venialia parvi pendendo consummare peccata, paulatim prolabantur in graviora, & à virtutum tepescunt usu, quotidieque procliviores efficiuntur in casum. Hucusq; Venetiarum Patriarcha. Ubi Novitius unusquisq; benè premat, quod dicitur : *Etiam levia, & minuta, sine quibus mortalis vita non ducitur, solerter declinare conatur.* Non ducitur mortalis vita sine levi aliquo risu, sine levitatis subindè in incessu nota, sine liberioris aspectûs aliqua levitate, sine modica quietis extra dormiendi tempus indulgentia, sine incautiore in verbo quopiam lapsu ; fortassis etiam sine fructûs alicujus, ut pomi, pyri, vel alterius esculenti, poculentiqué extra facultatem usu, si non etiam bona repletione. In quæ si nulla fiat animadversio, permittaturq; sensibus in hæc evagandi libera facultas ad initium tyrocinij, futurum est procertò, sensim ut Novitius iste progrediatur à minimis hisce contemptui habitis ad majora; cùm id etiam viris perfectis ex parvorum neglectu defectuum soleat evenire. Et sic aliud non faciet, quàm quòd à virtutum tepescens exercitio, quod adhuc modicum, vel etiam nullum habuit, malum ponet vocationis principium, ut verissimum deniq; sit : illum incipere malè; qui parvos etiam non vitat defectus.

CAPUT II.

§. I.

Ex usurpata quorundam licentia Religiosorum, certa sequitur spiritûs, & vocationis ruina.

1. EX tribus capitis superioris paragraphis, nimirùm ex malo principio, ex intentione mala, & ex parvorum defectuum neglectu, contemptuque, facilè sequitur & alia à religioso spiritu, & sancta vocatione deficiendi causa : videlicet ex ipsa subindè Religiosorum quorundam per arrogantiam usurpata licentia. Quia enim nonnulli jam habitum religiosum induti, institu-

tumq; professi, gratiam vocationis etsi fortasse magni faciant (sicut & magni eam facere obligantur) seseq; Religiosos esse gaudeant; nihilominùs tempore procedente ipsi etiam procedunt, eò fastûs, & licentiæ; ut seu loquendi modum, & verba, seu incessum, gestusque spectes, aliud in ipsis non videas, quàm hominem sæcularem omnia sibi licere existimantem. Frons, oculi, vultus, & tota corporis habitudo non Religiosum humilem, ac modestum, sed fastuosum ac pompaticum prætorem aliquem, honorificis titulis, reverentijs, & acclamationibus gaudentem, incedentemq; repræsentant. In sermone procaces, in aspectu liberi, supercilijs elati; in vestitu, in lectisternijs, in ornatu cubiculi compti; in victu, modoq; vivendi, & in alijs instituti religiosi statum spectantibus peculiares, exemptionibus quibusdam primi; brevibus ut dicam; in omnibus laxi, & lauti. Quæ omnia, & singula detestandos quosdam per ejusmodi parùm spirituales homines, nomine magis, quàm professione Religiosos invehunt sensim in Religionem abusus, verè lachrymis deplorandos.

2. Hæc in adolescentulorum, & juvenum oculos ubi incurrunt, quod facillimè contingere potest, quis dubitet etiam ejusmodi nugis ipsos ad statum religiosum, in quo secundum ipsorum opinionem, libertatem & licentiam imaginantur sibi non modicam ad vitam benè beateq; transigendam, allici apprehendendum? Nec magis est ipsis cordi religiosa, quam posteà profiteri debent, paupertas, castitas, & obedientia; humilitas etiam, & abnegatio sui; cibi, potusque frugalitas, vestitûs inornata ruditas, injuriarum, contumeliarumq; tolerantia, cæteræq; Religioso propriæ virtutum, & heroicarum in sui contemptum actionum exercitationes, & usus; quàm laxè, lautèq; vivendi licentia. Et ità perperam, non sicuti res est, de religioso persuasi statu, eundem hunc sibi statum eligunt, & amplectuntur, respectu quidem eo, ut in Religione

ne Deo serviant, sed simul sæcularem fastum, libertatem, & licentiam non dimittant; imò licentiosiùs, commodiùs, & laxiùs ut vivant, quàm in paterna domo vel à parentibus, vel à præceptoribus habiti, sub arctiore, nec ad ipsorum genium, disciplina. [a] Facere nimirùm hi volunt, sibiq; proponunt vivere, sicut olim populus Isràël faciebat; qui regis Achab tempore claudicabat in duas partes, & ut Domino Deo, & Idolo Baal immolarent. Sic isti vanâ quadam freti spe, & vanâ imbuti opinione suscipiunt habitum religiosum, ut claustrum ingressi & Deum sequantur, & sæcularem licentiam non dimittant, duobus dominis servituri; Deo videlicet, & mammonæ, seu cupiditati suæ.

3. Jam hoc respectu, vanaque ducti spe dum suscipiunt habitum, etsi non absint à firmo proposito perseverandi, & in illo heroico, sicut videtur, actu quemdam etiam concipiunt spiritum, ac fervorem Deo constanter in Religione serviendi: tamen propositum istud, spiritus, & fervor neutiquam durare potest. Nam simul atque deprehendunt aliud in tyrocinio, quàm sibi imaginabantur, animum statim despondent, fiunt tristes, & quidquid ipsis exercitij religiosi vel imponit regula, vel superior jubet, inviti suscipiunt, & cum tædio, ac nausea exequuntur, ad aliud non parati, quàm ad recreationes, ad diverticula, quibus desiderium, & genium suum contentum reddant, nec aliam respectant consolationem, quàm ab ejusmodi relaxationibus; quas cùm assequi vel difficilè, vel minimè possint; fit deindè, ut brevi tempore non tantùm vocationi susceptæ valedicant, sed alios etiam in partem, & sententiam suam facilè pertrahant Novitios, fiatq; non mediocris tàm in renuntiantibus instituto, quàm in ipso instituto, quamlibet alioqui Sancto, ruina. In illis quidem, quòd discrimini de salute animæ periclitandi objiciant se manifesto: in instituto verò, quòd etiam cæteris, nisi valdè cordati sint, & spiritu roborati, tyronibus in simile pe-

[a] 3. *Reg.* 18.

le periculum præcipitandi se præbeant occasionem.

4. Causa verò desertionis est non alia, quâm quòd exemplis aliquorum, qui non ad Instituti formam, sed veluti quibusdam privilegijs exempti vivunt, religiosamq; professionem in desiderijs suis ad vanitatem ostentant, aliter fuerint persuasi, postmodùm autem in Religione totum reperiant, experianturque contrarium. Non enim in communi professorum vita, multò minùs in tyrocinio, permittitur aliqua licentia, supra æqualitatem vivendi ratio, fastus, & luxus. Et, si uspiam, in Novitiatu certè fit per sedulam Superiorum vigilantiam animadversio; ne quis tyronum peculiarem aliquam habeat exemptionem: imò quantum fieri potest, omnis submovetur peculiaritas, adeò, ut ne in minimo quidem Novitius possit præsumere, libertatisque, seu licentiæ, sibi causam aliquam præstituere. Et propterea exercentur in viliori plerumq; vestitu, decenti tamen, in humilioribus quibusdam ministerijs, in proprij judicij, voluntatis, & aliorum affectuum inordinatorum mortificatione, & abnegatione; non quòd Religio non æquè velit ipsos esse vestitos, eadem victûs, & vestitûs ratione vivere; commoditatem qualemqualem pauperi Religioso necessariam habere, sicut & alios professos: sed quòd ità expediat probare spiritum, an ex Deo sit, & non potiùs ex animi quodam impetu temerario, vel respectu non secundum Deum examinato.

5. Accedit & alia probationis, & exercitationis ejusmodi ratio; nimirùm ut sic exercitati tolerandis incommoditatibus, quæ plurimæ sunt, & contingunt in Claustris Religionum, quæ certè nullas, quantum ad carnem, delicias habent, consuescant. Et tamen etiam hac sepositâ probandi causâ, Neoptolemus in Religione lautitias, luxum, & licentiam non reperiet; sed disciplinam, sed rigorem, sed modestiæ cultum. Qui si in uno, alteroq; sæcularis adhuc, vel jam & Religiosus animadvertat, & videat hæc exulare;

non

non oportebat, nec oportet ex uno particulari conclusionem formare universalem. Quia nullus Ordo Religiosus est, qui non omnia, & singula ad continentiam, modestiam, frugalitatem, rigorem aliquem saltem mediocrem, ad regularem observantiam, & ad strictiorem, quam sibi licentiosus aliquis arrogat, vivendi methodum moderetur.

6. Laxiorem autem, & licentiosiorem vitam, quam adolescentes aliqui vident, & apprehendunt, in uno, alterové Religioso plausibilem, non communis in Claustro vivendi ritus, aut disciplinæ vel incuria, vel indulgentia, sed plerumque mala indoles, & inclinatio, in tyrocinio subdolè occultata, vel contrarijs exercitatis actibus aliquatenus suffocata, vel præsumpta per eos, qui literis, & scientijs alios aut videntur, aut magis videri volunt, anteire, quædam arrogantia, infert in Religionem, æquè præter intentionem Instituti. Hinc sapienter Origenes, expendens è Sodomis ab incendio liberatum Lot, & nihilominùs posteà deceptum à filiabus suis, ebrium, incendio carnis involutum, quasi peculiariter unumquemq; Religiosum alloquens, sic ait: a *Sed & tu observare debes* (Religiosè) *ne forte, etiam cùm effugeris flammas sæculi, & incendia carnis evaseris, etiam cùm pusillam civitatem Segor superaveris, & ad scientiæ altitudinem velut ad quædam cacumina montis ascenderis, vide, ne tibi insidientur duæ filiæ istæ, quæ à te non discedunt, sed sequuntur te etiam, cùm ascendis in montem, scilicet vana gloria, & superbia.* Nimirùm benè vetustissimus Pater hoc advertit, quàm perniciosa sit in eo, quem Religio mater ad virtutum exercitationem literis etiam, & scientijs ornavit, vanæ gloriæ cupiditas, & superbia; quæ tanquam progenitæ duæ filiæ carnis, ab hac difficilè separantur, neque citiùs in fraudem effrenantur, nisi postquam Religiosus ingenij felicitate, & fæcunditate in montem, id est, in elati animi sublimitatem ascendens inebriatur. Cæterùm religiosa pro-

a Orig. citat. Men. spirit. cib. V. Religio. nu. 11.

fessio, ac perfectio per pusillam civitatem Segor figurata, semper humiliter incedit; scientiarum autem sublimitas raró sine vanæ gloriæ, & superbiæ comitatu præterit ebrium ingenij fæcunditate. Nam dicente Apostolo, [a] *scientia inflat.*

7. Jam veró spe suâ, & opinione, dum adhuc essent in sæculo, decepti, postquam inveniunt in claustro disciplinam, jejunium, orationis assiduitatem, mundi contemptum, vigilandi studium, laboris asperitatem, perpetuam inter virtutes, & vitia pugnam, in sæculo penitùs ignoratam, carnis afflictationem, & plura his similia, toti mox obstupescunt; & admirabundi sic secum: Papæ! Non ita vidimus: non ità nobis promisimus: hæc veró nescivimus: istum rigorem, & assiduam exercitationem non expectavimus. Ideoq; S. Bernardus horum admirationem egregiè perstringens in eorum persona; [b] *Haud quaquam*, inquit, *nobis placere potest sapor Cæli, dum sapores quærimus coqui nostri. In deserto dantur coturnices, & manna: id est, in loco disciplinæ majora, & minora mandata. Cùm vidissent filij Isràël manna, dixerunt ad invicem: Manchu? Quid est hoc?* Et paucis interpositis: *Ad hunc itaq; modum*, ait, *cùm aliqui simplices ad conversionem veniunt, severitatem regulæ expavescunt. Si fiat ei sermo de mundi contemptu; de virtutum, vitiorumq; conflictu; si anxietas vigilandi, assiduitas orandi, parsimonia jejunandi ab ipsis requiritur, dicunt conquerendo inter se: Quid est hoc? Quis tot, & tanta implere sufficiat?* Ità Divus Bernardus. Nec est mirum, ipsos admiratione defixos obstupescere. Non adverterunt in laxioribus, & licentiosis aliquem rigorem. putârunt eamdem omnium cæterorum licentiam esse, quam in uno, & altero observârunt, carnali genio conformem, eiq; nec in minimo adversantem: & ideò demùm aliud experti, statim deliberare incipiunt aliter, à suscepto statu desciscere constituunt, ac desciscunt. Atq; illi quidem in licentiam effusi, jam spiritu religioso vacui prorsùs in sæculares evanuerunt mores;

[a] 1. Cor. 8. 1. [b] S. Bern. ser. 65.

res; hi autem vanâ delusi spe, tàm spiritu, quàm statu, quem erant professuri, penitùs corruerunt. Tanti referebat licentiosi cujuspiam exemplo, licentiæq; respectu religiosum habitum assumpsisse.

§. II.

Licentiâ non solùm tyronibus malè incipiendi, sed etiam professis malè progrediendi, est causa.

1. Eò ferociæ, & in regularem observantiam grassandi audaciæ procedit unius, alteriusvé temerarij licentia; ut non tantùm adolescentes in mali principij conijciat discrimen; verùm etiam ijs, qui benè cæperunt, & jam professi sunt, malè progrediendi præbeat ansam, & instar rapidi torrentis, ubi aquarum eluvie repentinâ turgescit, obvia quævis in exitium rapientis secum, in religiosa vocatione, & in via perfectionis deficiendi, periculum creando, trahat. Vel sicut unus homo lue pestiferâ correptus inficit universos, cum quibus ipsi commercium est; sic unius licentiosi, nec ullum affectibus inordinatis frenum imponentis temeritas, non unius it labefactatum, & in transversum agit, bona principia. Cùm enim vident adolescentes hunc, aut illum, vel titulo jam veterani, & emeriti; vel animi quadam arrogantiâ, provectum indulgere sibi, secumq; in ijs, quæ rigoris alicujus, & disciplinæ sunt severioris, ausu temerario dispensare; facilè sibi persuadent, æquè sibi licere multa, atq; alteri; nec eam habendam esse religiosarum Constitutionum anxiam, scrupulosamq; rationem, quam aut Superior inculcat, aut regulæ suggerit præscriptum.

2. Certum est enim; exemplo, ad imitationem sui citiùs movere mala, quàm bona. Et est in promptu ratio. Quia malum prono quodam naturæ discitur, vel imbibitur potiùs, impulsu, imò cum lacte sugitur. Siquidem a *Sensus, & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Bonum autem docere, præceptionibus,

a Ge. 8. 21.

ptionibus, ac multo ſtudio, & labore indeſeſſo in hominis animum per diſciplinam inducere, inculcare, ac velut inarare, eſt neceſſe. Ut enim hortus, aut ager, tribulos, ſentes, ſpinas, lappas, & id genus alias inutiles herbas, & plantas ſuaptè naturâ profert; roſas autem, amaracum, lilia, violas, narciſſos, alioſque flores pulchritudine, colore, odoreque raros; perſicos item, pomos, & pyros bonas, aliaſque plantas utiles; in agro pariter triticum, oryzam, ſiliginem, aliamq; ſementem uſibus humanis utilem, multo labore inſeminare, tranſplantare, inſerere, & fovere oportet: ità mali mores, ac vivendi licentia, & quodcunque vitiorum genus, opus non eſt, ut magiſtrum habeant ſuum. Indoles ipſa, *Senſus, & cogitatio cordis humani in malum prona ſunt* à natura, & ſine præceptore facillimè depravantur.

3. Jam impulſum prætereà ſi habeant ab exemplo; tùm verò magis agendi malè pullulat incentivum. Et jam difficile datur remedium, ubi licentioſorum unius, alteriuſvé induxerit authoritatem audacia. Undè non mirum, quòd multiplicatis ante cataclyſmum hominibus, [a] *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*. Ea corruptelæ peſtis omnem originem habuit ab exemplo. Conſideretur enim diligenter ſacræ Scripturæ textus, ubi dicit: [b] *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ*, non deprehēdetur aliud, quàm quod eſt in propoſito noſtro. Non ibi ſacra dicit hiſtoria; *Videntes filij hominum filias hominum*; ſed *Videntes Filij Dei*. In qua verborum phraſi tota vis, & energia ſensûs hiſtorici conſiſtit. Quòd nimirùm illi, qui viderant *Filias hominum*, & in earum rapiebantur concupiſcentiam, fuerint non ſimpliciter homines, id eſt, aliqui plebeij, ſeu filij hominum plebeiorum; ſed *Filij Dei*. Myſterium hujus rei ſumi debet ab expoſitione Sancti Hieronymi: qui hæc duo verba *Filij Dei*, interpretatur, *Filij potentum*; tamquam illi, qui petulanter in omne ruebant malum, freti potentiâ parentum ſuorum, &

a Ge. 6. 12. b v. 2.

ipſi

ipsi potentes in populo habiti, licere sibi præsumebant omnia: & ità reliqua vulgi multitudo sequebatur illorum pessimum exemplum, tanquam nemini non liceret vulgarium; quod potentum, & principum filij per summam petulantiam, & impudentiam audebant. Eidem insistens expositioni Lipomanus etiam ipse per *Filios Dei* dicit intelligendos esse *a Filios judicum, ac virorum præpotentum, qui ex more linguæ Hebraicæ* (verba sunt memorati Auctoris) *dij nuncupantur. Vndè editio Chaldaica, quæ veridica est, filios principum legit.* Indè posteà concludit. *Filij ergò judicum, & potentum propter patrum auctoritatem nullum facinus eo tempore non audebant. Corruptis autem principibus facilè reliqui depravati sunt.* Ità Lipomanus.

4. Jam in Religione quamvis omnium una sit eademque propter professionem conditio; nec ampliùs hìc alter adversus alterum inflari potest, ac dicere: *Nos nobiles, vos autem ignobiles.* Quia religiosa professio pares facit omnes, uni Christi Domini jugo, non autem vanitati sæculi, mancipatos; & omnem generis, aut stemmatis, ac prosapiæ prærogativam tollit: attamen accidere subinde solet, ut vel ex ingenij qualitate sublimi; vel ex animi quopiam fastu illum, quem per temporis diuturnitatem sensim afflavit, & inflavit arrogantia, dæmonium hoc occupet, in ipso invalescat, & in licentiam ebulliat adeò, ut non tantùm ingenij præstantiâ, dotibus, & eruditione, quæ omnia nonnisi Deo debet, & matri Religioni, ipsum solicitè ad eruditionem promoventi, sed natalium etiam genere, cui pridem renuntiavit, inflatus, & elatus, multa licere sibi præsumat, & instar filij principis, ac præpotentis, quamvis in sæculo natales aliud fortasse genus, & familiam ostendant, haberi velit. cujus audax vivendi licentia quia in juvenum oculis, tamquam à Filio Dei, id est, à filio potentis, ac principis profecta, est valdè plausibilis, impedire plurimum solet eorum in virtute, vitaque spirituali progressum: sensim enim aut piget illos ista non

a Lipoman.

imitari, aut pudet. Piget ob aliquam ignaviæ (ſicut illi concipiunt animo) notam, quam incurrere ſe putant, tamquam ſoli hæreant in extremis, & non etiam cum alijs ad politicæ, faſtûſq; pompaticam confectationem aſpirent, non intelligentes adhuc benè; crucis gloriam non in ſublimitate ſæculi verſari; ſed in ignominia fortiter pro Chriſti nomine tolerata. Pudet etiam, eâdem vivendi licentiâ talibus non æquari, tamquam ignominioſius ſit, non videri licentioſum, quàm eſſe bonum Religioſum.

5. Fit igitur cum pleriſque, quod S. Auguſtinus in juventute ſe feciſſe deplorans, ait: a *Quid dignum eſt vituperatione, niſi vitium? Ego, ne vituperarer, vitioſior fiebam; & ubi non ſuberat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quod non feceram; ne viderer abjectior, quò eram innocentior; & ne vilior haberer, quò eram caſtior.* Sic iſti, quòd exiſtiment; faſtum, & elationem animi non oſtendere, nihilq; ſibi concedere, nec inſolentis alicujus licentiam non imitari, ne viles habeantur, & abjecti, diſcunt aliorum typo fingere ſe, quales non ſunt; & deniq; proceſſu temporis, etiam tales eſſe, quales initio non fuerunt. Quæ frequentata conſuetudo inducit habitum: quo deindè ſic implicantur, ut in perfectionis via, quam in ingreſſu clauſtri profeſſuros ſe propoſuerant, deficiant miſeri; neq; citiùs agnoſcant intricatos ſe, quàm inſigniter in poſtremis hærere ſe deprehendant. Et quidem miſeriam hanc ſuam cognitione ſi aſſequantur, miſeratio, & gratia Dei quædam eſt extraordinaria, paucis impertiri ſolita. Nihil enim aliud eſt hoc, quàm ſicut alterum Petrum negantem, & pejerantem à Chriſto Domino reſpici, & à via religioſæ perfectionis deſciſcentem ad pœnitentiam prodigioſè converſum lacrymis amariſſimis culpas admiſſas deplorare.

6. Sunt ergò licentioſorum exempla certus ad benè progrediendum obex adeò, ut plerumq; contingat modeſtiſſimum quemq;, propoſitiq; boni tena-

a S. Auguſt. Confeſſ. lib. 2.

ni tenaciſſimum, ſatis alacriter, impigreq; currentem veluti proſperrimo vento provectam navem in altum, ſed adhærentis remoræ tamquam potenti retinaculo repentè cohiberi, ſiſtique: &, ſi penitùs à religioſa vocatione non deficiant, hoc ſaltem ab ipſis impetrari, ut in religioſo ſpiritu fiant languidi, ſegnes, oſcitabundi; in omnem violandæ regulæ licentiam audaces. Idq; totum tribui debet libertatis, & licentiæ, quam vident in aliis, & quos juventus pro quibuſdam majoribus, ac potentibus habet, præſumptioni; vel, ſi mavis, prurigini, & amori proprio ſponte ſe inſinuanti. Quod tàm quotidiani caſus, & experientia luculentiſſimè docent in ijs, qui inſtar equorum oris duriſſimi nullo freno gubernari ſe paſſi jugum excutiunt obedientiæ, quàm vetera Chriſtianæ Eccleſiæ tempora, quantum ex annalibus Eccleſiaſticis advertere licet. Siquidem Euſebio Cæſareenſi Epiſcopo teſte, temporibus illius non aliundè populus malè vivendi ſumpſit occaſionem, quàm ex nimia principum Eccleſiæ, id eſt, Epiſcoporum in omne vitium effuſa licentia. Verba ſcriptoris huc adfero. a *Cùm enim nos*, inquit ille, *præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam eſſemus prolapſi; cùmque alij alios invidè maledictis inſectari, & propè nos ipſi inter nos* (intelligit Epiſcopos) *petulantibus linguis, tamquam mutuis armis oppugnare, & caſu aliquando verborum contumelias, velut haſtas, unus in alium intorquere, & præſides Eccleſiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum ſeditionem concitare occiperent, &c.* Cujus ſcriptoris teſtimonium benè ponderandum eſt; quomodò *Populus in populum ſeditionem concitare occeperint*. Quia videlicet ipſi *Præſides Eccleſiarum alter alterius vires infringebant*, & præ nimia quadam licentia in delicatam prolapſi mollitiem mutuis odiorum, ac linguarum armis in ſe debacchabantur: factum indè, quòd populus horum in Eccleſia potentum, ac principum exemplo, etiam ipſe parvam, aut nullam religionis habuerit rationem: ſed æquè petulanter,

a *Euſeb. lib. 8. hiſtor. c. 2.*

tulanter, ac diſſolutè viveret; mutuis odijs, & ſeditionibus ipſe quoque tumultuatus, nomen & religionem Chriſtianam tyrannis, idololatriſque redderet abominandam.

7. Idipſum pariter contingere ſolet peſſimo licentioſorum unius, & alterius in religioſis Inſtitutis, & communitatibus exemplo. Qui dum obedientiæ jugum excutiunt, inflati quodam animi faſtu per fas & nefas ſanctam regularum conculcant obſervantiam, religioſorum ordinum ornamentum; juventutem quoq; enormi libertatis uſu depravant, Inſtitutoq; ignominiam, contemptum, & obſcuritatem conflant, itá, ut præter domeſticæ diſciplinæ ruinam, etiam populo religioſus ordo reddatur exoſus, & ad improbitatem vulgo ſectandam notabile fiat incitamentum. Præceptum illud, quod dederat Moyſes Iſràélitico populo, de patibulati cadavere, dicens: [a] *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, &c. Et nequaquam contaminabis terram*: præceptum, inquam, hoc expendens Oleaſter, ſacrarum literarum interpres accuratiſſimus ſic ait: [a] *Terret me re verâ locus iſte, aſſerens; impium etiam mortuum, contaminare terram. Quid enim vivus faciet, qui mortuus non permittitur ſuper terram in ſuſpendio?* Sic ille. Ad hoc autem, quod dicitur: *Et nequaquam contaminabis terram tuam*, ſubdit Interlinearis: *Sordibus peccatorum*. Et eſt ſanè, quod terreat unumquemque; quando ne in patibulo quidem pendere diù permittitur cadaver, ne *Sordibus peccatorum*, ob quæ ſupplicium ſuſtinuit patibulatus, contaminet terram. Nam ſi terra contaminari poteſt tali cadavere, quantò magis homines alij, qui punitorum ſuſpendio ſcelera ſibi revocant in memoriam, poſſunt contaminari? Nimirùm in animos hominum, qui contemplantur ſuſpenſum, ejuſq; ſuſpendij cauſam, inſinuat ſe quædam contagio pravitatis, & improbitatis, aut ejus maleficij, propter quod pœnam ſubijt ſuſpenſus.

8. Jam mortuorum delicta ſi vim habent aliquam contaminandi vivorum animos,

[a] *Deut.* 21. 23.

[a] *Oleaſt. hìc.*

quid

quid non poterit laxa conscientia non tantùm licentiosè factis suis regulam concul-cantium, sed etiam toto spiritu, quem elatis supercilijs, ore fastuoso, præfracto gestu, spirant, & juvenum animis inspirant, regularem observantiam evertentium? Qua in re diabolus astutissimus est. Cùm enim sæpè modum non habeat alium, quo juvenum illaqueet innocentiam; eorum, qui aliquam arrogant sibi licentiam, & authoritatem, oculis obtrudit perperam facta, eaq; evulgat; ut hac ratione provocati, sibi quoq; licere persuasum habeant, quod isti, & illi seniori, majoriq; se: vel, etsi fortasse pari, tamen aut impunitatem præsumenti, aut pœnam audacter detrectanti subire. Facit hoc in genere vaferrimus inimicus, quod olim Philisthæi. Qui postquam cum ingenti clade Israëlitici populi regem Saul prostraverunt, & tres ejus filios, reperto regis exanimati cadavere [a] *Præciderunt caput Saul, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.* Ità regum historia. Quæri potest hoc loco: Cur Philisthæi non etiam præciderunt capita trium filiorum Saul, qui cum infelici patre ceciderunt in eodem prælio? sed tantùm solius regis, ut ea quoque mitterent per terram circumferenda? Solvit hanc quæstionem ad propositum nostrum sapientissimè Stephanus Abbas, & dicit: [a] *Capita minorum non præciderunt, nec miserunt per circuitum, ut annuntiaretur. Ad hoc enim tendunt maligni spiritus, ut peccatum majorum divulgetur; ut sic minores eorum peccent exemplo.*

9. Dictum appositissimè Innocentes erant tres filij, & alij; solus eorum pater Saul noxius, & Dei mandatorum contemptor. Hujus igitur circumferebatur caput, & annuntiabatur in populo prævaricatio Philisthæis ignota minimè. Refricabant igitur ipsorum memoriam delicta Saulis; quomodo Sacerdotes omnes, & eorum urbem in Israël deleverit; à vero Deo recedens ad pythonissam confugerit pro oraculo; & alia plura ejus ino-

[a] 1. Re. 31. 9.

[a] *Steph. Abb.*

bedientiæ peccata, quorum ex regis interempti viso capite recordatione facilè Philisthinorum populus ad majorem veri Dei contemptum tanti regis exemplo fuerit provocatus: quorum nihil penitùs ab innocentibus ejus filijs didicissent. Et notandum venit præcipuè, quod additur in hac historia: *Vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.* Nam licentiosorum arrogantia, & fastus, ipsa se annuntiant in templo, in pulpitis, & in exedris; quando ex eorum verbis, gestibus, & dicendi modo, quo vanam in populo venantur gloriam, profectò non religiosum spiritum, sed superbiam, & vanæ gloriæ fumum, diabolo tunc maximè laborante, juventus, & auditor legit: quando in populis sivè in communi cum suis, sivè cum alijs etiam sæcularibus consessu, & consortio, quem circumferunt animo, dissolutum spiritum, ac mores, eosdem etiam per factum tamquam in foro scrutario venales, aut in edito theatro spectandos exponunt. Et ità qui suam ipsorum, invalescente licentiâ, negligunt perfectionem, facilè juvenum etiam animis exemplo suo pravo neglectum & audaciam instillant, ut hac ratione seducti fervorem, ac spiritum sensim deperdant, & in via religiosæ perfectionis minimè progrediantur.

§. III.

[a] *Religiosus extra disciplinam vivens, gravi patet ruinæ.*

1. Titulus huic paragrapho præfixus, est ex pronuntiato magni illius Magistri Spiritûs Thomæ à Kempis, qui præter alios infelices casus, quos licentiosi, & disciplinæ prorsùs impatientes plerumq; subeunt, hunc etiam non temerè vaticinatur, Religioso extra disciplinam viventi, quòd gravi pateat ruinæ. Cujus gravitas vel ex hoc æstimari debet maxima; quòd Dei gratiam, quæ omni præstat thesauro, sensim & per gradus sibi minuat; tandem etiam lapsus in graviorem, eamq; mortalem culpam penitùs amittat; jamque gratiâ destitutus semper im-

[a] *Tho. à Kemp. de imit. Christi l. 1. c. 11.*

mergatur

mergatur profundiùs in animæ perdendæ labyrinthos inextricabiles; & ità miserè debeat interire, nisi resipiscat, ad quod iterùm opus est peculiari Dei gratià non omnibus concedi, talibus autem singulariter majorem in pœnam negari, solita, qui voluntate magis, quàm imbecillitate, disciplinæ virgam, & observantiam regularem contemnunt : ritus Ordinis, & religiosè vivendi præceptiones æstimant tanti, quanti telam aranearum. Et permittit Deus illos, apud quos exolescit disciplina, in tale periculum, aut etiam in ipsam perditionem, ruere propter tres præcipuè causas.

2. [a] Prima est; quòd dum admonebantur in parvis evitandis, & emendandis, contempserint admonentem, & tanquam nimis anxiæ scrupulosæq; conscientiæ hominem rejecerint, & reijciant adeò, ut subindè contingat, si vel moneantur, vel ex occasione quapiam feratur sermo de re perperam, & contra regulæ præscriptum facta, vel non facienda: v. g. de vestitu non ità comptè, & ad vanitatem compositè gestando, vel ex plus justa latitudine de industria procurata, postmodum in strias artificiosè contrahendo; quali S. Franciscus olim indutus ex proposito in altero ordinis à se recens instituti Religioso publicè, sed & lepido, seu potiùs fastuoso corporis habitu, & incessu reprehendit; vel nimis angustis manicis, & patagio (collare, sed impropriè, vocamus) adeò quidem ad quamdam elegantiam stricto, ut & manus, & collum pariter ad elegantiam (sic videtur ipsis) extendi debeant, habitus ab humilitate religiosâ prorsùs alienus; de zonulis, & ligaminibus corrigiarum loco simplicium, non sericis, aut aliàs aliquo colore splendicantibus adhibendis; de fibulis, aut glandulis ad claudendum ante pectus (uti in nostro Instituto) vestem, non admittendis alijs, quàm ligneis, sicut nostra præscripit Constitutio; de strophiolis, sivè sudariolis, & interulis non ex subtiliore tela byssino cuidam simili, sed ex communi, modò non stu-

[a] *Prima ruinæ causa.*

paria, vel canabina, quamvis & hæc Religiosum pauperem nihil dedeceat, nec ipsum ejus pudere debeat, usurpandis; de non manducando, bibendoq; sine facultate Superioris extra prandij, cænæq; tempus, aut extra domum: de non mittendis, aut recipiendis schedulis, aut literis, nisi priùs exhibitis Superiori, vel illi, cui Superior commiserit; de nimia cum extraneis, aut domesticis etiam, præcipuè verò cum mulieribus ad claustri portam, vel ubicunq;, familiaritate vitanda, & de alijs ejusmodi plurimis, quæ videntur parva, neque digna animadversione quapiam, & correctione.

3. De his, inquam, & similibus, aliqui si moneantur, reprehendanturq;, vel occasione quapiam oriatur sermo vitandis, adeò illi, apud quos exolevit amor disciplinæ, feroces, & audaces sunt, ut statim impudenter respondeant: hæc, & his similia reprehendere, vetare, non admittere, esse nimiæ sanctitatis, nec adverti, quod monet Ecclesiastes: a *Noli esse justus multum*. Sufficere Religioso, in graviora non impingere; Fundatorem ordinis ex abundantia spiritûs, ac fervoris, minutias istas, & levissimas apinas inseruisse Constitutioni: nunquam autem, si benè se reflexisset, illius futuram fuisse mentem, ut hæc ad amussim in sua vigerent observantia. atq; sit demùm utcunque; nullum esse peccatum, ne veniale quidem, hisce minutioribus (ut dicam ità) reculis contravenire. Hæc licentiosorum communis esse solet vox. Et dum sapientiores volunt esse Spiritu Sancto, quo inspirante, docenteq; Constitutiones sunt scriptæ, permittit Deus ipsos hærere in mundana sapientia sua, tandemq; etiam ex parvis contemptis incidere in graviora peccata, non jam intra Claustri parietes, uti solent parvi defectus, occultanda; sed cum ingenti sui nominis ignominia, sæpè etiam cum claustri totius, Ordinisq; religiosi derogatione, ac detrimento, foràs in vulgus evulganda.

4. Evulgandi verò, vel evulgati delicti causa est hæc. Quia bonum, quod aliquando

a *Eccle*. 7. 17.

fecit, vel facit, ut plurimum exercetur occultè, sine teste, solo tantùm Deo, & se testibus; uti fiunt occultè, corporis afflictationes aliquæ graves, jejunia, chameuniæ, & id genus aliæ castigationes. fiunt hæc intra cellæ quatuor angulos, sine socio. Sed graviores lapsus, & culpæ, in quas incidunt licentiosi, licet occultissimè fiant, & obscurissimâ nocte, loco quoq; quamtūlibet ab arbitris remotissimo, non tamen admittuntur sine socio, sine teste, sine (quod dicimus) complice uno, vel altero; qui vel ut se laudet, vel alterum in simile flagitium ut ab exemplo faciliùs inducat, præterquam quòd personam, ac nomen prodat ejus, cum quo peccatum admissum est, solet etiam ad magis persuadendum egregiè mentiri, fingere, & supra modum lenocinando exaggerare. Atque hæc prima, cur ex levium contemptu defectuum licentiosi ruant in graviora, causa; quam videlicet superiùs attuli; quòd nimirùm contempserint admonentem.

5. Altera ruinæ talibus imminet causa ex eo, quòd certissimum sit; eos, qui voluntate committunt, & contemnunt levia, lapsuros in peccata gravissima. Quod ipsum liquidò patet tàm ex jam proximè, quàm alibi, dictis. Cùm enim Dei gratiam semper in se minuant per culparum venialium contemptum; hæc accumulatio sic ad mortalem disponit, ut etiam ex contracto habitu contemnendi parva, sensim incipiant spernere, ac demùm etiam patrare gravia. Tùm verò peccatum unum excipit alterum in pœnam primi per contemptum admissi. Id quod S. Augustinus disertè docet, cùm ait: [a] *Crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantùm sunt tormenta; sed & vitiorum incrementa.* Item scribens in illum Psalmi versiculum: [b] *Supercecidit ignis &c. Inter primum*, ait, *peccatum apostasiæ, & ultimam pœnam ignis æterni media, quæ sunt, & peccata sunt, & pœna peccati.* Hinc & Magister sententiarum; [c] *Peccatum*, inquit, *quod ex peccato oritur, non solùm peccatum, sed &* pœna

a S. August. contra Iulian. lib. 5. cap. 5.
b Psal. 57. c Petr. Lomb. l. 2. dist. 16. lit. C.

pœna peccati, eſt. Et rationem addit: *Quia juſto judicio Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alia cadat. Quem enim liberare noluit, deſerendo percuſſit*. Similiter Hugo de S. Charo expendens ſuperiùs recitatum Pſalmi verſiculum premit verbum hoc, *Supercecidit*, atq; ad idem propoſitum noſtrum ait: [a] *Et nota, quod dicitur, ſupercecidit, & non dicitur, cecidit. Quia inter primum peccatum ſuperbiæ, & pœnam gehennæ, ſunt peccata media, quæ ſunt præcedentis*.

6. Jam verò Dominus Deus alioqui Pater optimus, & miſericors, & totus ipſa bonitas, cur miſerum hominem permittit in tàm gravem ruinam ire præcipitem, ut lapſus in peccatum unum, poſteà labatur in alterum, imò in plura peccata mortalia, peccati pœnas gehennâ graviores? Reſpondet huic quæſtioni ipſe Spiritus Sanctus apud ſapientiſſimum Salomonem, ubi parùm diſciplinatis ità comminatur: [b] *Eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieverint conſilio meo, & detraxerint univerſæ correptioni meæ: Comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſq; conſilijs ſaturabuntur*. Id eſt: Quoniam inflati ſuperbiâ correptiones, & ſalutaria monita, quibus Deus ipſorum licentiam modò per Superiores, modò per inſpirationes, jam per Conſtitutionum lectionem, jam per aliam viam ſæpè corripiebat; ſæpè etiam refricabat memoriam beneficij vocationis ad Religionem; admonebat, & reprehendebat morum diſſolutionem; indomitas paſſiones, & infrunitum animum coarguebat. Sed ipſi quid? *Exoſam habuerunt diſciplinam, detraxerunt univerſæ correptioni* Dei per Superiores, & per alia media adhibitæ, eamq; tamquam inutilem, & ſupervacaneam, vile habuerunt: idcircò juſto Dei judicio *Comedunt fructus viæ ſuæ* peſſimæ, *ſuiſq; conſilijs* impiis uſq; ad nauſeam ſaturantur, quando præcipiti ruunt impetu de licentia in petulantiam, de peccato in peccatum, de flagitio in flagitium, de flagitijs in ſacrilegia, & ità continuè ſibi pœnas accumulant; dum pecca-

a. Hugo in Pſal. 57. b Prov. 1. 26.

peccatum altero, rursumq; altero peccato quasi catenatim punitur, & in modo peccandi modum, ac finem nullum ponunt. Hic est fructus viæ, quam Religiosus in licentiam effusus ingreditur, & terit, peccatorum ineluctabile quoddam præcipitium.

7. Verùm de hoc, si Deo visum fuerit, alibi plura. sufficiat hìc licentiosum monuisse; quàm terribili mortaliter peccandi periculo non semel, sed pluries, idq; semper in graviorem pœnam, obnoxius fiat; dum per levium culparum contemptum non ponit, aut statuit sibi modum ad frugem redeundi. Sed sicut mulier ad stamen sedens assiduè manibus, ac digitis in teretes, tortosq; fusos aggregat fila; sic iste ex licentiosè vivendi materia demùm in mortalem prolapsus culpam trahit unius iniquitatis filum in longius aliud, illoque miseram animam, & conscientiam suam, instar fusi, semper in plura flagitia contorquet, & onerat. Id quod de talibus graphicè tetigit regius Vates, ubi sic ait: [a] *In terra injustitias manus vestræ concinnant.* Id est: ex una iniquitate & injustitia, nequiter, & impiè operando, plures trahunt, & congregant iniquitates.

8. Tertia majoris adhuc ruinæ accedit causa. Quòd alios in claustro juniores (sicut & alibi jam dictum est) exemplo suo destruant licentiosi, destruunt, inquam, ac præcipuè Novitios (si quid in horum oculos incurrat) non solùm à fervore spiritûs, verùm etiam à susceptæ vocationis deturbant statu, non tantùm jam ut in licentiam effusi, sed etiam ut insigniter scandalosi. Quo peccato (nimirùm scandalo) quid gravius; aut quæ major dari potest ruina? Cadit miser cum licentiosa vita sua; cadit & alter ex infirmitate; cadunt plures unius exemplo pessimo provocati. Non sine causa Christus admonuit discipulos, ne quis audeat pusillos scandalizare, dixitque: [a] *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* In qua Christi

[a] *Psal.* 57. 3.

[a] *Matth.* 18. 6.

Domini ſententia duo veniunt conſideranda. Primum; quinam illi ſint puſilli, minimè ſcandalizandi. Alterum; cur expediat ſuſpensâ molâ aſinariâ in collo demergi ſcandalizantem? Primum quod attinet; ipſe Cœleſtis Magiſter Chriſtus explicat: ſe videlicet non magis intellexiſſe parvulos ætate, quorum tunc unum advocaverat, & in medio diſcipulorum ſtatuerat; quàm fideles puſillos adhuc virtute, fide, juſtitiâ; & propterea diſertè dixit; *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt.* Nam illi parvuli propter ætatem nondum erant ſolidæ fidei capaces, aut virtutis. Sed benè parentes illorum, qui parvulos ad Chriſtum adducebant, & recens ad fidem acceſſerant: hi erant puſilli, minimè ſcandalizandi: ſicut egregiè S. Ambroſius explicat, cùm ait: a *Non labuntur* (id eſt; non ſcandalizantur) *illi, qui tanguntur à Chriſto; non labuntur, qui Chriſto propinquant. Sed labuntur illi, quos puſillos non ætatis exiguitas, ſed virtutis puſillitas fecit.*

9. Ita Religioſo moribus diſſoluto ſcandalizante; non ſcandalizantur, neq; labuntur illi, qui jam diuturnitate profeſſionis ſpiritum, & ſenſus habent ad diſcretionem boni, & mali, exercitatos, & Chriſto Domino virtutis exercitatione ſemper magis, ac magis appropinquant. ab eoq; miſericorditer tanguntur, & firmantur ad perſeverantiam. Sed ſcandalizantur, & labuntur illi; qui virtutis exiguitate, religioniſq; profeſſione puſilli ſunt, Novitij, juvenes per vota nuncupata recens in profeſſorum feliciter aggregati conſortium, iſti à Chriſto Domino nondum uſquequaque contacti, nondum in virtutum exercitio ſolidati, virtutis puſillitate parvi, & infirmi, ô quàm facilè pravis exemplis & ipſi depravantur! quàm facilè ſibi quoq; licere putat juvenis, quod licentioſus antiquior, auctoritate quâdam præſumit uſurpare! Labitur infirmitate juventus novitia, quantum ad ſpiritum; labitur tandem, & excidit etiam vocatione. a *Puſillorum eſt* (ait idem S. Ambroſius alibi) *exagitari ſcandalo*; id eſt, turbari, titu-

a S. Ambr. to. 5. lib. 8. in Lu. c. 18.

a S. Ambr. ſer. 21. in Pſal. 118.

ri, titubare, tandem & cadere. Et paucis interpositis: *Sicut*, inquit, *graviori supplicio dignus est, qui persuaserit crimen infantulo, & incautam præcipitârit ætatem, ità qui invalidum, & insipientem, & improvidum circumscripserit persuasione erroris, aut exagitatione cordis, affectum.* Invalidus, & quodammodò adhuc insipiens, ac improvidus affectus est tyronum, ac juvenum tàm ætate, quàm spiritu: jam his exemplo si pravo (plus, si & verbo) licentiam quis persuadeat, eorum affectum exagitet, ac perturbet licentiosius; næ iste gravissimæ pœnæ coram Deo fit obnoxius; & *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Cur autem ità?

10. Est hæc secunda ad Christi Domini sententiam, spectans ad alterum hìc considerandum quæstio. Intercedunt autem huic interrogationi solvendæ magni nominis in Ecclesia Doctores: & imprimis S. Joannes Chrysostomus affirmat; hoc â Christo Domino dici in majorem pœnam illorum, quibus hoc ipsum, quod ministrare debuit vitam, ministrat mortem. Dicit ergò: [a] *Lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit; panem piè laborantibus ministrat. Benè ergò illi, qui elegit minister scandali magis esse, quàm pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Sit hoc ad propositum fortasse nostrum. Quia Religiosus, cui sancta professio debuit esse causa salutis, eâ per licentiosam vitam abutitur ad damnationem, sæpiùs etiam ad alterius, quem exemplo pessimo suo destruxit, ruinam. Sapientissimè senserit, ac pronuntiârit, aureum Os. Attamen hìc adhuc sistere non possum. S. Maximus in sermone quodam, qui decimus habetur inter sermones S. Ambrosij, dicit; ideò molam asinariam ad collum suspendendam esse scandalizantis; ut lapidem portet in collo, cui grave fuit portare jugum Christi. Verba maximi Præsulis adfero: [b] *Cui mola asinaria ad collum suspenditur,* inquit,

[a] *S. Ioan. Chrysost. serm. 27.*
[b] *S. Maximus apud S. Ambros. ser. 10.*

quit ille; *portat lapidem, qui portare debuerat jugum Domini.* Nec hoc quidem extra materiam noſtram. Quia enim licentioſo arduum eſt, imò etiam (ſicut videtur ipſi) ignominioſum portare ſuave jugum Chriſti, quod ipſi religioſa imponit diſciplina; portet igitur molam aſinariam, & fiat inſtar aſini magis contemptibilis, & ignominioſus ſæculo per revelatam ipſius ſuperbiam, qui noluit eſſe coram Deo glorioſus in Religione per humilitatem. Grave fuit ipſi exiguam ligilli ſchidiam indicio frenandæ linguæ, tenendiq; ſilentij ad collum portare ſuſpenſam; ſit jam graviſſimum, & ignominioſiſſimum alligatam ad collum ſuſtinere molam aſinariam, & in ſæculi, vitiorumque profundiſſimum pelagus immergi. Et ità verè *Portat lapidem molarem, qui portare debuerat jugum Domini.* Toſtatus inſuper Abulenſium Præſul aliam hujus aſinariæ molæ ad collum ſcandalizantis ſuſpendendæ rationem adfert. Nimirùm Chriſtum Dominum id dixiſſe ad audientium terrorem; eò quòd pœna major non detur pro ſceleribus, quàm iſta. Dicit igitur: *a Pœna, quæ datur à Deo ſcandalizantibus proximos, major eſt, quàm maxima pœnarum, quæ datur pro criminibus, & ità eos terret.* Dictum ſit igitur ad ſcandalizantium terrorem, eò quòd hæc pœna magnitudine ſuâ ſuperet pœnam pœnarum omnium maximam.

11. Cæterum ad explicandam Chriſti Domini ſententiam quidquid à Sanctis hiſce Doctoribus hucuſque dictum eſt; ſanctè prorſus, & ſapientiſſimè dicta ſunt omnia. propoſitæ tam noſtræ quæſtioni reſponderi poſſe putarem etiam ità: Quòd ſufficeret quidem in profundum maris aliquem propter ſcelus obnoxium pœnæ ſubmergi ſine tam gravi onere, qualis eſt aſinaria mola, ad collum alligato; cùm æquè nullus ſuppeteret ſalvandi ſui modus, ac præſertim manibus, pedibuſq; ligatis, vel etiam aliquo ſaxo minore, quàm ſit aſinaria mola, ad collum ſuſpenſo: tantùm aquis offuſum jam in illa profunditate neceſ-

a Abulen. q. 34. in c. 18. Matth.

ſe foret

ſe foret perire. Sed quia ſcandalizans, præterquàm quòd ipſe ſit cauſa perditionis ſuæ, plures etiam alios in eamdem trahit perditionem : ideò ſupplicio quidem uno mortis, peccata ſua luit propria, propter quæ mergitur in profundo maris : altero verò luit pœnas etiam aliorum, ſcilicet eorum, quibus ipſe fuit ſcandalo, ſecumq; in peccatum, & in ruinam traxit. Et ità ſupplicio alligatæ in collo molæ aſinariæ pœnam majorem quacunque aliâ pœnarum maximâ patitur ſcandalizans, dum ſua ſimul peccata luit, & aliena. Levius enim erat pro ſuo tantùm ſcelere pœnam ſubire leviorem, quàm pro alienis plura ſupplicia ; quæ propterea dicuntur unum ſupplicium majus omnium ſuppliciorum etiam maximorum.

12. Vel, quod magis appoſitè videtur, ad illud, quod dictum eſt ſuperiùs ex Deutoronomio de patibulati cadavere, non permiſſo pendere in ligno, ſed eadem die ſepulto, terræq; infoſſo propterea, ne contaminaret terram ſordibus peccatorum. Ità ſcandalizans puſillos, alligatâ ad collum molâ aſinariâ, onere nimirùm graviſſimo, ſubmergendus eſt in profundo maris, ut merſus & hauſtus aquis, immaniſſimo gravatus onere non poſſit ampliùs etiam poſt mortem in littus eijci (ſiquidem mare nullum cadaver in ſe patitur) & ſic ejectus ab hominibus videri, & videntium animos peccatorum ſordibus contaminare. Hoc itaq; licentioſus, & in deſideria ſuæ voluntatis effrenatus, non conſiderat, nec habet penſi; quanto periculo, ruinæ, ſupplicioq; ſe facit obnoxium, dum innocentibus Novitiorum, aliorumq; juvenum animis eſt ſcandalo, & occaſio ruinæ, conſequenter tàm juventuti, quàm ordini toti cauſa mali nominis, & ignominiæ, atq; perditionis. Utinam autem non experturus perditionem cum ſera pœnitentia, quâ negligit juſtum judicem Deum præoccupare.

13. Sapienter idcircò, & ad eorum, quæ jam ſunt dicta, propoſitum appoſitiſſimè Euſebius Emiſſenus ; [a] *Quando a-*

[a] *Euſeb. Emiſſ. hom. de initio Quadrageſ.*

liquis

liquis, inquit, *peccat sub conscientia, ac destructione plurimorum, de pluribus incurrit reatum; & quantum per unius membri vitium serpit late diffusum in reliqua membra contagium, tantùm in auctorem suum multiplicis mali recurrit augmentum: & quantos destruxerit, de tantis sibi materiam damnationis congregabit. Commisso enim pessimo opere, contristantur boni, subvertuntur mali; utinam non etiam boni! Nimis enim penetrabile telum est, imitatio deteriorum.* Jam si *commisso pessimo opere, contristantur boni, subvertuntur mali*, quid si etiam subvertantur boni? Et contingit hoc facillimè, quòd boni subvertantur; videlicet innocentes animæ Novitiorum, ac juvenum: qui nondum in spiritu solidè fundati, cùm, naturâ semper in malum inclinante, bulliente quoq; sanguine sint ad licentiam proni, facilè sibi persuadeant, etiam sibi licere, quod alij prudentiores, & professione antiquiores, quin & æquales, ob proterviam faciunt vel impune, vel ità security ferociter, ut jam coërcendis neque correptio sufficiat, neque pœna.

14. Hujus in Novitijs, juvenibus, ac parùm in spiritu fundatis ex licentiosorum insolentia ruinæ materiam considerandi præbet Regum historia, vel potiùs ejus historiæ paralipomena; quæ narrant; quòd occisis in prælio Saul, & tribus filijs ejus, [a] *Viri Isràël, qui habitabant in campestribus, fugerunt, & dereliquerunt urbes suas; & huc, illucq; dispersi sunt: Veneruntq; Philisthijm, & habitaverunt in eis.* Adeò nimirùm regis Saul, & filiorum ejus interitus consternaverat populum Isràël; ut relictis civitatibus suis omnes aliò profugerint, & in diversa dispersi reliquerint eas etiam munitissimas hostibus in prædam, & possidendas; quas Philisthæi sine habitatore repertas occupârunt, possederunt, & inhabitârunt. Jam quæ causa fuit tantæ confusionis, & consternationis in Isràël, ut vel ipsi etiam fortissimi viri ad urbium defensionem animos abjecerint, & huc, illucque dispersi fuerint fugitivi? Non alia profectò, quâm quòd in duobus

a 1. Par. 10. 7.

illis

illis Saule, & Jonatha ejus filio totum existimârint fuisse positum Isràëlitici populi robur. Horum duorum fortitudine, in quam universus Isràël oculos, & animos intendebat, regni totius, & populi niti videbatur salus, & tamquam fortissimo clypeo secura defendebatur. At postquam in Gelbòé montibus [a] *Abjectus est clypeus fortium* (uti suo in lesso lacrymis amarissimis eam cladem deplorabat David) *Clypeus Saul*; *Saul, & Ionathas, aquilis velociores, leonibus fortiores : ceciderunt fortes in prælio, & perierunt arma bellica*; virorum omnium omne robur pariter cum his, & in his duobus concidisse existimabatur : & ità viri quoque reliqui relictis urbibus fugerunt, *Et huc, illucq; dispersi sunt*. non jam tantùm imbelles, & timidi pueri, ac mulieres ; sed etiam viri ; & quidem *Viri Isràël* illi, *qui habitabant in campestribus*, armis, bellicisque laboribus assueti fugerunt, & desperatis rebus omnibus, ac salute, *Derelinquerunt urbes suas*, eò quòd diffiderent viribus suis ; nec arbitrabantur se jam sufficere urbium, & patriæ defensioni; postquam *Abjectus est Clypeus fortium, & aquilis velociores, leonibus fortiores* interierunt.

15. Figura concidentis spiritûs, & vocationis religiosæ. Quando illi, qui tamquam columnæ quædam Instituti videntur, quâ doctrinâ, quâ prudentiâ, quæ cæteris magnis qualitatibus, & fortassis apud imperitos subindè plus opinionis est, quàm reperitur in rei veritate ; sed quia nihilominùs ità juventus persuasum habet de ipsis, quòd sint quidam domûs, aut Instituti religiosi, quod profitentur, Clypei ; quando, inquam, isti posteà deficiunt in quamdam licentiam, & videt ipsos juventus sibi plurimum indulgere ; in vita spirituali deficere, tamquam inclytos, ac fortes in spirituali pugna succumbere, & occūbere, tanquam his tantis viris (ipsorum opinione) in scandala prolapsis tota disciplina, & status perfectionis, ac professionis religiosæ ruere debeat ; ipsi pariter aut despondent animos ad perseverandum in

[a] 2. *Reg.* 1. 21.

eo, quod benè cæperunt; aut sibi quoq; perindè vivendum esse definiunt, atque illis; & ità concidunt in religioso spiritu, in sua vocatione, in omni deniq; profectu; virtutumque loco dant locum vitijs; occupant animos eorum peccata; tandem etiam veluti fugitivi, aut etiam verè fugitivi, deserunt virtutum studium; deserunt & ipsam vocationem. Id quòd apposité super commemoratum superiùs historiæ textum advertit Glossa Ordinaria, cùm dicit: [a] *Videntes indocti* (addamus etiam nos, imperiti, juvenes, & in spiritu religioso tyrones) *videntes*, inquam, hi *Magistros suos certamine spirituali victos, à prisca constantiæ suæ sede fugantur, majorum ruinâ turbati; opera virtutum, & munimina scientiæ spiritualis, quæ habuerunt, amittentes; veneruntq; peccata, & cuncta ab eis studia virtutum perversâ habitatione corruperunt; veneruntq; immundi spiritus, & corda, quæ fidei*, religionis, & devotionis *constantia deseruit, occupaverunt.* Hucusq; Glossa.

16. Nec vacat adhuc ulteriore mysterio, quòd Christus Dominus ad discipulorum quæstionem, quisnam esset major in regno Cælorum, advocato parvulo, fecerit mentionem ætatis hujus tenerrimæ non scandalizandæ. Non enim dixit simpliciter: *Qui scandalizaverit* aliquem, sed *Scandalizaverit unum de pusillis*. Jam quare Dominus huic sermoni suo pusillos inseruit, & non potiùs etiam viros? Quæstionem hanc movet primus (uti pronum est animadvertere) doctissimus Sacræ Scripturæ textuum scrutator Josephus Mansi, & ipsam pariter solvit. Ideò videlicet hujus potiùs, & non alterius ætatis meminisse Christum; quòd scandala, & exempla mala nullam ætatem magis afficiant pernicie suâ, quàm juvenilem. Do viri in scrutandis sacrorum textuum arcanis accuratissimi verba: [a] *Quare*, inquit, *hujus potiùs, quàm alterius, meminit ætatis?* Et respondet ipse. *Quia scilicet scandala, & mala exempla, admodùm perniciosa sunt primis juventutis annis.* Et dicit sapientissimè. Nam juventus in omnem qualitatem, sed præ-

[a] Glos. Ord.

[a] Jos. Mansi to. 2. tract. 23. num. 9.

ſertim in vitium, cerea ſicut citò concipit, ac diſcit, quod videt in majoribus, ità difficillimè posteà deſerit, quod ad juvenilis ingenij placitum ſemel didicit à licentioſis; ideoque ſcandala, & improbitatis exempla juventuti valdè perniciosa ſunt, adeò quidem, ut miraculo ſit affine, ſi juventus viſis exemplis ejuſmodi malis etiam non corrumpatur, & in eadem opera mala, quæ fieri videt à majoribus, ipſa quoq; non conſentiat, eaq; patret.

17. Hinc non ſine cauſa divinus teſtatur codex; eo tempore, quo Core, Dathan, & Abiron principes populi perierunt hiatu terræ, filios eorum per miraculum unà cum ipſis non etiam periiſſe. a *Et factum eſt grande miraculum* (Numerorum notat hiſtoria) *ut Core pereunte filij illius non perirent*. Hic quæri poteſt, in quonam illud *Grande miraculum* vim ſuam habuerit, *Vt pereunte Core principe cum alijs*, adoleſcentes, ac juvenes *Filij illius non perirent?* Hebræi reſpondent quidem, illius energiam miraculi in eo fuiſſe, quòd pereuntis infeliciſſimi patris horrendo caſu ſuſpenſi manſerint in àére ſuper hiatum illum terræ, donec iterùm terra coiret in locum priſtinum. Et non eſt incredibile, Deum id prodigij tunc coram populo Iſràél exhibuiſſe propter conſervationem innocentium juvenum, qui crimini patris non intercesserant: Attamen ejus miraculi vim in eo potiùs Sacra Scriptura poſuerit; quòd peſſimo patris exemplo non fuerint etiam deſtructi filij, nec murmuraverint contra Moyſen, nec in ſeditionem cum ſeditioſo ſint verſi. Undè commemoratus jam Manſi: a *Culpæ participium*, inquit, *non contraxerunt*; *quod eſt rariſſimum miraculum*.

18. Fuerit ergò *Grande miraculum*; filios Core adoleſcentes incolumes ſervatos fuiſſe pendulos in àére, miſero patre pereunte. Sed miraculum hoc fecit Deus propter aliud miraculum grandius, quòd juvenes ijdem culpæ participium non contraxerint. Sic juventus in tyrocinio, vel poſt profeſſionem in ſtudio, ſi videat majores alios, (& avertat Deus, magi-

a Num. 26. 10.

a Manſi, ubi ſup.

magistros indulgentes in aliquo sibi) si videat, inquam, majores alios, imò si in societate suâ saltem unum habeat dissolutum, licentiosum, pravis imbutum moribus, inquietum, inordinatis affectibus frena laxantem, citiùs ab hujus unius pravitate depravabuntur plures alij, quàm ab aliorum plurium modestia, sedula disciplinæ exercitatione, & probitatis exemplo. Nam doceat tyrocinij Magister; inculcet Superior; vellicet conscientiam librorum spiritualium lectio: dico plus; urgeat divini spiritûs interior instinctus: hæc cùm ad profectum juventuti summè sint necessaria; semper tamen majoris efficaciæ sunt exempla, mores, & vita. Quæ si prava sint, ad pravitatem discentium juvenum acuunt ingenia, tamquàm naturâ potiùs, quàm arte, flexibilia. Quod observavit egregiè S. Isidorus, cùm ait: [a] *Neque docentium oratio perindè animos acuere solet; ut vita, & mores.* Sit major doctus, sit eruditus senior; sed si licentiosus, dissolutus, & animo infrunitus, ac pravis moribus: hos citiùs, agendo malè, juvenibus instillabit, quàm ad virtutem accendet per multas præceptiones edocendo. Vita, & mores efficaciores præceptores sunt ad permovendos animos ad malum, quàm eruditissima præcepta ad virtutem.

[a] *S. Isidor.*

19. Cæterùm sit omnium, quæ dicta sunt hoc paragrapho, Conclusio: quòd, exemplum malum in juventutem vitiorum capacissimam cùm serpat contagio quodam, non sit dubium, quin idcircò Religiosus extra disciplinam vivens gravi pateat ruinæ; eò, quòd non solùm suam, sed alterius etiam, imò plurium aliorum animas secum in exitium trahat. Cui certè sufficere deberet una Christi Domini sententia dicentis: [a] *Qui scandalizaverit unum de pusillis, expedit ei; ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Ac tandem etiam terribilis, & inevitabilis illa comminatio: [a] *Væ! homini illi, per quem scandalum venit.*

[a] *Matth. 18. 7.*

CAPUT

CAPUT III.

§. I.

Non sola morum improbitas; sed & commoditatum conquisitio, dissolutionis, & licentiæ locum obtinet.

1. QVæ superiore capite dicta sunt de licentia, seu dissolutione per ingenij ferociam non sine juventutis, imò sæpè totius etiam communitatis offendiculo, invalescente; ea quidem aperta sunt religiosi spiritûs, & vocationis pernicies, ac ruina: sed est occultius adhuc aliud dæmonium non minùs exitiosum Religioni, quàm alicujus adversus observantiam per ingenij fastuosi palàm ferocientis audaciam contumacia. Et quò pestis hæc occultior est; eò magis, & securiùs in exitium serpit. Nam illa, quæ palàm per insolentiam fiunt, vel religiosa coërcet disciplina, & Superiorum animadversio; vel etiam ipsum in se furit, seque ipso allidituir, ac se perimit malum; vel passim explosa risu licentiosi temeritas authoritatem amittit. Sed quæ sævit occultè licentia certo velata pallio, tantò nocet magis, & est perniciosior; quantò blandiùs, sibi lenocinatur, conquirit etiam, procurat, & impetrat in sui defensionem patrocinium. In hanc autem occultam dissolutionem impingit ille Religiosus, qui cæteroqui modestus, taciturnus, & quietus est; eò quòd naturâ phlegmaticus, aut melancholicus, non habeat eam vivacitatem, & excitatam ad insolentiam indolem; quam habent alij, quos indoles ipsa, naturaq; festivos, excitatos, ad fastum, & ambitum quemdam, ad contentionem, & rixas pronos edidit. Sed interim ea modestiâ, taciturnitate, morumque compositione, si non potiùs morositate, naturâ magis adstipulante, quàm per disciplinæ exercitium comparatâ amore proprio plenus, ingenio laborat vehementer ad commoda, seu commoditates corporis, inclinato, adeò quidem, ut in cibis, in potu, in vestitu, in lectisternijs, in sudariolis, & interulis, in omnibus deniq; re-

bus, quas Religiosus habere potest, ac debet, ad usum necessarijs, esse velit eximius, singularis, & supra cæteros, specie quidem necessitatis, & tuendæ valetudinis; at reverâ communium Religiosis alijs utensilium fastidio.

2. Nimirùm delicatè, fastidiosèque se gerit in omnibus; & cùm alius alia sæculi commoda, quæ in paterna domo forsitan usque ad nauseam habebat, deseruit; alius ne ipsa quidem victui, vestituique necessaria forsan habuerit, nec habuisset, jam in Religione ille quidem erga minutiora magis afficitur, & certis crepundijs animum oblectat; iste supra, quàm ejus conditio fert, & professio religiosa, delicatiùs, & comptiùs indulget sibi. Quam in rem egregiè Cassianus apud Rodericium scribentem de Exercitio perfectionis: a *Nescio*, inquit, *qualiter rem ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam usuvenit, exponam. quòd, postquàm facultates omnes, & divitias, quas in mundo habebant, generosè dimiserunt, tanta tamen in Religione erga reculas, & minutias contemptibiles, solicitudine, & studio ferantur, ac supervacaneas, & impertinentes commoditates tàm efflictim consectentur: ut harum cura nonnunquam pristinarum omnium facultatum superet passionem.* Qua in re satis se prodit inordinatus affectus, & philautia; parumq; prodest, in rebus ejusmodi per omnia delectum, & exemptionem cum fastidio quærentibus magna paternæ domûs deseruisse commoda, divitias, & possessiones, si ab illa sæculari commoditate relicta nihilominùs affectum ad res omninò frivolas transtulerunt. Nam, ut idem Cassianus ait, *Vitium cupiditatis, & avaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed tantùm immutâsse se probant pristinam passionem. eadem, quâ anteà, libidine detinentur. Quasi verò differentia tantummodò metallorum, & non ipsa passio cupiditatis, habetur innoxia.*

3. Jam opes, & divitias magnas, amplasq; possessiones, ac demus etiam saltem ad honestam vitæ sustentationem suffi-

a *Cass. coll. 5. Abb. David. c. 21. citat. à Roderic. p. 1. tract. 3. c. 5.*

cientes, ac mediocres, qui reliquerat, & nihilominùs non abſcidiſſe, ſed tantùm immutâſſe probatur priſtinam paſſionem; dum circa res minoris momenti retinet affectum, & eas exquiſitiſſimè procurat; idq; ſit reprehenſione dignum in Religioſo, cujus partes ſunt, communi victu, & veſtitu contentum eſſe, regulam Inſtituti ſervare, paupertatem in minutijs etiam colere; penuriam, & defectum earum rerum, ſine quibus ordinariè religioſa vita, ſtatuſq; ſuſtineri non poteſt, haud gravatè pati, ac tolerare; quàm multò dignior erit, & eſt, reprehenſione res in eo, qui nihil reliquit aliud in ſæculo, quàm fortaſſe miſeriam, egeſtatem, & alia ſexcenta incommoda; nunc autem Religioſus, cui ex divinâ providentia nihil deeſt ad communem vitæ ſuſtentationem, niſi fortaſſis alacer animus, & voluntas ad obſequium Dei non ſegniter proſequendum, & jam varijs titulis in veſtimentis, in cibis, in alijs utenſilibus exquiſitum quærit, habetq; delectum? Hic profecto non renuntiavit mundo, parentibus, & propinquis; non commodis, & delicijs, quas non habuit; ſed tantùm permutato loco, & affectu nuntium miſit incommodis, egeſtati, penuriæ; ſtatumque genio ſuo accommodiorem amplexus eſt, delicatus monachus, faſtidioſus pauper, exquiſitus mendiculus, accuratus inops.

4. Nec tamen iſta dicuntur ad exprobrationem, vel ad exaſperationem illi, qui laboribus, ætate, vel etiam adversâ valetudine, feſſus indiget, ut ejus habeatur ratio; cùm id omnium religioſorum Ordinum (uti mihi perſuadeo) ſtatuta commendent, ac præcipuè noſtra Conſtitutio diſertè Superioribus injungat, cùm ait: [a] *In omnibus tamen habeatur ratio ſenectutis, & imbecillitatis*, id eſt, eorum, qui ſenes, & imbecillâ ſunt valetudine. Nam iſtos cum alijs ætate, viribus, & ſanitate validis conferre, & ad communem vivendi, laborandiq; rationem adigere velle, non eſſet aliud, quàm crudelem agere veredarium,

[a] *Conſtit.* P. 1. c. 4.

rium, seu publicum vectorem, qui vecturis tantùm vivendo continuè per itinera, ex diversorijs in diversoria cursitans nullam penitùs habet rationem; senex, infirmus, an parùm jam validus ad cursum, & laborem; an plurimis itineribus, & ætate fessus, fractusque sit equus aliquis? Ad cursum, & laborem æqualiter urget omnes, & instat continuo verbere; sicq; tamdiù miserum jumentum cum cæteris officium decurrit suum, donec uno tandem impetu, vel ictu aut in media via, aut in hospitij aditu repentè concidens extremum exhalet spiritum. Ità Superior, & omnis alius, cui communis incumbit Religiosorum cura, parùm discretus, imò parùm humanus, exiguæque charitatis esset; qui sanum, & ægrum; firmum, & invalidum; senem, & juvenem; æquali metiretur pede. Cui appositè quadraret illud Apostoli: a *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet (ut tàm corporis, quàm animæ saluti provideat*, addit Cornelius) *fidem negavit, & est infideli deterior*, non verbo, sed opere.

5. Et est in promptu ratio; cur is, qui fratris, seu Religiosi sui infirmi, imbecilli, ætate defessi, vel quomodocunq; invalidi curam non habet domestici, dicatur fidem negâsse, & esse infideli deterior. Quia multi sunt infideles, ac præsertim Sarraceni, seu Turcæ, & alij: qui si videant peregrinum, aut captivum egentem, vel infirmum, moti misericordiâ provident, & dant ipsi necessaria. Jam verò Superior, (aut ex ejus ordinatione quisquis alius) cui non tàm extraneorum, quàm domesticorum suorum demandatur cura, si negligeret ejusmodi curam, & ad æqualem omnes adigere vellet vivendi, laborandique rationem, factis & opere videretur fidem negare, & religionem, quæ semper in vinculo charitatis, instar solicitæ circa filios suos matris, peculiarem haberi vult, & habet, erga senes, infirmos, & imbecillos valetudine curam. Non igitur hìc exprobratur ejusmodi summè necessaria cura, quæ sine personarũ delectu, sola tamen

a 1. Tim. 5. 8.

necessi-

necessitatis, & charitatis (ut ità dicam) exigentiâ, promptè impenditur, & impendi debet unicuique. Nec etiam veniunt in reprehensionem illi, qui naturâ suâ, vel aliâ causâ nauseosi (non enim omnes una genuit mater) non vescuntur, alius ovinâ, vervecinâ, alius porcinâ, ferinâ, vel aliâ quacunq; non vescitur carne: alius etiam caseo, butyro, lacte, oleo, pomis, alius alio cibo, vel intrimento. Nam isti, quamvis esse deberent tàm fortes, ut sibi vim inferant, nauseantemq; naturam superent; quia tamen aversanti, refugientique ventriculo similia vel invaletudinem vel vomitum, etiam invitis excitant, sicut & solus odor pomorum aliquibus, deliquium adfert; succurrit huic rei cùm Superiorum ex charitate providentia; tùm ipsorum, qui talibus obnoxij sunt affectionibus, in semetipsos animadversio; quâ non tantùm aliud sibi subministrari non curant ferculum, sed etiam gaudent hac occasione, se materiam habere carnem suam reluctantem vexandi.

6. Cæterùm reprehensionem incurrit illa solùm nimis exquisita, & anxia rerum, & ciborum, etiam subindè supra necessitatem procuratio, ità, ut omnia, quæ pertinent ad victum, ad vestitum, & ad professionis suæ statum, velit quis habere prorsùs alia, & vivere studeat aliter, quàm communiter alij: fercula, condimenta, vestes, libellos, & ea, quæ religiosa paupertas admittit, delicatiora, magis affabrè, concinnè, & ornatè elaborata, atque ad exquisitam quamdam redacta formam. Hæc tàm solicita sui, recularumq; suarum, (si tamen suæ dicendæ sunt, cùm pauper Religiosus nihil penitùs, ac ne minimum quidem tamquam suum proprium possideat) hæc, inquam, nimiùm solicita cura, præterquam quòd insigne quoddam philautiæ sit argumentum, etiam occulta quædam pestis, & contagium est; quod non ipsum solum, qui talia sectatur, in religioso spiritu, sanctaq; vocatione perimit; sed inficit etiam alios: est scandalo juventuti, communitati offendiculum, pau-

pertatis religiosæ pernicies; claustri, in quo commoratur, onus intolerabile.

7. Et licèt hoc jam sit antiquum, nec à tot sæculis inauditum, in claustris hanc fastidiosam in quibusdam affectationem inveniri: deploranda nihilominùs est res; eam non animadverti facilè, quàm sit noxia, & perniciosa: quàmq; ex uno serpere soleat in contagium plurimorum, ab illis invehi consuetum, penes quos est aliqua procurandi potestas, aut etiam fraudulenta clam Superiore facultas affectata sibi prospiciendi. Qui tàm accuratè providere nôrunt vestimentis suis; ut tàm lanea, quàm linea, quâ materiæ qualitate, & quantitate superent alios. Mollior, subtilior, delicatior, & ideò pretiosior sit, oportet, pannus, vestis, ab opifice, qui cæteris arte, peritiaque præstet, delicatè, & exquisitè facta; fila, quatenus opus sit, ad patagium, ad glandularum ante pectus fibulationem sint serica; patagium ipsum angustè, & ad elegantiam factum; vestis quà latitudine, quà longitudine supra communem usum concinnè striata fluat, etiamsi terram attactu suo scoparia verrat, ne tamen pedum impediat gressum, oportet, ad utriusq; suræ frontem, vestem attollere. Jam quid de lineis, sudariolis, & interulis dicam? Pro his sutura, loturaq; sit peculiaris, est necesse; ut ad amussim oblectent singula. Thoracum deindè, pectoralium, & interiorum indumentorum (nos subvestes, sed minùs propriè vocamus) non sufficit una species: oportet interiores ejusmodi vestes binas, ternas, & plures habere, sic, ut quotquot apud sæculares Clericos, aut alios, observavit formas, aut materiarum qualitates, totidem, & easdem habere debeat ipse, ità, ut una quidem sit ex panno laneo molliore; alia ex linea, vel gossipina, vel aliûs generis materiæ tela: gossipinâ insuper lanâ densiùs ad arcendum frigus intertexta; alia ex eadem materia, vel laneo panno delicatiore pellibus vulpinis, agninis, alia similiter delicatioribus, alia lupinis, alia muris pontici,

ſubſuta. Pileorum quoq;, ſeu mitrarum tempore hiemis uſualium eadem eſt planè luxuries. hujus induſtrioſam curam remitto ſectatoribus ſuis explicandam. me verba, nomenclationeſque deficiunt, ad tàm ingenioſas, & exquiſitas inventiones diſertiùs depingendas. Hoc & in ſtragulis, inſtratis, lodicibus, cadureis, alijſq; tegumentis invenies, ut jam in tanta rerum veſtiariarum varietate, multiplicitate, ac multitudine, quam unus Religioſus, quem aliàs profeſſio pauperem vocat, ſed non habet, ſecum circumvehit, vix ſufficiat vectura.

8. Ciborum verò delectum, faſtidium, & intrimenta, delicatiora quis explicet? Non apponantur ei legumina, fabæ, piſa, panicum, hordeaceum pulmentum, & ſimilia. Quia vel inflant, vel diſtendunt, vel ob aliam cauſam leviſſimus hic cibus creat nauſeam. Non braſſica, non crambe, non rapæ. Nam hæc humore nimio replent corpus; cruditatem, & flatus in ventriculo generant. non piſces; quia multiplicant phlegma: non caro bubula; quia durior eſt ad digerendum. Quid igitur? huic opſophago quis ad guſtum ſuffecerit opſopæus? Quis coquus? Similis eſt hic filijs Heli Sacerdotibus, quorum ſingulorum veniebat puer, & domino ſuo gratificaturus, ubi pro victima coquebantur carnes, habebat [a] *Fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem; & omne, quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* Inſuper eò faſtidij devenerant illi ſacrificuli, ut jam neq; coctam carnem ab immolaturis accipere voluerint, ſed crudã, pro ipſorum guſtu paraturi cibum, & intrimenta facturi, tollerent pueri: *Non accipiam*, inquit, *à te carnem coctam, ſed crudam.* In quæ verba Hugo de Foileto: [b] *Carnem*, ait, *crudam idcirco deſiderant; ut, quod, & quomodò, & quantum velint, ſibi coquant. Tales ſunt quidam, qui morantur in clauſtro: qui nihil aliud faciunt, & nihil aliud comedunt, niſi quod, vel quomodò, vel quantum volunt.* Dictum appoſitiſſimè. Sed &

a 1. *Reg.* 2. 13. *b* *Hugo de Foileto Citat. men. Spiritual. cib. Verbo Religio. num.* 46.

ſcandalum indè ſequi ſolitum non præterit idem Auctor. Dicit enim. *Hi dum, ſe carnis deſiderijs conjungunt*, & ciborum delectu nimiùm quantum luxuriant, *illos, qui veniunt ex Silo, ne ſacrificent, impediunt; cùm noviter converſos verbis, & exemplis, ab exercitio bonæ operationis impediunt.*

9. Idem & de potu judicium eſto. Etiam in hoc delicatè, faſtidioſèq; luxuriant quidam; non contenti menſali potu, præſertim ubi paupertati religioſæ vini pretium intolerabile eſt, & ægrè ſaltem pro ſeniorum aliquo, vel infirmo, aut valetudinario adhibetur, miniſtraturque pocillum, ipſi clam vel pecuniâ undelibet, ac quomodolibet, voto paupertatis ab ipſis exulante, vel quacunq; clandeſtinâ ratione conquiſitâ, illo ſibi Divi Pauli ad Timotheum dicto patrocinantes, *Vtere modico* (ipſi per irriſionem vertunt, modio) *vini*, vinum largiùs hauriunt. In quo genere, S. Bernardus expendens idem illud Apoſtoli dictum: [a] *Vtere modico vino propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas*, ſapienter monet quendam, ac dicit: [a] *Illi, qui hodie nimis ſibi blandiuntur de hoc exemplo Pauli, attendere debent, primum quidem, Apoſtolum minimè ſibi rem iſtiuſmodi ſuadere; ſed nec diſcipulum quidem æquè expoſcere ſibi. Deindè non Monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo; cujus vita teneræ, & adhuc naſcenti Eccleſiæ perneceſſaria eſſet. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum etiam auro, & poto balſamo. Cæterùm tu tibimetipſi diſpenſas, miſertus tui. Suſpecta eſt mihi, fateor, tua ipſius vice diſpenſatio; & vereor tibi illud, ſub tegmine, & nomine diſcretionis à carnis prudentia.* Hucuſq; S. Bernardus. Et tetigit rem acu. Nam reperitur interdum etiam in clauſtro, qui ſibi blanditur, & per carnis prudentiam nimiùm quantum indulget ſibi, ſecumque ad cuticulæ curam diſpenſat. Et facilè ſuccedit illi hæc diſcretio, ſivè diſpenſatio; dum infirmitates ex infirmitatibus ſibi per affectationem adſcribit magis, quàm patitur. Hinc quamcunq; videt in alio, vel audit de alio, ægritudi-

a 1. Tim. 5. 23.

a S. Bernard.

nem;

nem; eam paratam habet in ventriculo, in pectore, in latere, in ſplene, in capite, in oculis, & quacunque in parte corporis, tantùm non & in naſo (ſi quis id per jocum de ſe aſſereret) iſchiadem, aut podagram in auribus, aut pleuritidem in maxilla ſentire ſe queritur. Jam pro hoc medicinarum farraginem quis inveniet? Nam ſicut morbus omnis adhæret ipſi imaginarius, ità nullam non meditatur, non tentat, non in ventrem traijcit medicinam. Chirurgos, medicos, circulatores, ophtalmicos, viros, fæminaſq; promiſcuè conſulit omnes; & dum per licita, & illicita ſanitatem venatur, ſemper valetudinarius, abijcit ſanitatem.

10. Sic iſte magis animo, quàm corpore, ſemper infirmus ab hectica ſua morali prorsùs immedicabilis in quocunq; commoratur clauſtro, contagione ſuâ reliquam juventutem, videntem, ipſum in omnibus exemptum, delicatè, comptè, concinnè in cibis, in veſtibus, in omni ſupellectili viventem, inficit; & ità ſerpit occultâ prolatione malum, ut etiam vix advertatur, niſi cùm jam idem vitium in publicum inter plures erumpit. Sapienter idcircò S. Baſilius: [a] *Quemadmodum*, ait, *in peſtilentibus locis ſenſim attractus àër latentem corporibus morbum inijcit: ſic etiam in prava conſuetudine, ac converſatione*, (delicatè victum, veſtitumq; faſtidientium communem, quorum conſortium in clauſtro difficilè vites) *maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur.* Et dum occultum hoc dæmonium in quibuſdam non tàm per actuum heroicorum exercitationem, quàm per indolis, & naturæ quamdam qualitatem diſciplinati (uti videtur ad oculum) authoritatem aliquam ſibi ſecuriùs arrogat, eò ferociùs ſerpendo ſævit in religioſam obſervantiam; & jam non ſola morum improbitas, faſtus, & licentia; ſed ipſa commoditat m accurata conquiſitio, faſtidium, & delectus, diſſolutionis, & licentiæ vim obtinet majorem, quàm vel ipſa manifeſta vitia aut

[a] *S. Baſil. homil. 9. Quòd Deus non eſt author malorum.*

aut non, aut vix, habuissent. Nam aperta flagitia honestus quisq; propter eorum turpitudinem aversatur: hæc autem delicata quædam indulgentia insinuat se etiam cum honestate.

§. II.

Mollities animi, commmoditatumq; luxuries, religiosum spiritum proscribit.

1. QVantumcunq; commendet Religiosum probata quædam morum ad exteriorem aspectum integritas; ea tamen nequaquam religiosi spiritûs indicium, ac verum vestigium est, si vitio corpus suum molliter habendi, nec ulla in re genium fraudandi, solicitâ verò cuticulæ curâ laboret. Nam ea commoditatum venatio, atque luxuries, ægritudo quædam est animæ, & desperati propè remedij. Languet sub hoc discretionis, & dispensationis amico pallio religiosus animus, & reciprocante inter mollitudinem, & solicitam carnis curam religioso spiritu, sensim emoritur. Quia vigere, & vivere non potest ibi, ubi philautia, seu proprius amor charitati, quam uni Deo debemus, è diametro contrarius, agit medicum; Religiosus spiritus est, mollia semper refugere; communi cæterorum victu, vestituq; contentum esse; durioribus animam, aut ipsum potiùs corpus, nutrire; necessaria quoq; vix sibi permittere; commoditates omnes contemnere; supervacanea spernere, seipsum odisse, & fugere; solum Deum, & quæ Dei sunt, amare, & quærere. Ubi verò tam anxiè providetur corpori; tam fastidiosè cibus, vestitus, & supellex eligitur, ut vix in paucis sæcularibus eam deligendi luxuriem sit invenire: signum est; ibi religiosum spiritum languere, tabidumq; vanâ desideriorum curâ tandem extingui.

2. Sicut autem indicia, ex quibus in corpore humano morborum accessus, & incrementa deprehenduntur, sunt (ut Celsus ait) [a] *Si tardior sensus, si pigrior mens*; ità qui mundanis in rebus, & carnis commoditatibus accumulandis assiduus est, & anxiâ solicitudine

[a] *Celsus lib. 3. cap. 4.*

ne secum ipse dispensat, animi sui prodit ægritudinem, dum in spirituali animæ negotio tardior est, sensu, mente pigrior. Nauseat enim divina, spiritualia nauseat exercitia, & rerum ex regula præscriptarum fastidio tabescit; quodq; debuit esse fovendo spiritualis vitæ remedium vigori, isti totum venenum est. Horret grossiorem vestem; fugit rudiorem lectum; nauseat communem cibum, ætate non fessus, laboribus non attritus, sed benè continuâ supervacanearum ad privatam commoditatem attinentium rerum, crepundiorumq; solicitudine pœnè fractus, adscititiarum ægritudinum anxietate tantùm non consumptus, ô quantum circumfert infirmitatem animæ perpetuâ curâ contabescentis. Non est in isto religiosus spiritus; sed larvata facie mentitur spiritum, quem non habet. Ipse Christus Dominus hunc personatum graphicè prodidit hominem, cùm dixit: [a] *Non potest arbor mala bonos fructus facere. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Amore sui qui compediti sunt, non possunt alium ferre bonæ conversationis fructum, quàm eum, quem ex corde tamquam à radice sua prodeuntem exhibent; videlicet communis observantiæ fastidium; rerum delectum, & commoditatum propriarum luxuriem. Et hæc opera non sunt opera dilectionis erga Deum; sed sunt opera philautiæ, seu proprij, quem in corde fovent, amoris.

3. Iam ab ejusmodi Religioso certè religiosus exulat spiritus, quando præter vestem, & nomen, nihil habet, aut spirat religiosi. Cùm nimiùm carnem suam amat, ejusq; nimia miseratione tenetur, non solùm ad perfectionem, quam religiosa profitetur vocatio, non tendit, sed eam etiam tacito calculo suo damnat. Siquidem ne corpori dolorem, & incommodum aliquod accersat, omnem subterfugit occasionem; & ità spiritum enervat, & privat fine suo, ad quem aspiravit olim, sibiq; eum proposuit: sed obrutus posteà delicatè vivendi curâ prorsùs extinctus est; & ubi putat, se carni diligen-

[a] *Matth.* 7. 18.

ter,

ter, & accuratè proſpicere, corpus etiam magis ad faſtidium quoddam exaſperat, ac inter multa commoda ſuum ignorat incommodum. Undè ſapienter ad ſuas alicubi filias, id eſt, Religioſas ſuas S. Thereſia: a *Mihi credite*, (inquit) *filiæ, per id vos facturas diſpendium, per quod facturas vos compendium putatis*. Equidem Sancta Virgo parænesim hanc ad filias, & ſorores ſuas ex alia ſcripſit occaſione, & in alia materia: ſed verba quadrant optimè faſtidioſis iſtis, & mollibus animo, delectum omnium ſibi cônquirentibus. Diſpendium namque faciunt ſibi, diſpendium domui, & communitati; diſpendium inſtituto. Nimirùm, qui talis eſt, perperam quærit, quo vero commodo, ſaluti videlicet tàm corporis, quàm animæ, debeat ſubſervire. Prudentiſſimè igitur religioſiſſimus ille dixit, de Perfectione religioſa ſcribens, aſceta, cùm ait: b *Religioſus, qui plus æquo parcit corpori, nimiùm illud amat: quia verum amandi modum ignorat, inſtar medici, plus æquo clementis; qui ſuâ curatione morbum deteriorem reddit*.

a *S. Thereſ. lib. Fundat. monaſt. c. 26. circa medium.* b *Pinellus de Perfect. Relig. lib. 1. c. 9. in fine.*

4. Sed meliùs ipſa divina veritas, & incarnata Dei Sapientia Chriſtus Dominus hoc ipſum expreſſit, ubi ſic ad diſcipulos ſuos in ultima Cæna: a *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam*. In quæ verba S. Joannes Chryſoſtomus: b *Amat*, inquit, *animam ſuam in hoc mundo, qui deſideria ejus inconvenientia facit*. Quænam autem animæ deſideria ſunt magis inconvenientia, quàm ea, quæ religioſæ profeſſioni, cujus ſcopus eſt, ſpiritui carnem ſubijcere, contraria ſunt, deſiderare, ſectari, & per varia commoda ſibi aggregare? Et ità, dum carni per inordinatos affectus, ac deſideria ſervitur, perditur anima, cujus vita ſpiritus eſt; ſpiritus, inquam, ille, qui non amat in hac vita deſiderantem animam obedire carni, ſed eam odit in hoc mundo per inordinatorum deſideriorum contemptum, & ſubtractionem, ut ipſam cuſtodiat in vitam æternam. Cæterùm qui nimiùm carnis amat commo-

a *Io. 12. 25.* b *S. Io. Chryſ.*

commoda, dicere vel invitus, & confiteri cogitur, quod olim ex humilitate de se confessus est patientissimus ille Job: [a] *Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ, & cineri.* Nam reverâ caducis rebus ad nimium affectus animus jure comparatur, assimilaturque luto, propterea, quòd neglectâ portione suâ meliore, qualis est anima, diligit luteam (ut S. Gregorius Nyssenus ait) [b] *Statuam*, id est, corpus, seu carnem suam, quæ nonnisi putum, putidum, & obnoxium corruptioni lutum est. Id quod etiam Isidorus Pelusiota magis amplificans dicit: corpus nostrum, cujus commodis tantâ curâ prospicitur, esse [c] *Omni luto imbecillius*, vilius, & contemptibilius; & hoc ex nomenclatura Græci vocabuli πηλος quod Latinè lutum significat, rem nimirùm vilissimam. Unde & S. Hieronymus in Epistola quadam ad Pammachium: [d] *Pelusiotas*, inquit, *nos appellant, & luteos, animalesq;, & carneos, quòd non recipiamus ea, quæ spiritûs sunt.*

5. Est ergò verè Pelusiota, qui spiritum adversantem carni, non audit; sed carnis agit quoddam mancipium, & continuis exagitatus affectibus inordinatis, ac desiderijs, in ijsdem, tamquam, sus in luto volutatur, ex unius caducæ rei desiderio, in aliud, nec acquiescit ullo, sed semper aliam, atque aliam rem animo versat, sibi quoddam perpetuum inter innumeros inordinatè cupiditatis affectus, onus, atque tormentum consciscit, tanto infelicior, quantò in assidua cura semper inconstantior; & ità se discruciat anxius, religiosumq; spiritum ex corde proscribit. Dum enim commoditates inexplebili conquirit satietate, penitùs ea, quæ sunt spiritûs inter curas suas deserit; & languente semper magis, ac magis in spiritualibus, ac cælestibus animâ, dum assiduè nova cogitat, vestigat, & conquirit solatia, semper inquietus inter hæc inania desideria, deniq; spiritus eam destituit, tabescentem.

a *Iob.* 30. 19. b *S. Greg. Nyss. orat.* 1. *de beatitudinib.* c *Isid. Pelus. lib.* 2. *ep.* 5. d *S. Hieron. ad ep. ad Pammachium.*

6. Disertè vanitatis ejusmodi sectatores descripsit ex Tollenario Soc: JESU Corderius in suo Job elucidato, in hæc verba: a *Inventes alios fastidio sui languentes ad nova suspirare solatia; alios ad speciosam professionem alligatos* (ubi luculenter intellige perstringi Religiosos inter commoditatum quæsitum luxuriantes) b *& sub ingenti titulo laborantes hoc agere; ut jugum excutiant, & sibi vacent. Alios assiduâ mutatione propositi fluctuantes, ut viduæ mulierculæ ad defunctos solent maritos, ad id suspirare, quod reliquerunt.* Ità ille; & tàm graphicè, quàm verissimè. Nam commoditatum luxuries hoc efficit in Religioso; sensim ut obedientiæ, totiusq; regularis observantiæ jugum excutiat, sibiq; tantùm, non autem communitati, vacet. Et hoc assecutus ubi fuerit, demùm extincto spiritu religioso, mutatione primi, ejusque boni quondam propositi, nunc jam fluctuans, & sanctæ vocationis, ac professionis impatiens, ad id suspirat, quod reliquit; ad sæculum, inquam; ad mundi vanitates; ad votorum, quibus obstrinxerat se Deo, non tàm dispensationem, quàm ad absolutam desertionem. In quo tamen suspirio miserrimus est. Quia nec cupiditatibus suis imperat, nec permittitur ijs obsequi. Quod idem disertè subnectit memoratus Auctor, cùm ait: *Adjice etiam illos, quos animi votorum exitum non invenientis misera torquet jactatio, dum nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt.* Itaq; infelices isti, dum religiosum in se spiritum extinxerunt, jam veri pelusiotæ, lutei, carneiq; nec boni sunt Religiosi, nec sæculares vivere permittuntur, ipsi sibi graves, alijs intolerabiles.

a Corder in Iob elucid. ex Tollenar, in speculo vanit. b Eccl. c. 3 fest.

§ III.

Delicati, & molles animo luculenter ostendunt; se non agi Spiritu Dei.

1. Non hìc agimus de ijs, qui complexione, & corpore tenero sunt, ac delicato. Hanc enim corporis indolem natura quibusdam attulit quidem, sed eam spiritûs severitate

tate partim corrigunt, partim exercitatione continuâ cogunt saltem utcunq; respondere severitati, præsertim certis in rebus, & occasionibus, si penitùs ità sint infirmi, ut per omnia vim inferre corporis imbecillitati non possint. Illorum tantùm hìc convenitur detestabile vitium; qui licèt indole, viribusque sint firmis, & corpore minimè delicato, nihilominùs animo sunt nimium quantum molles, & infirmi, in exemptionem effrenes, continuo quodam in cibis, & in alijs ad communem religiosæ vitæ sustentationem pertinentibus fastidio prorsùs ad nimium laborantes, ac delicati. Non refugeret miser stomachus ferculum mediocre, sed Religioso conveniens, ac sufficiens; nec lacerti vestem grossiorem, sed tamen honestam, ac decentem; neque natura frugalitatem, non tamen eam, quæ à mediocritate deficeret: ast animus æger ad regulæ præscriptum minimè paratus, ac semper languidus omnia fastidit, tàm corpori, quàm animæ injuriosus. Corpori; quia cruciat illud non necessario delectu. Animæ; quia spiritum, quo vivere deberet ipsa, penitùs extinguit, Hippocratis, & Galeni discipulus, non Christi; mancipium amoris proprij, sensuumque, non Dei servus; mundi & carnis legibus obediens, non regulæ Sancti Spiritûs instinctu ab instituti fundatore conscriptæ, vivens secundum carnem ex carnis prudentia, non autem secundum spiritum; certissimo videlicet argumento, non spiritum Christi, vel Spiritum Dei, sed spiritum Hippocratis, & Galeni, carnis, & amoris proprij in ejus corde habitare: qui exigente professione suâ non deberet esse in carne, sed in spiritu. idest: ad hoc ipsum adstringit professio sua, ut vivens in hac mortali carne, desideria carnis non sequatur; sed adhæreat Deo; & ità vivat Spiritu Dei, qui vera est animæ vitâ.

2. Hinc Apostolus, ubi Romanis exposuit, quomodò ij, qui per fidem, & gratiam insiti sunt Christo, ab omni culpa, & damnatione sint liberi,

si tamen non secundùm carnem, sed secundùm spiritum vivant, addidit etiam; ipsos in carne non esse, sed in spiritu: id est; adhuc illos ità gestare mortalem carnem, ut tamen in carne jam non sint, videlicet ut carnis affectus, & desideria non sequantur, aut secundùm desideria carnis operentur; uti rectè S. Leo: a *Quamvis*, inquit, *spe salvi facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem, mortalemq; gestamus; rectè tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus. & meritò ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non sequimur voluntatem.* Igitur & Religiosus ad Dei vocatus obsequium, à seculi vanitatibus segregatus, in numerum Dei filiorum assertus, jam non est in carne, sed in spiritu. Cui tamen benè reponi potest ejusdem Apostoli Correctio: b *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Id est; si Spiritus Dei non per modum transeuntis, in Religioso sit; sed per modum habitantis, & sedem in ipso permanentem figentis, & ità vitam animæ tribuentis. Nam sicut corpus vivere non potest, nisi per immanentem animam; ità vicissim anima non vivit, nisi Deum, sivè Spiritum Dei habeat in se habitantem. Quod ipsum docens S. Augustinus ait: a *Sicut non est à carne, sed supra carnem, quod facit eam vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beatè vivere. Quia ut vita carnis, anima est; ità beata vita hominis, Deus est.*

3. Jam autem Religiosus animo delicatus, ac mollis, ubi totum se permittit appetentiæ carnis, & philautiæ regimini, satis arguitur, quòd non sit in spiritu, sed in carne; quòd non sit in ipso Spiritus Dei, sed affectus, & desideria carnis in eo regnent. Spiritus enim Dei, & Christi est; amare disciplinam; carnem non delicatè habere; carnis appetentiam minimè sequi; corpus, & semetipsum, quantùm ad temporanea commoda, habere neglectui; exemptionem à communi reliquorum exercitatione religiosa minimè quærere; mollitudinem omnem refugere;

a S. Leo serm. 1. de Resurr.
b Ro. 8. 9.

a S. Aug. in sentent. num. 160.

carnem

carnē spiritui subjugare. Contra verò spiritus carnis, & mundi est; totum contrarium, quod urget Spiritus Dei, facere. Quod mollis, ac delicatus animo Religiosus expetitur in se, dum affectus, & desideria carnis in eo communium rerum fastidio nonnisi peculiaria quærente secutus, egregiè probat hunc à se Spiritum Dei procul exulare; animam suam esse miseram, nec vivere, quâ debet, vitâ verâ, quæ Deus est; sed vitâ solùm vivere animali; vivere secundum carnem.

4. Hinc & Apostolus in epistola sua ad Romanos infert; [a] *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* id est; Spiritu Dei à vobis exulante, non vivet anima vestra vitâ suâ, nimirùm Deo, sed erit mortua. *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; scilicet per spiritum Dei manentem, & inhabitantem in vobis. Quam in rem eleganter iterùm S. Augustinus in sermone quodam de verbis Apostoli: [b] *Dicebat*, inquit, *Epicureus; mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est. dicebat Apostolus: mihi autem adhærere Deo bonum est. Errat Epicureus. fallitur Stoicus. Tum enim rectè anima vivit, si non secundùm carnem, nec secundùm seipsam, sed secundùm Deum vivat. Sicut enim anima carnis, ità Deus animæ, est vita.* Ità Præsul Hipponensis. Quoniam verò *Facta carnis*, quæ vult Apostolus mortificari, spiritu, nihil aliud sunt, quàm inordinati carnis affectus, ac desideria, & alia, quæ sequuntur ex his, opera; Religiosus, qui non mortificat ea spiritu, satis ostendit, nec Dei Spiritum in se manere, nec ipsum agi Spiritu Dei, sed spiritu carnis; nec etiam ipsum placere Deo. Et quamdiu vivit obediendo spiritui carnis, ipsum non esse filium Dei.

5. Non habitare Dei spiritum in tali Religioso produnt opera. Nam ipsum fastidium ex animi procedens mollitie, & in rerum delectu luxuries certè non sunt opera divini Spiritûs; sed sunt opera carnis; sunt opera facta magistro principe tenebrarum insusur-

a *Ro.* 8. 12. b *S. Aug. ser.* 13. *de verb. Apost.*

rante contra Spiritum Dei pugnantia. Non agitur etiam Spiritu Dei. Nam agi Spiritu Dei, est; animam excitari, & adjuvari ad exercitandos actus heroicos adversùs carnem, ejusq; inordinata desideria, pro gloria Dei, sic, ut, quidquid spirituali vitæ, religiosæ observantiæ; voluntati, exaltationi, gloriæq; divinæ se se conformare conanti, vel minimùm adversatur, illud magnâ contemnat, fugiat, ac detestetur constantiâ, non considerans, imbecillitatem corporis, ejusq; teneritudinem semper mollia quærentis, sed Dei gratiam admirabiliter operantem, cujus auxilio *a Virtus in infirmitate perficitur*, æstimando. Et quamdiu Religiosus est piger, in resistendo suis affectibus ad commoda carnis impellentibus; tamdiù nihil agit, quod ad Spiritum Dei pertinet; tamdiù quoque, certùm est, ipsum à Spiritu Dei non agi. Nam Dei Spiritus ideo religiosam agit, & ad bonum impellit animam, ut agat & ipsa; & ideò vicissim agere debet, ut agatur ab eodem Spiritu Dei. Mutuâ quadam se se promovent vicissitudine, nec ab invicem separari volunt, hæc duo, agi, & agere. Quod clariùs exponit Divus Augustinus, cùm ait loco jam citato: *a Dicet mihi aliquis: Ergò agimur, non agimus. Respondeo: imò & agis, & ageris. Et tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, adjutor est agentibus. Nemo autem agitatur, si ab illo nihil agatur. Spirius enim adjuvat infirmitatem nostram.* Alibi quoq; materiam eandem sic expedit: *b Aguntur, filij Dei, ut agant; non ut ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut, quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione justitiæ, suavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Ità S. Augustinus.

6. Enim verò non agi Spiritu Dei, nec agere, timendum est; ne sit, esse extra numerum filiorum Dei. Nam Dei filium se probat ille, qui per inhabitantem Spiritum Sanctum actus adnititur imitari Christum Dominum, eiq; assimilari in

a 2. Cor. 12. 9.

a S. Aug. ubi sup. b Lib. de Corrept. & gratia.

ri in patiendo, tolerandoque contraria carni. Undè postquam Apostolus affirmavit, Spiritum Sanctum reddere testimonium spiritui nostro, a *Quod sumus filij Dei; si autem filij, & hæredes*, rectè subdit: *Si tamen compatimur*, id est, cum Christo patimur, *ut & cum eo conglorificemur*.. Jam autem hæc duo: Carnis affectari commoda, & cum Christo pati propter conglorificationem cùm eodem, valdè sibi repugnantia sunt. Hoc enim alterum proprium est filiorum Dei; illud primum, filiorum hujus sæculi. Religiosus in mundi voluptates, in carnis commoda; &, nescio, quæ crepundia, illecebras, & vanitates effusus, certè cum Christo pati non vult, nec ei similis esse conatur. Quia durum est illi modicam sustinere penuriam, & rei cujuspiam necessariæ, quantumlibet parvæ, defectum; qui tamen communiter bonis Religiosis est quidam cibus quotidianus, & tunc *cum dilectione, & delectatione justitiæ* magis assimilari se Christo gaudent, dum aliquid cum Christo patiuntur, ut & cum ipso conglorificentur; atque per hanc tolerantiam Domino Deo quandam lætitiam, & gloriam adferant.

7. Nam a *Si hominibus*, ut ait S. Cyprianus, *lætum est, & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generâsse delectat, si ad Patrem lineamentis paribus soboles successivè respondeat; quantò magis in Deo Patre lætitia est, cùm quis, si spiritualiter nascitur; ut actibus ejus, & laudibus divina generositas prædicetur?* Istud ergò divinæ generositatis in perferendis fortiter ijs, quæ carni contraria sunt, participium, facit animam religiosam esse Deo similem. Id quod & S. Augustinus urget, cùm ait: b *Cogitemus, nos tantò similiores Deo, quantò esse poterimus ejus participatione justiores.* Hæc autem justitiæ participatio venit ex eo, quòd quis cum Christo patitur, gaudens, eidem amabilissimo JESU assimilari per passionem, & adversorum tolerantiam *cum dilectione, & delectatione justitiæ*.

8. Quòd cùm ità sit; ille, qui

a Ro. 8. 12.

a S. Cypr. serm. 2. de zelo, & livore.
b S. Aug. ep. 85. ad consent.

qui per mollitiem animi quærit patiendi, seu passionum, & vel modicarum afflictationum effugia, difficilè potest censeri nomine filij Dei, quando nec probat in se divinitatis aliquod participium, quòd est, agi Spiritu Dei ad perferenda propter ejus amorem adversa carni, & agere constanter *Cum dilectione, & delectatione justitiæ*; ut ità suavitatem, quam dat Dominus, accepisse se gaudeat. Sed nec accipit eam suavitatem ille, quem animi delicati delectat mollitudo; nec eum excitat ulla generositas ad dura pro Christo, proq; Dei amore perferenda; manet autem, & hæret semper in ijs, quæ tantùm caro probat, non spiritus. Ex quo luculenter apparet; Religiosum ejusmodi, sicut non agi Spiritu Dei, sic etiam difficilè dignum reddi, qui filij Dei nomine censeatur. Id quod vel Ethnicus ille, sed Christianè prorsùs, amicum suum Lucilium docuit. Quem ubi ad divitiarum contemptum, & ad paupertatis amorem hortatus est, conclusit denique: Neminem alium dignum esse Deo, nisi qui opes, scilicet voluptatem, & animi ad mollitiem irritamenta contempsit. Do Sapientissimi Philosophi verba, cum quadam admiratione dicentis; [a] *Quanta est animi magnitudo! ad id suâ sponte descendere, quod nec ad extrema quidem redactis timendum est. Hoc est præoccupare tela fortunæ. Incipe ergo, mi Lucili, sequi horum consuetudinem, & aliquos dies destina, quibus secedas à rebus tuis; minimoq; te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium,*

Aude hospes contemnere opes; & te quoque dignum Finge Deo.

Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit.

9. Ex quibus viri sapientissimi verbis duo præsertim in rem nostram observemus. *Primum.* Si ullum alium, certè Religiosum decet *præoccupare* id, quod non tàm à fortuna pendet, quàm à Dei sapienter omnia gubernantis immutabili voluntate. Nimirum egestatem, & rerum necessariarum penuriam non jam magis ex voto paupertatis, quàm etiam ex humanæ conditionis volubili-

[a] *Se. ep. 18. ante finem.*

lubilitate non solùm patienter, sed & hilariter tolerare priùs, quàm ipsa compellat necessitas. Hoc enim hominis etiam infimi, vilissimique ingenij est: illud solius viri sapientis, & Deo digni; dum ex præparato præoccupat necessitatem, eamq; convertit in virtutem. *Alterum*; non aliter quempiam ad eam elevari dignitatem, ut cum Deo participium habeat, nisi mollitiem animi constanter frangat, abijciat, & contemnat. Quod enim Seneca dixit de divitiarum contemptu; hoc Religiosus jam paupertatis obstrictus voto debet accipere de commoditatum, de ciborum, & omnium earum rerum, ad quas natura cum anxia nimis conservandi sui curâ, delectuq; propendet, neglectu. Neminem videlicet, etiam Religiosum, dignû esse Deo; nisi qui privata commoda omnia contempsit. Quia verissimum est, quod S. Gregorius in Moralibus suis annotavit: [a] *Mens concupiscentijs exterioribus occupata, igne divini amoris nō calet.* Jam verò quamdiù divinæ charitatis igne non calet anima, non etiam habitat in ea Deus; non est digna Deo: *Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes, qui omnia, qui deniq; & semetipsum contempsit.*

10. Sed meliùs hoc ipsum incarnata Dei confirmavit Sapientia, cùm dixit: [a] *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* In qua veritatis æternæ sententia nomine crucis intelligitur (sicut S. Gregorius, homil. 33. in Evangelia, Venerab. Beda, & alij, explicant) mortificatio corporis, ac sensuum, & quædã ad ea, quæ carnis, & mundi sunt, mors. Hinc Euthymius: [b] *Crucem*, inquit, *vocat Christus mortem ad ea, quæ mundi sunt, quia mortis instrumentum erat Crux. Oportet enim eum, qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates.* Et quidem ad mundi voluptates, & ad omnem mollitiem animi quod attinet, non existimet Religiosus, esse sibi satis; quòd semel deserto mundo, relictis patre, matre, cognatis, & totâ domo, vitam sit amplexus monasticam: sed oportet, ut eti-

[a] S. Greg. lib. 8. moral. c. 26.

[a] Matth. 10. 38. [b] Euthym.

am sensuum voluptati in religiosa professione renuntiet, ac semetipsum totū deserat, semper, quotidie, omni horâ, omni memento. Quia dilectio debita Deo non patitur ullam temporis intercapedinem, aut exceptionem. Semper, quem sequi se profitetur Religiosus, Christum amare debet; semper amoris erga Deum exhibere testimonia.

11. Undè S. Hieronymus ponderans hæc Christi Domini verba: *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*; observat diligenter, quòd in alio (videlicet apud S. Lucam) Evangelio addatur ista vox: [a] *Quotidie*, dicaturque: *Qui non accipit Crucem suam quotidie*: ideoq; semper, *Quotidie*, ferendam esse Crucem. Non autem satis esse; eam semel accepisse; mundo semel, carniq; renuntiasse. Sed *Quotidie* accipienda, & ferenda Crux est; *quotidie* mortificationi, quæ dilectionis erga Christum testimonium est, insistendum. Verba Doctoris maximi sic habe: [b] *In alio Evangelio scribitur: Qui non accipit Crucem suam quotidie. Ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere: semper Crux portanda est; ut semper nos Christum amare doceamus.* Sic ad nostrum hoc argumentum eadem possunt adhiberi verba; *Ne semel putemus* professionem religiosam, & spiritum, quo religiosum suscepimus habitum, & ad omnia spiritualium exercitationum, instituti, vitæq; religiosæ, patientiam, humilitatem, & omne mortificationis genus profitentis, incommoda perferenda nos obtulimus, *posse sufficere; semper crux portanda est; ut semper nos Christum amare doceamus.* Itaque, si Crucem suam non accipit, nec portat quotidie Religiosus, sed mollitie laborat animi; neque se voluptatibus, & carnis commodis quotidie expoliat; sicut ad ejusmodi vanitates, & lenocinia, non agitur spiritu Dei; sic neque dignus est Deo, Christo Domino, propter quem *semper crux portanda est, ut semper nos Christum amare doceamus.*

a Lu. 19. 23. b S. Hieron. Comment. in Matth. c. 10.

CAPUT

CAPVT IV.

§. I.

Tàm Novitiorum, quàm professorum juvenum vocatio, aut vacillandi, aut ruendi principium sumit â diffidentia.

1. VNa de præcipuis nō tantùm in spiritu, quem quis in aditu religiosi statûs concipit, sed etiam in vocatione, vel nutandi, vel ab eâ penitùs excidendi, causis, est, & sequitur ex paragrapho proximo capitis superioris: cùm quis in materijs, & rebus obvijs, quotidianis; & vix alicujus (uti videtur) considerationis, ac momenti, parùm fideliter se habet erga Superiorem, & ad ea, quæ pertinent ad regularem observantiam, atq; ad custodiendæ regulæ integritatē. Et quidem innumera sunt; nec fieri potest, ut enumerentur singula: sed pænè quotidie veniunt in praxim, ex ipsis, quæ passim, & sparsim per Constitutionum Capita de paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis, de medijs ad votorum observantiam necessarijs, de modestia, silentio, oratione, deq; alijs ad religiosæ studium perfectionis attinentibus, præscribuntur. In his sivè tyro, sivè professus, juvenis præsertim, habere solet certos obices, in quos eò faciliùs impingit, quò res ipsæ videntur leviores: uti sunt; unum, alterumve pomū, aut alium quempiam fructum, sivè rem aliam ad esum pertinentem quamcunque, clam, ac sinè facultate comedere, vel alteri dare; vel etiam potum, non habitâ facultate, sumere; vel, si incumbit cura administrandi similia, parum fideliter administrare; nullâ urgente necessitate, solâ prurigine linguæ impellente, loqui; curiosiùs in res ad se minimè pertinentes aspectum figere; libellos, aut libros, non tàm eruditioni, quàm soli curiositati, vanitatiq; religioso autem spiritui nihil penitùs servientes, sed magnæ potiùs animi distractini obnoxios, legere; cum alijs sivè domesticis, sivè extraneis immodestiùs agere; extra tempus, ac sinè facultate liberiùs

angulos ambulacri lustrare, & inani deambulatione tempus terere, quin & in ipso cubiculo vel otio, vel somno, cùm non adest facultas, indulgere; tàm in publico, quàm in privato voluntariè parùm modestè se gerere; de virtutis, & perfectionis exercitatione nihil solicitum esse.

2. Hæc, inquam, & his similia, certi sunt obices, in quos juventus temerè solet impingere; magnum etiam in spirituali profectu detrimentum subire; nec tamen intereà vel scrupulo sibi ducit, vel considerat seriò, ut cum istis aperiat se superiori suo, vel Magistro, seu Patri spirituali. Et dum in ejusmodi levitatibus aut evitandis, aut à se per examinationem conscientiæ sedulam, aut potiùs per exercitationem disciplinæ, amoliendis agit negligentiùs, ac ne minimâ quidem in ejusmodi levitates animadvertit ratione; nec ità fideliter, ubi religiosa requirit professio, erga regulam, & instituti custodiam agit; sensim oritur in animo tàm segniter se habente quidam erga spiritualia torpor, ac tepor. Hinc deindè venitur partim ex levium culparum contemptu, (de quo jam egimus alibi) partim ex animi contracta socordia, ad aliquam erga Superiorem, aut patrem spiritualem, diffidentiam dicam potiùs infidelitatem, quâ plurimum gaudet humani generis inimicus. Hoc enim jam impetrato, ut quis cum Superiore suo parùm fideliter agat; ei se se minimè credat, ab eoq; diffideat, facillimè progredietur ád majora: & quidquid veterator ille sibi proposuit ad evertendum statum animæ religiosæ, ferè jam totum obtinuit.

3. Itaque Religiosus eâ spirituali dum laborat ægritudine, primò incipit parùm sincerus esse in aperienda Superiori conscientia sua: cujus ratio dum est reddenda, vel tempus sibi præscriptum certis eludit effugijs, tamquam non suâ culpâ neglectum, & nihilominùs solùm affectatâ (sic ut dicam) impossibilitate, verè autem de industria prætermissum; vel, si demum in adeundo Superiore sibi vim aliquam inferat, a-

ut nihil habere se, quod exponat, egregiè mentitur, non reputans; habere Superiorem, quod ipsi dicat; cujus ipsum rei moneat; quod in ipso corrigat; aut ea, quæ circa negligentiam, & incuriam sui profectûs exponenda forent, penitus intermittit, tamquam apinas aliquas arbitratus, eam supinam proficiendi negligentiam; neque ad Superioris notitiam pertinere; aut certis usus ambagibus ità Superioris involvit, & confundit judicium, ut exponentem non satis intelligens, omnia benè se habere existimet. Cùm intereà pro conscientia perfidus orator, in supino sui neglectu malam in corde sementem fovet, semperque magis in affectuum inordinatorum intricat se labyrinthum.

4. Jam postquam in reddenda ratione conscientiæ vincit animum infidelitatis, etiam ad id, quod majoris est momenti, se effrenat audacia; & sicut perfidè procedit in uno, in quo scrupulum sibi solvit, sic etiam eamdem malam Theologiam malus sibi magister, sequitur & in altero, in quo præcipuum vertitur animæ negotium; id est, in sacro conscientiæ tribunali, in quo peccata sua deberet exponere sincerè, pariter incipit laborare diffidentiâ, (perfidiâ potiùs) nec integram, uti Sacramentum pœnitentiæ requirit, exsequitur confessionem, saltem quantùm ad circumstantias, quæ maximè possunt aggravare, vel etiam mutare speciem. Tota verò diffidentiæ ratio apud ipsum hæc est: quia non habeo (inquit) ad ipsum confidentiam. At dic sodes: Confidentiam quare non habes? Inter Superiorem, & te, quis ea seminavit zizania? Quis hoc perniciosum molitur dissidium? Certè nō Superior ipse, cui pro conscientia incumbit animæ tuæ cura: qui tibi non ut herus imperat; sed Dei loco te dirigit, quin & diligit, ut pater. Nam (ut Sanctus ait Bonaventura) a *Prælatus est mediator inter Deum, & subditos.* Superior *Sicut negotium Dei gerit apud te* (ex eodem S. Bonaventura dico) *docendo, corrigendo, te erigendo*: sic etiam nego-

a *S. Bonav. tract. de sex aliis serm*, 1. c, 8.

tium tuum studet *Apud Deum fideliter promovere, placando, gratiam impetrando, & conservando à malo.*

5. Quòd si tu Superiorem alium tibi fingis in animo, quàm est ex obligatione ministerij, non ideò non habes ad illum confidentiam, quod sit alienus à te, tibiq; parum addictus, sicut opinaris: sed ideò confidentiam non habes; quia tu parùm fideliter, & omninò fictè cum Superiore procedis, idq; propter privatum tuum, Deo tantùm omnia scienti, & tibi notum, interesse. Hæc tota diffidentiæ, quam ipse tibi componis, est causa. Et hæc ex duplici fundamento. *Primò.* Quia diabolo datur campus amplissimus transformandi se in Angelum lucis, & in hac opinionis tuæ contumacia persuadendi tibi, quidquid ipsi collibitum fuerit. Facilè jam insusurranti credes, etiam cùm pessimè feceris, agere te benè: cùm regulam transgressus fueris in materia licet notabili, facere te prudenter, & juxta dictamen rectæ rationis: cùm alteri nulli, soli tantùm tibi conscientiam tuam manifestam esse debere definiveris, facere te sanctè. Et ità judicij proprij virus ubi veterator stygius instillavit, eò miseriæ procedes, ut denique totus & Superiori, & regulæ fias refractarius.

6. Rem hanc egregiè tetigit Richardus, in alio licet sensu, nimirùm de illis, qui in omnibus esse volunt, & sunt, singulares, & exempti, locutus; attamen etiam horum, quos diffidentiæ, & infidelitatis spiritus infestat, tentationi quadrare non incongruè potest. Dicit igitur: a *Cum luce, & claritate dæmones ad nos veniunt, quando in eo, quod fraudulenter suggerunt, non modò discretè, verùm etiam devotè* (devotionis hujus titulum insusurrat dæmon, cùm aut Superiorem minimè turbandum, & tàm frivolis apinis occupandum astutissimè suadet; aut tempus, quod reddendæ rationi conscientiæ, tribuendum foret, utiliùs impendendum orationi, vel visitationi Sanctissimi Sacramenti, vel alicui alij bono operi) *devotè*, inquam, *factu-*

a *Richard. ad Psal.* 90.

ros

ros nos promittunt, & persuadere contendunt. Fit autem sæpè ut hujusmodi fraudulentâ tentatione infatuata mens eò usq; desipiat, ut in eo ipso quod ex dæmoniaca persuasione actitat, cæteris se credat, & rectiùs sapere, & sanctiùs agere, Paucis autem interjectis: *In hunc modum*, ait, *dæmonium meridianum quosdam fraudulenter supplantat, in tantumq; infatuat, ut in suis singularibus* (addam ego; in opinionis suæ, ac perfidiæ contumacia) *imò suis in rebellionibus, quas in suos prælatos assiduè committunt. putent se cæteris omnibus sapientiores, & cæteris omnibus sanctiores*. Hactenus Richardus. Ex quo satis liquet, quorsùm ea se erigat erga Superiorem diffidentia. Nimirùm fit adeò contumax, ut sibi tantùm sapiens & fratrum contemnat consilia, & Superiorum, ac regulæ parvi pendat præcepta. Fatuum certè in Religioso juvene consilium est; nolle doceri; nolle duci. Peregrinus itineris ignarus, & vel duci infido credulus, vel benè docenti viam minimè fidens, non solùm errori, sed & notabili pereundi periculo se reddit obnoxium, ità Religiosus tyro, aut etiam professione. vel ætate juvenis quia malè suadenti auscultat dæmoni, facilè ducitur in errorem, ità, ut spiritu pariter, & promovendo gnaviter studio professionis haud difficilè destituatur.

7. *Alterum* invalescentis erga Superiorem diffidentiæ fundamentum est, Divinæ gratiæ, cujus se reddit incapacem per istam infidelitatem, fictionemque subtractio. Cùm enim Deus in bonis acceptis ab eo velit nos semper proficere (ut docet [a] S. Thomas, secūdâ secundæ quæst. 78. artic. 1. ad primum) & gratia vocationis ad Religionem sit bonum peculiare; non est dubium, ideò bonum hoc Religioso collatum esse, ut in eo proficiat. Cùm verò per negligentiam suam, imò per aliquam contumaciam non modò nolit, in bono proficere, verùm etiam pergat abuti beneficio, & gratiâ vocationis, quando sub pallio religioso pravos fovet affectus, & mnam à Domino sibi datam ad usum fructum, ut

[a] *S. Tho. 21. q. 78. a. 1. ad 1.*

in

in ea pro Dei gloria, & animæ suæ salute sedulò operetur, ipse cum Evangelico servo nequam, servat eam repositam in sudario, vel infodit in terram, & continuo laborans diffidentiæ torpore fingit, quod non est; sinceritatem simulat, quàm non habet; religiositatē ostentat, quam sensim exuit: Deus etiam aufert ab ipso gratiam, & Spiritus Sanctus ab ejusmodi perverso corde se subtrahit. Est enim verissimum, quod habetur in libro sapientiæ: [a] *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sinè intellectu; & corripietur à superveniente iniquitate.* Verè etenim *Cogitationes sinè intellectu sunt* unius Novitij Religiosi, vel juvenis; qui multa sibi fingit in animo, quibus Superiorem, aut patrem spiritualem eludat, & in eo tantùm se fundat, quòd non habeat confidentiam ad spiritualem arbitrum conscientiæ. Non habes, bone juvenis confidentiam ad illum? quia ipsam habere non vis, & fingis tibi laborem ceu rem quampiam arduam, in præcepto, quod per venerabilē instituti auctorem constituit Deus: qui non jam loquitur nobis, ut olim Patriarchis, atq; Prophetis in veteri testamento sivè aspectabili per visiones specie; sivè per Angelum aliquem: sed loquitur ad nos per homines similes nobis, per Superiores, docendis, instituendis, & gubernandis nobis præpositos ità, ut & subditorum erga Superiores probetur, & exerceatur humilitas; & alijs exhibeatur exemplum.

8. Opportunum hìc occurrit divinæ scripturæ mysterium, quod Deus in Samuele propheta voluit ad aliorum eruditionem exhibere. Instituendus erat ille puer ad divini eloquij intelligentiam; ei tamen non priùs arcanum futurum aperuit; quàm semel, iterùm, ac tertiùm vocatus, deniq; ab Heli summo Sacerdote, quidnam agendum esset, instrueretur. Poterat benè Deus efficere, ut vocato puero statim loqueretur, neq; permitteret ipsum toties ad senem currere, & recurrere. & tamen id minimè fecit, nisi puer

a *Sap.* 1. 5.

priùs

priùs edoctus à Sacerdote, quomodò, & quid vocanti Deo responderet. Atq; tunc primùm ipsi divinum eloquium revelatum est, cùm juxta doctrinam senis Põtificis Heli respondit Deo Samuel: [a] *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Jam quo mysterio Deus puero nonnisi per Sacerdotem priùs edocto locutus est? eo videlicet, ut doceret; non minùs à Senioribus, Superioribus erudiendum priùs esse juvenem, ac tyronem; quàm ab ipso Deo loquente mysteria sunt percipienda. Vel cum Cassiano dicam: Ut juvenes [b] *Absq; confessionis operimento omnia cordis sui secreta senioribus manifestent; atq; ab eis vel remedia vulnerum, vel exempla conversationis, ac vitæ, fiducialiter sumant.* Magnum erat; vocantem Dominum audivisse; præsertim quia [c] *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* & tamen ad hunc audiendum institui puerum antè per Sacerdotem voluit Deus, tamquam majoris esset momenti, priùs auditam vocem seniori manifestare; ab ipso formam loquendi, conversandique cum Deo accipere, quàm Dominũ sua pandentem mysteria audire. Subdit igitur idem Cassianus: *In tantum Deo placita hæc sententia comprobatur,* (puta; cordis sui secreta senioribus, sivè Superioribus manifestare, atq; ab eis vel remedia vulnerum, vel formam, & exempla conversationis, ac vitæ fiduciliter sumere) *ut etiam scripturis sanctis hanc institutionem inveniamus insertam; ità, ut puerum Samuelem suo præelectum judicio nollet per semetipsum divini colloquij disciplinam erudire: sed recurrere semel, & iterùm pateretur ad senem eum, quem ad suum convocabat alloquium, etiam illius, qui offenderat Deum senioris doctrinâ vellet institui.* Rationem mox addit appositissimam, ac dicit: *Et hoc ideò; ut & illius, qui ad divinum mysterium vocabatur, probaretur humilitas; & junioribus forma subjectionis hoc proponeretur exemplo.* Hactenus Cassianus.

9 Jam ad tuum, bone juvenis, redeo sensum dicentis: Non habeo confidentiam ad illum. Cur autem? An quia parùm eruditum expertus es?

[a] 1. Re. 3. 10. [b] *Cassian.* [c] 1. Re. 3. 1.

Hoc quidem commentum eſt tuum, & magnus in ſpiritu (liceat hìc ità dicere) idiotiſſmus. Et dato, quòd ingenij tui vivacitati, ſi non potiùs perverſitati, non reſpondeat; ſcire tamen debes; Deum ariolo Balaam locutum fuiſſe neque ſtatim per Angelum, neq; per alium eruditum prophetam: ſed *a* *Per os aſinæ*. An quia moribus aſper, ac ſeverus eſt? Reſpondet tibi S. Bernardus: *b* *Ideò renuis, quia ſeverum imaginaris, qui amabilis eſt*. Tua, inquam, id facit imaginatio, qui fingis tibi ſeveritatem in eo, qui ſecundum Deum amat te, ut pater filium, & tu deberes amare ipſum, ut patrem filius. An quia imperfectis obnoxium æquè, atque es tu, obſervâſti? ſed Deus Samuelem *Etiam illius, qui offenderat Deum*, & quidem graviſſimè, *ſenioris doctrina voluit inſtitui*. Igitur non valet tua ratio: Non habeo confidentiam, ſed benè tibi reponi poteſt cum illo patre familias: *c* *An oculus tuus nequám eſt, quia ego bonus ſum?* Ideò nequiter, & fictè procedis, & ideò tibi nequiter multa confingis, quia Superiorem bonum, benignum, & candidum nactus es: & ideò benignum; quia tuam hypocriſim ſcis ità palliare, ut occultam, inteſtinamq; animi tui ægritudinem intelligere non poſſit: & ideò non poteſt intelligere: quia omnia cordis, & animi tui ſecreta non ei manifeſtas. Hinc deniq; ſequitur; quòd non ſolùm ſpiritu ſerviendi Deo deficias; ſed etiam tandē excidas vocatione tua. Quam infelicitatem, ac ruinam, adſcribas nemini, quàm hypocriſi, & inani diffidentiæ tuæ.

§. II.

Inanis è Religione dimittendi ſui metus in tyrone plerumque infidelitatis eſt cauſa.

1. ETſi potiſſimùm ſoleat ſuggerere varias humani generis inimicus inventione ſuâ vaſerrimâ cauſas infidelitatis; eas tamen plerumque, ne videlicet ejus advertatur aſtutia, ſumit ex nobis ipſis. Hinc veterator inſidioſiſſimus, ut hominem primum in paradiſo deci-

a *Num.* 22. 28. *b* *S. Bernard.*
c *Matth.* 20. 15.

deciperet, non statim adortus est mulierem invitamento ad comedendum de ligno scientiæ boni, & mali vetito. Quia simpliciter si dixisset ipsi: cum ex omni ligno, quod est in paradiso, liceat vobis comedere, comedite etiam de ligno scientiæ boni, & mali; fuisset mox deprehensa malè suadentis fraus: simpliciter enim ex ingenio suo visus fuisset incitare ad comedendum ex ligno, cujus usus directè repugnabat præcepto Dei. Sed ut colorem aliquem obtenderet perversitati suæ, viam sibi stravit ad decipiendum partim ex occasione continentiæ, quam uterq; protoplastorum exhibuit Creatori suo, non tangendo fructum ligni vetiti. Dixit igitur: a *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Quasi diceret sycophanta: Cur adeò continentes estis, & hucusq; genium tam pertinaciter defraudatis, ut nolitis comedere de omni ligno paradisi, scilicet etiam de ligno scientiæ boni, & mali? Partim occasionem sumpsit callidissimus serpens ex aliqua mulieris impatientia, quam ille benè perspexit. Cruciabatur enim plurimum eâ ligni scientiæ boni, & mali prohibitione; hinc quidẽ pulchritudinem, & ad delectationem proritantis ligni speciem admirata; illinc præceptum vetans esusdem usum arbitrata, satis ægrè incipiebat; sibi non licere vesci tam nobili fructu. Igitur versipellis serpens, aut potiùs in serpentis figura Creatori suo rebellis, ac desertor Angelus, ut odium, quo contra Deum flagrabat ipse, pariter excitaret in homine, subtiliter hoc attigit in muliere, quod ipsius animum vehementer urebat: videlicet præceptum de non edendo de tam bono, pulchro, ac delectabili (sicut videbatur) ad vescendum ligno; & ideò refricavit memoriam ejus, quod mulier versabat mente, crebriùs: *Cur præcepit nobis Deus, ut non comederemus de omni ligno paradisi?* & diabolus id ipsum mentis scrutinium, moliminis autem sui quasi fundamentum quoddam assumens, ex intimis ejus animi latebris eruit, quo mulierem magis etiam irritavit: *Cur præcepit vo-*

a Ge. 3. 1.

bis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Hoc nequã tentator proposuit, quod mulier impatiens mente tractavit. Ingeniosum ejus è sacra scriptura loci commentum est eruditissimi Ruperti. *Qui postquam* multa super mulieris cum serpente colloquio eruditè disseruit, in hæc deniq; concludit verba: a *Ergò jam impatienter ferebat mulier, & murmurabat, quòd quasi parcus, vel avarus Deus potiora medij paradisi reservaret, & viliora quæq; per circuitum colligendo, in cibum homini concessisset.*

2. Ità quidem statim ad initium creati hominis occasionem tentandi sumpsit diabolus non à perversa indole sua; sed ab eo, quòd mulier animo jam versabat. Enim verò sicut in paradiso à mulieris appetentia rem suam egerat inimicus; sic posteà negotium evertendæ salutis humanæ molitus est, (sed majore damno, & ignominiâ suâ) versutissimus hostis in deserto. Ubi Christum Dominum, ut tentaret, non ante adortus est, quàm haberet causam opportunissimam ex Domino esuriente post exactam quadraginta dierum, & quadraginta noctium inediam: a *Cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* (sacer historicus ait) *postea esurijt.* Hìc igitur ex esurie Domini tentator machinationis suæ principium posuit: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Ideoq; S. Hieronymus in hanc Evangelij commentans historiam, sapienter advertit, & ait; b *Animadvertendum, quòd nisi jejunare cœpisset Dominus, tentandi occasio non fuisset diabolo.* Non incepit machinamentum suum ab idololatria, quâ superbissima bestia coli voluit: non à vanæ gloriæ ambitu, quo solent viri, qui divino sunt animo, nonnunquam infestari. Quia Dei Filium, imò Deum verum in carne humana suspicatus, non ausus est ab ea statim adoriri parte, quam scivit esse validissimam, nimirùm à Christi divinitate, quæ tentationi obnoxia non fuit: sed ab humanæ carnis infirmitate: *Postquam esurijt.* Nam esurire post diuturnum jejunium, proprium erat hominis. Igitur

a *Rupert. Comm. in Ge. l.3.c.8. in medio.*

a *Matth. 4. 2.* c *S. Hier, hìc.*

tur ex ipsâ Domini famentis esurie machinationem suam incepit, & dolum dolare voluit, sicut & olim à mulieris ad lignum vetitum appetentia.

3. Cæterùm sicut in paradiso, & in deserto, tentator ex infirmitatis humanæ ad lapsũ proclivitate tentandi sumpsit occasionem; sic & religiosum tyronem aggreditur plerumq; non à peregrina quapiam, & ignota Novitio tentandi materia: sed causam, & materiam sumit ab eo, quod intus in ipso latet. Rem planiùs expono. Ingreditur aliquis Religionem cum conscientia (rariùs id quidem accidit, solet tamen accidere) cum conscientia, inquam, vitijs enormioribus, in quæ sæcularis erat effusus, onerata. Et quamvis jam Dei gratiâ non habeat ad eadẽ in claustro occasionem, nihilominùs in ipso perseverat quædam ad ea inclinatio; nec cessat anteactorum inimicus refricare memoriam; & ità suscitare tentationem. Eapropter etsi non desistat tentatus crebrioribus pietatis, devotionis, & contritionis actibus insistere pœnitentiæ; tamen infelicissimus est in eo, quòd susurranti consentiat inimico, ne se cum inclinatione sua, crebraq; tentatione manifestet Superiori, sivè Patri spirituali. Rationẽ habet, & scrupulum sibi solvit: ne videlicet & propter inclinationẽ istam, crebram tentationem, in sua vocatione impediatur; id est: ne dimittatur ex Religione. In quo magnam diaboli fraudem est deprehendere, totam spem, & impugnandi, vincendiq; vim constituentis in eo, quod propter inclinationis in vitium aliquod manifestationem vocatione suâ privandus sit manifestans.

4. Quod tamen dæmonis argumentum omninò frivolũ est, & falsissimum. Nam Superior, aut Magister Novitiorum, ubi videt sinceritatem Novitij miserias suas candidè revelantis, adeò nihil turbatur, aut offenditur, eâ inclinatione, frequentiq; tentatione; ut etiam magis incipiat tentatum, & humiliter remedia quærentem, diligere, juvare,

periclitanti proſpicere, & modis omnibus ea remedia providere, tentatoq; ſuccurrere: ne vel ad ſæculum redeat, ibiq; manifeſto ſalutem animæ ſuæ perdendæ periculo rediturum objiciat; vel etiam in Religione, ubi nunquam humani generis inimicus infeſtare ceſſat, relabatur tentatus. Imò, quòd ampliùs, præterquam quòd Superior ſinceritatem illius arbitratus, incipiat ipſum diligere magis, & virtutem ejus ſuſpicere, ſpem etiam concipit optimam profectus in ſpiritu magni, & perſeverantiæ. Nam, ut Caſſianus ait: *a Nihil adverſus minores*, juvenes, ac tyrones, *calidiſſimus prævalet inimicus; ſi abſq; confeſſionis operimento* (quod & alibi dictum eſt) *omnia cordis ſui ſecreta ſenioribus manifeſtent; atq; ab eis vel remedia vulnerum, vel exempla converſationis, ac vitæ, fiducialiter ſumant.*

5. Inſuper magis etiam animatur Superior ad ſincere manifeſtantē ſe, juvandum; tùm quòd perſpicuum habeat, quà parte debeat, ac poſſit conſilium, auxilium, & remedium adbibere; tùm quòd videat ipſum in bono ſtatu, paratum reſiſtere, fortiterque pugnare contra diabolicas incurſiones. Animum autem prætereà majorem ſumit ideò: quia benè ſcit, incumbere ſibi negotium animæ ſubditi ſui. Quem ſi perire permittat, rationem ſe pro pereuntis anima redditurum; neq; pro negligentia caſtigationem evaſurum. Eſt enim terribile, quod uniuſcujuſq; Superioris animum pulſat, percellit, ac terrore concutit conſcientiam, illud apud Ezechielem, Domini pronuntiatū: *a Et tu fili hominis; ſpeculatorem dedi te domui Iſraël. Audiens ergò ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me; ſi me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Quæ verba ponderans S. Proſper: *b Quis*, ait, *tàm ſaxeus, tàm ferreus erit; quem ſententia iſta non percellat?*

6. Omnis Superior, & omnis, cui cura incumbit animarum,

a Caſſian.

a Ezech. 33. 7. b S. Proſp. lib. 1. de vita contemplat. c. 20.

marum, à Deo ſpeculator, conſtitutus eſt: ideòq; benè ſenteutiam hanc animo quotidie verſat, eaq; percellitur: ac propterea nihil prætermittit, quod ad ſubditi pertinet auxilium, & ſalutem; ne, ſi negligentiâ ſuâ contingat aliquam animam perire, ſanguis intereuntis de manibus ejus requiratur. Hanc Superiorum ſolicitam curam Apoſtolus ſcribens ad Hebræos expreſſit pathetice, cùm dixit: [a] *Ipſi pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Pervigilant, inquam, Superiores, & Magiſtri Novitiorum, cum ea ſolicitudine; ut potiorem habeant rationem ſalutis ſubditorum, quàm ſuæ: ſæpè etiam præ nimiùm anxia ſuorum cura, ſuimetipſorum obliviſcantur, tamquam non aliud agere debeant, quàm ſubditorum ſaluti proſpicere. Sciunt enim illi (ſi tamen omnes id efficaciter apprehendunt) quantum ipſis incumbat onus; quàm periculoſum, quàm formidandum! ut rectè S. Joannes Chryſoſtomus in quadam homilia dicat: [b] *Miror; ſi poteſt aliquis rectorum ſalvari.* Eſt ergò Novitij religioſi timor vanus; ne ob notitiam inclinationis ad vitium olim in ſæculo frequentatum, ſed Dei gratiâ relictum, & ob tentationem recrudeſcentem ad ſæculum dimittatur. Inclinatio, & tentatio nunquam movet Superiorem ad dimiſſionem; imò ſinceritas in manifeſtando ſe, firmiſſimum vinculum eſt, obſtringens Superiorem ad arctiùs complectendum charitate paternâ ſubditum, eumq; juvandum. Sed benè propter infidelitatem permittet Deus, ut quis & ſpiritu excidat, & ſuſceptâ vocatione privetur.

7. Hujus autem rei triplex aſſignari poteſt cauſa. *Prima*; quòd diabolus adverſarius habeat ſufficientem campum firmandi machinationem ſuam, & promovendi, ità, ut jam non tantùm taceat Novitius eam tentationem, cui colluctatur crebriùs; ſed etiam alia quædam vel imperfecta, quæ admittit in hac ſpirituali pugna; vel media, quæ negligit ad fortiter pugnandum, & generosè vincendum, prorsùs occul-

[a] *Hebr.* 13. 17. [b] *S. Io. Chryſ. hom.* 14. *in ep. ad Hebr.*

occultat; ne, si manifestarentur ista, Superior in cognitionem veniat inclinationis, & sic jam directè contravenitur regulæ præcipienti non solùm Novitio, sed etiam unicuique professo, & est communis omnium Sanctorum patrum doctrina: ut [a] *Liberam quisq;* (sicut nostra loquitur Constitutio) *suiipsius, rerumq; omnium, quibus utitur,* (*de licentia tamen sui Superioris*) *dispositionem, eidem Superiori cum omni obedientia relinquat, nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo.* Cùm autem ad manifestationem sui etiam professum arctet regula qualemqualem viæ Spiritualis habentem experientiam; multò magis arctari se, stringiq; putet Novitius, si profectum, & animæ suæ salutem amat. Quam ubi negligit, & contumaciter in ea perseverat incuria, verè dicere de se potest, quod olim in confessione sua de se Divus Augustinus: [b] *Velle meum tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Nimirùm ex voluntate, quam tyro prosequitur, non manifestando se diabolus catenam sibi conficit, & ità captam constringit animam, ut nec ad ulteriorem in spiritu profectum movere se possit; nec inimico ad pejora perstimulanti resistere. Siquidem nec consilium, nec auxilium habet ab eo, cujus interest consulere periclitanti.

8. *Altera causa*, cur taciturnus iste vocatione suâ facilè excidat, est. Quia cùm Superior advigilare debeat subdito propter tria necessaria, sicut docet S. Bernardus, jam per eam tentationis occultationē defraudat tyro Superioris vigilantiam, & consequenter ultroneè privat, & subtrahit se subsidio, quod habere posset tàm ad resistendum adversario, quàm ad consequendum cæleste lumen, & gratiam, atque auxilium in spirituali vita opportunum. Est autem, sicut omni subdito religioso, sic tyroni præcipuè vigilantia Superioris necessaria (sicut jam innuimus) propter tria: [a] *Videlicet* (S. Bernardus ait) *ad disciplinam, ad custodiam, ad preces.*

[a] *Constit. p. 2. c. 2.*
[b] *S. Aug. Confes. lib. 8,*

[a] *S. Bernard. in sententijs.*

ces. Ad disciplinam propter morum correctionem; ne grex commissus, propriâ molestiâ deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem; ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam; ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor est justitiæ; in custodia, spiritus consilij: in prece, affectus compassionis. Ità S. Bernardus Jam verò dum inclinationem, tentationesq; suas non occultat Novitius, & Superior ideò subditi necessitatem ignorat, cessat disciplina vitio impugnanti necessaria; sicq; miser tyro propriâ molestiâ deficit, & contabescit. Cessat & custodia tali inclinationi per opportuna; & ita calliditati diabolicæ patet facillimus aditus ad suggerendum, insusurrandum, imò & ad impetrandum, quidquid ipsi collibitum est. Cessant & preces, quæ tentationi deberent opponi pro tentato. Nam etsi Superior quotidie pro subditis suis oret; ardentiores tamen, & crebriores ex paterna commiseratione preces ad Deum fundere consuevit pro magis periclitante. Cùm autem ipsi non constet de periculo, non etiam orat in peculiari pro ipso. atque ità destitutus (& quidem voluntariè) summè necessario precum auxilio, facilè vincitur à pusillanimitate.

9. *Tertia* denique, cum in ea sui occultatione facillimè vocationem deserat tyro, causa est, divinæ gratiæ subtractio. Quam gratiā ad ulteriorē profectū quia per humiliationē sui promereri noluit, iusto Dei judicio relabitur & in valescēte post relapsū inclinatione venitur ad novā idē vitium frequētandi consuetudinē adeò, ut non jam solū nulla quærantur ad resistendū remedia; sed etiam animus eâ vitij consuetudine nimiùm illectus, oblitus vocationis suæ, divinæque miserationis, quâ Deus ipsum in Religionem vocavit, penitus obdurescat. Et hic est fructus panici timoris ad occultandam inclinationem, & tentationem pertrahentis. Et sequitur indè

§. III.

Quòd consuetudo vitium aliquod frequentandi, tandem etiam

tiam ad Sacramentum pœnitentiæ defraudandum inducit.

1. Quantæ pernitiei ſit cauſa tàm infidelitas erga ſuperiorem in manifeſtanda conſcientia, quàm ipſe manifeſtandi ſui metus, ſatis ex eo patet; vbi ventum fuerit ad relapſũ & inde ad relabendi, vitiumque frequentandi conſvetudinem, ſuperinducatur animi durities, & feré quædam (ut vocamus) impœnitentia: Quam per inclinationis conſequenter & patrati, frequentatique peccati reticentiam, inſatiabilis animarum prædo machinatur. Poſtquam enim quod erat principale, & in quo totus conſcientiæ dirigẽdæ vertebatur cardo, diffidẽtiam, infidelitatem, & ſupinum quemdam conſcientiæ neglectum perſvaſit, mirùm non eſt; ſi, quod jam ex primo facilé conſequitur, nimirûm ad peccatum aliquod occultandum inductio, jam etiam hoc impetret ab intricatá certis pedicis anima, ut poſt vitium in novam praxim admiſſum & ſæpiùs iteratum, idipſum illi, quem â ſacris habet confeſſionibus, patri, ſeu Magiſtro tyrocinij non manifeſtet. Ex quo major ſẽper ſequitur durities animi, cordis, & pœnitentiæ neglectus, ità ut ad ſingulas confeſſiones, quas expedit, totidem admittere Sacrilegia non ſibi ducat religioni; dum nec illorum, quæ confeſſus eſt, abſolutio fuit ulla; nec iſtorum, quæ tacuit, remiſſionem obtinuit, pœnitens ore, non corde, ſemper ſacrilegus. Cui benè vel ipſa crebriùs obſtrepit conſcientia, quod olim Petrus Apoſtolus Ananiæ: *Cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non eſt mentitus hominibus, ſed Deo.* Circumſcripſiſti quidem facta tua & occultaſti peccatum tuum, & hominem eluſiſti; ſed quia Dei vices idem homo ſuſtinet; ideó non es mentitus ſuperiori; non patri tuo Spirituali; *ſed DEO.*

2. Audi enim, quid dicat tibi Spiritus Sanctus apud Ieremiam Prophetam: *Effunde ſicut aquam, cor tuum in conſpe-*

Domi-

Domini. Adeó nimirúm conſcientiám tuam oportebat in pœnitentiæ Sacramento ſincerè, & ad ultimam atomon evacuare, nihil pœnitus ut relinqueretur, undé peccatum, aut peccati auctor diabolus habeat vires in animam dominandi. Cui demùm adſtipulatur per omnia, pandendi cōſcientiam infidelitas; quæ & peccatum non effundit, & affectum ad continuandum peccatum, aut iterandum retinet. Propterea propheta non immeritó deplorans hunc animæ ſtatum hortatur, non quomodocunque cor ut effundas *In conſpectu Domini*, ſed *effunde ſicut aquam.* Cur autem *ſicut aquam*, non ſicut oleum, vel ſicut quemlibet liquorem aliū? Reſpondeat tibi Hugo de Sancto victore: *Cæteri liquores* (ait ille) *cúm effunduntur, vel quadam pinguedine ſuperlinita, vel ſapore infecta vaſa relinqunt. Sola aqua ſic effunditur, ut munditia vaſis nullis eius reliquiis maculetur.* Concludit denique: *Qui ergò peccata ſua confitentes aliqua vel negligentiæ, vel erubeſcentiæ, causâ effundere timent; quaſi in vaſe cordis, ſpiſſi liquoris reliquias retinent.*

3. Idipſum multis ſæculis ante Hugonem aliâ ſimilitudine egregié illuſtravit Origenes, cúm ait: *ſicut hi, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, vel phlegmatis ſtomacho graviter, & moleſté imminentiá, ſi vomuerunt, relevantur, itá etiam hi, qui peccaverunt, ſi quid occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecús urgentur, & propemodùm ſuffocantur, à phlegmate, vel humore peccati.* Igitur eâ frequentati relapſûs conſvetudine infectus quamdiú malé perſvaſus inclinationem, tentationē & relabendi frequentiam occultat aliquis; in animo tamdiú pernicioſam fovet peſtem & inſtar tumentis ab occulto veneno ventriculi gravidam gerit conſcientiam, ac pœnitentiæ Sacramentum pergit defraudare; donec vel iratus infidelitati Deus aliâ (non cōfeſſionis) viâ fraudem detegit, ut propterea judicet ſuperior dimittendum perfidum vel ipſe victus puſillanimitate vocationem deſperet, urgeat-

Orig. homil. 2. in Pſal. 37.

que dimitti; vel (quod ignominiosiùs eſt) clam omnibus quod bené cœperat olim, infeliciter deſerat : & tamen cum onerata jam ſemper conſcientia. Quia multoties in arcano confeſſionis tribunali *non eſt mentitus hominibus* ; *ſed Deo.*

4. Enim veró in tam intricatum, & animæ periculoſiſſimum labyrinthum ut Stygius inducat veterator, aliam inſuper inſuſurrat opinionem; quâ ſub ſpecie operis alioquin boni, ſed re verâ fallacis, mẽtem decipit. Id eſt; tangitur ſubinde peccatorum aliquâ pœnitudine, quam ſuggerit onerata conſcientia; tundit pectus; ſuſpirat; dolet; etiam in lachrymas erumpit; imponit ſibi pœnam aliquam túm in remedium frenandi, a quo impugnatur, vitij; túm etiam ad delicti, per ejusmodi pœnam expiationem. Sed quid ? Perſuadet ſibi, quód ex dolore, quem habet de relapſu ſivé frequentato, ſivé bis, aut ter admiſſo, ſe feciſſe ſatis; & ideó premit intra, neque convincit ipſum ſcrupulus, ut per manifeſtationem peccati perfectiús animum expurget; atque ita, ſicut ſemel cœpit, ſic deinceps ſemper proſequitur ſacrilegé confiteri; ſemper autem in hoc refugium ſuum reponens, vel quod non habeat confidentiam, vel quód priuari timeãt vocatione. Cúm interim ipſe privat ſe per proprij judicij contumaciam, & per inſanam in conſcientiæ foro perfidiam, continuè conſtitutus in ſtatu malo. Privat, inquam, ſe gratiâ Dei quæ ſolet infundi verè pœnitenti, & integrè confitenti. Sed occultans iſte negligit utrumq; quando nec veré pœnitens eſt non exuendo affectum erga peccatum; nec confitetur integrò; quando reticet relapſum, & animæ ſuæ ſtatum occultat.

5. Iam ſicut verè pœnitens *duplicem conſequitur gratiam* (ut ait Stephanus Abbas) *ſcilicet affectum declinandi à malo, & faciendi bonum* : ita malè ſacrilegeque confitens duplicem denuó, præter admiſſa peccata. quæ forent exponenda, contrahit culpam : videlicet

Arph. Abb.

retinendo affectum non declinándi à malo. & non faciendi bonum. Aut, si mavis, incurrit culpam infidelitatis, & hypocriséôs. Hæc ipsum Deo reddit exosum, illa non permittit in via spiritûs prosperari. Et tam infidelitas in pœnitentiæ Sacramento, quã hypocrisis uno sophismatis, & perversæ locutionis aphorismo quia comprehenduntur; ideó Spiritus Sanctus utriusque damna per unam, ab Ecclesiastico pronuntiatam sententiam diserté sic exponit: *Qui sophisticé loquitur, odibilis est* (id est, coram Deo,) *in omni re fraudabitur.* Quare autem? Quia *non est illi data â Domino gratia. Omni enim sapientiæ defraudatus est.* O miser hypocryta! dum famæ suæ consulere nititur; dum in religiosa vocatione fraudulenter studet se conservare; dum sophisticé loquitur, & agit cũ superiore, cum Magistro, cum patre spirituali perperam; *omni sapientiâ defraudátus est*; prorsús insanijt. Quia *non est illi data à Domino gratia.* Et ubi perperam quærit animæ remedia, morborum spiritualium vim auget; & quidquid agit etiam boni, vertitur ipsi in peccatum; uti sapienter S. Petrus Chrysologus hanc sophisticé tam confitendi, quam vivendi methodum, ac hypocrisin certam vocat pestilentiam; *Quæ remediis creat morbos, conficit de medicina langvorem; sanctitatem vertit in crimen; placationẽ facit reatum & sicut* (*eodẽ aureo oratore teste*) *crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutũ; ieiunio ieiunium perimit, oratione orationem evacuat*: ita confessione confessionẽ trucidat, pœnitentiam interimit pœnitentiâ; Sacram Communionem aliâ Sacrâ synaxi occidit; ita miserã animam omni gratiâ defraudat, *spoliat, & denudat.*

Eccli. 37. 23.

6. Fit autem indé quód nequiter operantis omne studium ipsi reddatur inutile; nec possit habere fructum ex omnibus, quæ facit, religionis exercitijs, nec ullo modo finem consequatur suum, quantumcunque laboret, eóque semper collineet, ut hâc ratione vocationis perseverantiam cõtingat. Nec facit aliud, quã quod

quod aranea, quæ in texendo ſibi domicilio, vel reticulo ad capiendas muſcas, non alium in uſum, ſe totam eviſcerat : ſed prorſús exiguo, vel nullo commodo ſuo. Quia minimus ventus eum laborem afflet, aut virgula quæpiam perſtringat, aut materfamilias hoc inutili parietis, aut laquearis offenſa periſtromate, ſcopas admoveat, nihil omnem illam tam induſtrioſam ab interitu defendit artem. Sic iſte, quãdiu confeſſionem fraudulenter, & ſacrilegè peragit, ſemper in ſacrilegio fruſtra laborat; orationes, & alia corporis affligandi exercitia; diſciplinam, quam in ſtatu religioſo; quantumvis operoſè frequentat, nullo ſuo exercet fructu. Quia eſt extra Dei gratiam ; *Non illi data â domino gratia*, Quare non immeritò *vates* Evangelicus opera taliter operantium *vocat etiam* ipſe telas araneæ; cum ait : *Telas araneæ texuerunt*. Atque mox addit: Telæ eorum non erunt *in veſtimentum* , *neque operientur operibus ſuis*. *Opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum*. Quibus verbis diſertè docet; hominem in ſtatu peccati mortalis nec dum expiati per humilem Confeſſionem, neque jeiunijs, neque orationis ſtudio, neque ullis corporis afflictationibus apud Deum aliquid impetrare ; ſed inutiliter operari ſemper; eò quòd *Opus iniquitatis ſit in manibus* ejus. id eſt : hoc ipſum, quod videtur ſibi facere, bonum ; hæc ejus ipſa peccatorum confeſſio, quia nec fidelis, nec integra eſt, vertitur in malum, in peccatum , & in abominationem.

S. Petr. Chryſ. ſer. 7. Iſa. 59. 5.

7. Non vacat idcircó myſterio, quód Deus poſt exitioſum illum cataclyſmum, *quo conſumpta eſt omnis caro*, *quæ movebatur ſuper terram, remanſit autem ſolus Nòe, & qui cum eo erant in arca*, cúm carnis eſum hominibus permiſiſſet, illud caverit, ne veſcerentur morticinis. Dixit enim : *omne, quod movetur, & vivit erit vobis in cibum : quaſi olera virentia tradidi vobis omnia excepto, quód carnem cum ſanguine non comedetis*. Rationem hujus ve-

Ge: 7. 21. C. 9. 3.

jus vetiti profert Eucherius: eó quód morticinorum caro sit morbida, minimèque salubris; ideó Deus non admisit escam animalium mortuorum ex quibus sangvis effusus non esset. Et hoc quidem ad sensum attinet literalem. sed misticé indicatur, ut peccatorũ quæ per sangvinem designantur, fiat effusio per Confessionem; secús conscientiam suffocatam, quam onerat delictorum reticentia, Deo minimè placituram. Do ipsissima Eucherij: verba *Morticinũ* inquit *ad escã non admisit Deus, eò quòd mortuorum animalium, & non occisorum, morbida caro est, nec apta ad salutem corporum.* Et post pauca: *Mysticé autem vult Deus, ut effundatur sanguis; id est, peccatum per confessionem in conspectu Domini effundatur. Quia abominatur conscientias suffocatas, quarum sanguis non est effusus.* En igitur, quorsum miseram animam adducit frequentandi vitium aliquod cõsvetudo: ad confessiones sacrilegas, ad operum bonorum interemptionem, ad conscientiæ suffocationem, ad abominationem coram Deo: *quia abominatur* Dominus *conscientias suffocatas.*

CAPVT V.

§ I.

Otium est occulta tinea religiosæ vocationis.

1. Inter alia, quæ superioribus hucusque capitibus tractavimus, diximusque spectare plurimùm ad ruinam vocationis tam in novitio, quàm in professo, non minùs est, quod hic examinandum occurrit, otium ab omnibus sanctis Patribus jure meritissimo vehementer vituperatũ adeó, ut ex hoc uno omne id, quod de dissolutione, ac licentia dictum est superiús, originem ducere videatur. Et ideó tam usurpatæ licentiæ, quàm commoditatum cõquisitioni, & aliorum religiosæ professioni maximé noxiorum, tanquam certum fundamentum, & quædam scaturigo, caput hoc fuerat præmittendum. Sed quia non magis ordini, quam ipsi rei, juxta ut in mentem venit, insistimus

non

non magnum erit in hac materia scribenda delictum, etiam hoc loco persequi, quod alibi fuerat insectandum. Vt enim in prælio magna quidē ordinis, nè turbetur, haberi solet ratio; sed nihilominús eò plerumque convertuntur arma, quó necessitas alia vocat. Sic etiam hic eâtenus ordini consulitur, quatenus in prima parte de continua egimus occupatione capite quīto, nunc etiam caput secundæ partis hujus itidem quintum impugnet otium, non tantùm eorum, quæ jam dicta sunt hâc parte secundâ, vitiorum, sed etiam eorum, quæ vocationi maximè noxia deprehenduntur, originem, fomitem, & nutrimentum, adeó, ut vel ipse creator optimus hoc uńum statim in homine primo cavisse videatur; ne quid otio daretur in Paradiso.

2. Nam teste Sacro Scriptore Moyse: *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Quamvis enim verbo suo Deus ita creavit in paradiso voluptatis omnia, ut simul Diuina providentiâ suâ singula conservaret in vigore suo; nec opus esset hominis operatione; vitam, vegeationem, propagationem ad incrementum plātis, arboribus, herbis, omnibusque virentibus impertierit sic, ut ea nec laborem, nec custodiam hominis, in paradiso præsertim, requirerent; tamen Deus *Hominem posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*; videlicet non ad onerosam aliquam fatigationem; sed ad honestam occupationem in illo voluptatis horto mentem magis, quā corpus,, oblectaret, admirando Creatoris in rebus creatis admirabile artificium, & sapientiam; laudando benefici Patris immensum beneficium, adorando providentiam incomprehensam; & ita continuâ quadam opificii divini contemplatione cum voluntate occupatus, otium, & in otio voluptatem immodicam à se propulsaret: ut rectè S. Ioannes Chrysostomus explicat, cúm ait: *Propterea præce-*

S. Ioan. Chrys.

pit Deus, ut homo operaretur paradisum, & custodiret; ut nè immodicâ prosperitate insolesceret. Omnem malitiam docuit otium. Erat autem operatio tunc citra laborem, & occupatio illa nec dolorem, nec molestiam afferebat.

3. Iam sicut in paradiso Deus hominem primum otiari noluit; *nè immodicâ prosperitate insolesceret*; ità multò magis jam post peccatum, & post corruptam naturam, semper in malum pronam, dandus est minimè locus otio, *omnem malitiam docenti*. Cúm certum sit, otium occultam esse tineam vestimento boni operis, & religiosæ vocationis sensim innascentem, rodentem, ac demolientem natiuúm domicilium suum, idest, ipsam vocationem. Nam otij indulgentiâ Religiosus primò delabitur per cogitatus inutiles, aut per opera sibi minùs convenientia, in culpas veniales; cùm & ipsum otium, etsi veniale, peccatum tamen sit. deindè invalescente cogitationū otiosarum turbâ, suboritur animi torpor fervoris, sicut & charitatis imminutio. Postremò etiam in aliquod indecens consensus. cùm ecce jam non unum, sed utrumque pedem innocentis antè animæ diabolus implicuit pedicæ periculosæ, de qua non facilé poterit se explicare. Expertus est idipsum David ille tàm sanctus, & ab ipsa sacra historia vir secundùm cor Dei laúdatus. Hic *eo tempore* (quod rectè sacer codex observat) *quo solent reges ad bella procedere* quid fecit? *Misit Ioab imperatorem militiæ, & servos suos cum eo, & universum Israel, & vastaverunt filios Ammon, & obsederunt Rabba, ipse autem remansit in Ierusalem*. Nec satis erat, otio indulsisse tempore bellandi, & quo duces, & regis militia, omnes in pulcherrimo fuerunt opere belli; oportebat etiam meridianum tempus impendere somno; oportebat & oculis aspectum liberiorem, postquam se de somno proripuit ad deambulandum, concedere; oculos in *mulierem lavantem se ex adverso super solarium suum* conijcere; in mulierem inquam, formâ elegantem. Ex qua de-

2. Re. 11. 1.

mùm otiosa deambulatione, aspectu, & mora, secutum est flagitium illud toto terrarum orbe decantatum.

4. Vnde Lyranus in hunc scripturæ locum commentans ait: *Mansit quasi otiosus, propter quod fuit lapsus in adulterium.* Tàm grãde peccatum non nisi otio tribuitur. Nam quia *eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, ipse remansit in Ierusalem* otiosus; & in otio, somno, deambulationi, aspectui, licet actionibus indifferentibus, indulsit, tamen quia feriabatur interim ab opere bono; id est, non se reflexit, ut eam indulgentiam in bonum per intentionem converteret facilè sensus ipsum induxit in grave delictum, quod idem Lyranus scitè perstringens, ait: *Dæmones, quos otiosos à bonis inveniunt, eos in peccatum inducunt.* Religiosus à periculo quidem in eiusmodi peccatum labendi intra claustri parietes securus est; sed diabolo sufficit, otiosum in cogitationis delectationem, in consensum etiam mentalem induxisse. Præterea ve-

Lyran. hic

terator iste reperiet etiam i-liud genus, quod lethale si- & in illud inducat; modò no- occupatum, nec agentem aliquid boni deprehendat.

5. Ceterùm tinea vermiculorum genus est, ... ste Plinio: *Quorum alii* ... *scuntur putrescente succo,* ... *materie, alii pariuntur, sicut* ... *arboribus.* Id quod experientia docet in compactis libris, in quibus glutinis vicem su-stinet farinæ massa: vel quorum locus, in quo conservantur; subhumidus est; sicut in vestimentis, nisi vel in crebro sint usu, vel ab asservantis arceatur tam humidum quàm alia quæcunque ca-generandi bestiolas easdem docet inquam, experientia non eas aliundé venire; se in ipsa, vel ex ipsa materia tali generationi obnoxia ... sci Sic otium non opus aliunde adsciscere; intùs hominis animo, si non per-petim occupato, bené tanquam in materie sua nascitur. Li-gno quoque tinea, sivè tere-do, non est adventitia; intus

Plin. Nat. hist. lib. 16. c. 41.

in ar-

in arbore generatur ex putrescente pulvere, succo, vel quacunque materia. Quod si demúm hic vermis, quem aliàs & Ceraften idem Plinius vocat, *Tantùm roserit, ut circumagat se, generat alium.* Sic otium non adsciscitur (uti jam dictum) aliunde sed intùs in homine laborem, & occupationem subterfugiente, sibique sensim ad otium indulgente, putrescit quodammodó vigor animi; ex quo necessè est generari vermiculum, tineam, aut ceraften; otium inquam, cui si detur ità locus, ut circumagere se possit, ac latiùs per animi latebras se diffundere, generat vermiculum alterum, ideft, tædium, acediam à spiritualibus exercitijs, ac bonis operibus aversationem, non quidem omnimodam, sed tamen facilem bonorum exercitiorum intermissionem.

6. Hinc jam *dæmones quos otiosos, â bonis inveniunt, eos in peccatum inducunt.* Quod si alijs insidiator diabolus advigilat otiosis, certé Religioso vel maximé, quem nisi deditum otio, nec oppugnat facilè nec facilè prosternit. At desidiá torpentem vincit facillimè, quãtũlibet gratiâ obvallatum. Quærit proinde Macarius: *Potest nè labi vir habens gratiam?* Et respondet ipsemet sibi: *utique labitur si donum negligat.* id est: vocationem suam, quæ peculiare Dei donũ, est professionẽ, instituti regulam, donum, gratiam, & tempus operandi bené, si negligat Religiosus, & otio diffluat; potest omninó labi, & labitur. Assertionis autem suæ dat rationem: *nam hostes inquit, nunquam quiescũt nec movere bellum dubitant. Quantò minùs cessare debes ab inquirendo Domino Deo tuo?* Ac procedit ultrà, dicitque: *damnum enim tibi non modicum immminet* (damnum autem est hoc, lapsus in peccatum mortale) *si negligas, licet in ipso gratiæ mysteriosis probatus.*

Plin. Nat. hist. l. 16. c. 41.

Macarius homil. 15.

§ II.

Otium est pulvinar diaboli.

1. Habet veterator Stygius infinitas artes, quibus in-

nocentes animas ſolet circũvenire; ſed omnium eſt ipſi accommodiſſima, quâ Religioſum etiam in ipſo gratiæ myſterio probatum illaqueat; & quidem ſinè multo artificio ità, ut ille ſecurus quodammodo quieſcat, & propoſiti ſui certus indormiat (ad humanum loquendo conceptum) molliſſimo pulvinari ſuo, quod eſt otium. Huic deditum Religioſum ubi deprehendit, omne vitium inſtillat, etiam quod in ſæculo fortaſſe non noverat. Neque mirùm eſt, ſicut omnem hominem, ſic & multò magis illum, qui vocatus eſt ad obſeqvium Dei, otioſum diſcere vitia: vel potiùs, non magis diſcere, quàm provocante naturâ turmatim in ſenſibus, tumultuantia, tandem etiam in animum admittere. Nam alij quidem extra clauſtrum, ſæculi vanitatibus addicti, jam multâ experientiâ ſatiati, multoties etiam vitiorum illecebras contemnunt; at otioſum in clauſtro ſæpé curioſitas ad experientiam provocat, allicit, & accendit. Id quod humani generis inimico non multùm allaboranti prorſùs ad votum in animarum perniciem ſuccèdit; cui ſatis eſt, otioſum aliquẽ in monaſterio deprehendiſſe. Quidquid enim intendit, à minimè occupato citra grande negotium poteſt impetrare, quod ipſum, adſtipulante ſacrâ paginâ paſſim comprobatur.

2. Mulierem in Paradiſo per otium obambulantem quid in deplorandum toti poſteritati proturbavit exitium? non aliud certè, quàm quòd otioſa, voluptatis hortum, virentes & ridentes herbas, admirandas arborum ſpecies, in illo naturæ tyrocinio, lignorum etiam pulcherrimos fructus, non ad Dei gloriam, ſed tantùm ad ſenſuum oblectationem contemplata, locum dederit tâm naturæ per arborum pulchritudinem aſpectu luxuriandi, quàm dæmoni advetiti fructûs eſum facillimé ſolicitandi. Nec jam opus erat multo ſermone gulam irritare, ſatis erat hoc unum ſuggerere: *Nequaquam*

Gen. 3. 4.

moriemini. Cætera, puta Curiositatem; *Aperientur oculi vestri* ambitionem, & superbiam; *eritis sicut dii*; sciendi vanitatem *scientes bonum, & malum*; vescendi concupiscentiam, *Quod bonum esset lignum ad vescendum*- ultrò sensui gulæ obtrusit otium. Non enim ad opus aliquod honestum, quod animum occuparet, convertit se mulier; sed inutilem prosequebatur aspectum: *Vidit igitur*. Pascebat oculos illo bono ad vescendum ligno, pulchro oculis, aspectuq; delectabili. Nec antè videre, & aspicere desijt; quàm nec suadente, nec ultrà solicitante, nec ad comedendum ampliùs invitante in serpentis specie diabolo, *Tulit de fructu ligni illius, & comedit*. Peccavit igitur mulier non hortante iam pessimo sycophantâ, sed otio peccatum suggerente.

3. Peccârunt post cataclysmum, & fædis ingurgitârũt se flagitijs pessimi sodomitæ. Nec illud flagitiosissimum eorum peccandi, vivendiq; genus insusurranti diabolo sacra tribuit scriptura, sed otio. Sic enim habetur apud Ezechielem prophetam; qui velut intento digito civitati Ierosolymorum spectandam iniquitatem sodomæ monstrat, cum ait: *Ecce hæc fuit iniquitas sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius*. vbi non ideo præmittuntur, *superbia, saturitas panis & abundantia*, tanquàm ad iniquitatum multiplicationem ista pertineant & solum otium ad earum ebullitionem non sufficiat: *Sed cùm ista sint*; otij seges, & materia; ideò superbiendi, cæteraq; plurima patrandi flagitia certum munimentum, & quasi corona quædam, agmen claudit otium, omnium vitiorum ex eo nascentium causa, & pulvinar, cui tentator securiùs indormit. Ideoq; S. Bernardus utrumq; recitatum hic sacræ scripturæ complectens locum, disertè sic ait: *Mater nostra Eva otiosa erat, cùm veternosus serpens eam invisit, & pomi vetiti ostensione fefellit. Sodomitæ quoque oti-*

Ezech. 16. v. 49.

S. Bern. ser. 3. de nativ.

que otiosi erant, cùm eos dæmon ad tam immania monstra flagitiorum adegit.

4. Ex quo benè sequitur; dæmone quasi nihil operante, homines in fœdissima qvæque flagitia præcipites ruisse, solo tantùm otio, cui veternosus serpens, tamqvam mollissimo sibi substrato pulvinari, securus incubabat, parùm, aut nihil solicitus, ad qvænam peccata deberet homines tentare. Subijt tentatoris officium, & vices, plùsquàm opus erat, otium. Hoc ad omne flagitiorum genus allexit, & adhuc allicit. Scitè propterea Hugo Uictorinus ait: *Sed & si à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi. Quia otiositas inimica est animæ; & antiqvus hostis, quem á lectione, vel oratione vacantem invenerit, facilè ad vitia rapit.* Facilè, inqvam, & nullo negotio veterator impetrat, quodcunqve proponit vitium ab otioso. Quia laborem, difficultatem, & solicitudinem omnem submovet otiositas. Hæc dæmonis ad oppugnationem forte præsidium est; hæc securè dolum machinandi potentissima contra vacantem ab opere bono machina est; hæc omnium, quæ caro, mundus, ac dæmon in animæ moliuntur exitium, est magistra. Vndè sapientissimè Cassianus ex antiquissimorum Ægypti Monachorum sensu: *Hæc est* inquit, *apud Ægyptum ab antiquis patribus sancita sententia: Operantem monachum à dæmone uno pulsari; otiosum autem ab innumeris spiritibus devastari* Diligentem, inquam, & benè occupatum Religiosum unus tãtùm oppugnat dæmon: nam accessum ad operantem etiam vix unus habet, sed otiosus innumerorum spirituum pulsationi ità patet, ut non tàm undè possint, quàm undelibet velint ipsum aggrediantur, & pulsent: siquidem penitùs nõ resistit, præbet locum, & aurem omnibus ad securè, quidquid allibuerit, persvadendũ movendum, & impetrandum, an potiùs imperandum.

5. Cùm enim otium sit nidus, & pulvinar diaboli, idẽ est, ac spiritum illum nequam

Hug. Vict. lib. 1. de claustro c. 4.

Cassian. lib. 10. de spir. aced. c. 23.

esse possessorem insolidū hominis otiosi, versantem & reversantem pro libito quocunque, quomodòcunque, & quandòcunque voluerit ille, cujus ad omne maleficium instrumentum est otium. Et hæc fuit olim apud Lacedæmones summa ratio: cur Argivos infensissimos sibi, multoties autem à se victos, & si poterant, delere noluerint, ut videlicet eorum juventus assiduo lacessita bello, continuum haberet exercitandi sui campum; nullum verò tempus, aut spatium, otiandi. Vndè Cleomenes eorum dux interrogatus (ut testatur Plutarchus) cur Lacedemonij, cùm Argivos sæpè vincerent, non etiam delerent ? respondit; *Volumus, ut habeamus, qui iuvenes nostros exerceant: sunt enim ipsi eorum cos, qui ipsorum virtutem acuant, nè otio enervētur, & in vitia, ac mollitiem diffluant*; sapienter responsum. Nec scio, an probus Religiosꝰ si quis ei laboris, & exercitationis segetem svaderet intermittendam, negligendamque, reponeret meliùs. Hæc enim si desit, hebescit in deside virtus otio, enervatur, & animus in mollitiem, ac vitia diffluit. Cui demùm in omnē licentiam se effundenti non opus est alio dæmone tentatore: sufficit unum otium pro multis, imò pro innumeris tētatoribus.

6. Hinc illam sapientissimi Salomonis sententiam, *Prosperitas stultorum perdet illos*, alij vertunt. *Pax sivè quies insanorum evertet eos*; ut significetur hoc ipso, tàm ad insaniam, quàm ad eversionem, ac perditionem animæ non opus esse ullo dæmone perditionem machinante, sed sufficit, ut homo sit deditus otio; pacem, & quietem quærat, indulgeatque sibi; nec ullo disciplinæ, laboris & occupationis jactetur exercitio; jam est otioso ruina præsentissima. Nā *omnem malitiam docet otiositas*, ait ex Ecclesiastico S. Ioannes Chrysostomus. Quid enī cùm otiositas omnem doceat malitiam; imaginari jam liceat quodcunque malitiæ genus, aut peccati, seu flagitij; illud animo versabit otiosus, tandē

Plutarch.

Prov. 1. 32. S. Ioan. Chrys.

& pa-

& patrabit. Et licèt non ſit homicida, non vocationis ſuæ deſertor, non proditor Religionis: quid tùm? ſi, poſtquã cœpit ſpiritu, carne conſummet? In lubrico peccati genere, carnis ut expleat deſideria, certè Spiritu Dei vacuus facilè jam & in mendacia, in perjuria, in furta, in fraudes, in Sacrilegia, in mille machinationes profuſus, omnis malitiæ locum obtinebit. Non magni fuit negotij Ægiſthum, cujus mentionem facit, & acutè perſtingit Martialis, adulterum fieri. Deſidia ipſum in eam fæditatem induxit. In cujus flagitium alludens ita ludit Pöëta:

Quæritur; Ægiſthus quarè ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt; deſidioſus erat.

Non mulieris forma, non impotens affectus animi, non paſſionis vehementia fecit illum adulterum; ſed deſidia: *deſidioſus erat.*

7. Deſidia Religioſum, niſi ab ea ſibi caveat, ſpiritu, virtute, diſciplinâ ſpoliat, denudat, eumque perdit in omne vitium, provocandum, & prorsùs inutilem, diabolo interim in otioſi nidulo, ſeu pulvinari ſvaviter cubante, reddendum. Id quod egregiâ ſimilitudine S. Ioannes Chryſoſtomus illuſtrans, ait: *ſicut terra non occupata ſemente, aut conſitione, quamlibet herbam producit; ſic & anima quoties non habet, quod agat, rerum neceſſariarum, cùm omninò cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſemet tradat. Et ſicut oculus non deſinit cernere, atque ob hoc cernit mala, ſi quando bona non ſint obiecta: ſic & cogitatio, quoties ſe abducit à neceſſariis, circa inutilia iam verſatur.* Oratoris aurei prorſùs aurea ſententia; quam ipſa experientia veriſſimam probat. Eſt enim certiſſimum; animam quantùmvis religioſam, otio tamen indulgentem, & in vitia declinare ſordeſcere, & in utilem reddi, non aliter, atque ſtagnãs

S. Ioa. Chryſ. hom. 7. in ep. 2. ad Cor.

intra

intrà crepidinem aqua, nec ullo mota profluxu, multis vermibus, & insectis putida, nullum sui præbet hominibus usum, ità religiosus assvetus otio, ac desidiæ, plurimâ vitiorum exuberat, scatetque putredine, & putore, sapiẽter iterùm Constantinopolitano præsule asseverante, cùm ait: *Quis utilior est, is, qui in delitiis, in otio, & desidia; vel qui exercetur? Quæ navis, ea, quæ navigat, vel ea, quæ in littore manet? Quæ aqua? ea nè quæ fluit, vel quæ stat? Quod ferrum? an quod movetur, vel quo nemo utitur? Nonnè illud quidem splendet, & argento simile est; hoc autem rubigine consumitur, & ubique inutile est? Tale quiddam fit etiam in otiosâ anima. Rubigo enim quædam illam apprehendit, & consumit splendorem, ac alia omnia,* non jam diabolo peccatorum materiam suggerente, sed otio, præsentissimo, sinè alia causâ ad omne genus malitiæ instrumento.

§ III.

Otium, ac desidia, vivi hominis est sepulchrum.

Themistoclis Atheniensiũ celeberrimi, à prima quidem juventute prodigi, & in lasciviam projecti; sed postquàm in ducem electus est, virtute præclarèque gestis optimi Imperatoris, dictum hoc fuit usitatum. Qui nihilominùs ab ingratis civibus ostracismo proscriptus, hausto tauri sangvine (causam hic referre nõ attinet) cum annum agens centesimum septimum jam moreretur, indoluit; dictitãs se tunc mori, cûm inciperet sapere, & sapienter operari: utroque scilicet dicto detestatus otium; quod reverâ vivum tumulat hominem, & ex omni laudabili hominum eliminat memoria. Quam & si Religiosus, ut potè solâ virtute, vel potiùs solo Deo, qui virtutis omnis auctor, præmium, & corona est, contentus haudquàquâm curat; eò, quòd laus, & memoria, quæ venit ab hominibus, sit mera vanitas; est tamen turpissimum, desidiâ tabescentem, animæq; neglectu penitùs enervem, in mollitiẽ, ac fæda vitia diffluere; apud Deum quidẽ nte-

 rea per-

rea perdere vocationis suæ finem, gratiam, & gloriam: apud homines autèm vel in oblivione manere perpetua, vel in desidiæ ignominiosa memoria, nec aliud de ipso prædicari, vel memorari; quã quòd otiosus, inutilis, & in vitijs, quæ sibi in otio familiaria sunt, delitescat, jam vivus in ignaviæ, vitiorumque loculo tumulatus.

2. Iam verò quàm laudabile est, etiam invitum, inter homines, inter fratres, audire multorum lingvis à laboriosa vita, ab assidua exercitatione ab irrequietis pro Dei gloria, pro fratrum charitate laboribus celebrari; tàm est turpe, quinimò turpissimum, passim per hominum ora de quopiam volitare famam, quod sit desidiæ deditus, consequenter & quædã in vitia (utinam non & in plurima) effrenis. ô quanto cum animi dolore & vtinam hodieque non videamus! præclara quædam ingenia delitescere, & ob desidiam in suæ professionis exercitio torpida vivorum instar cadaverum, sensim etiam in vitiorum, quæ sibi per consvetudinem fecerunt familiaria, tumulo computrescere! Versari hominem in claustro inutilem, & gravem; extra claustri septa scandalosum, non superiorum incuriâ, non instituti Religiosi (cùm unũ quodque Sanctum sit) pravitate; non sociorum, cũm quibus vivit (horum enim cæteri perfectionem sectantur, omnes) perversitate, sicut plerumque calumniantur ignari, sed socordiâ suâ semper in deteriùs animum pertrahente.

3. Enim verò pereat peritura cum mortalibus in pulverem abituris laus, & memoria pro qua, & de qua nihil laborandum est Religioso; cui super omnem thesaurum potiùs est, Deum habere propitium, & ejus in professione gratiâ cõmuniri. Sed quia otium, ac desidia, præterquam quod gratiam Optimi Creatoris imminuat, tandem etiam per vitiorum, quæ pigritia inducit, fæditatem, gratiam eamdem aufert; hoc triste sit, ac deplorandum re-

ligioso

ligioſo verè corporis ſimul & animæ, dum vivus adhuc agit in carne, ſepulchrum circumferenti. Non autem hic magis arguitur otium, quod corpus enervat, quàm quod animam occidit. De quo prudēter quidã *:otiũ* inquit, *corpus, mentem necat ſocordia* : id eſt; qui nullius honeſtæ occupationis exercitio corpus deſtinat, nec mentem virtutum exercet diſciplinâ; is omninò funeſtum animæ ſuæ funus eſt, ab acerbis ſenſuum ſuorum portitoribus ſepeliendum, imò jam ſepultum. Atq; huc ſpectat diviniſſimum illud S. Ambroſij effatum de filio viduæ reſuſcitato ſic differentis : *ſteterunt acerbi illi funeris portitores, qui corpus humanum lethali fluxu naturæ materialis urgebant. Quid enim aliud, niſi in quodam quaſi feretro, hoc eſt, ſupremi funeris inſtrumento iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæſtuat; vel frigidus humor exundat; vel pigrâ quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum; vel concretâ noſter ſpiritus labe, puræ lucis vacuus alit mentem ? Hi ſunt noſtri funeris portitores.* Et poſt pauca, *quis*, inquit, *iſte tumulus tuus, niſi mali mores ? Tumulus tuus perfidia eſt* : Addamus nos; tumulus tuus otium eſt; tumulus tuus deſidia eſt; putredo tua laſcivia eſt : *Sepulchrum tuum guttur eſt. ſepulchrum enim patens eſt guttur eorum, undè verba mortua proferuntur*, in otioſa videlicet garrulitate. In qua Divi præſulis oratione venit obſervandum, quod dicit : *Quaſi in quodam feretro, hoc eſt ſupremi funeris inſtrumento, iacemus exanimes.* Omnia hæc prorſùs ad propoſitum noſtrum dicta, carnis enim ſenſibus quia ſuccũbit otioſus, & eò ferri permittit in vitia, quò cupiditatis immodicæ trahit inclinatio; nec animum ulli virtutum applicat diſciplinæ, ſinè charitate, ſinè diligentia, ſinè ſpiritûs ullo fervore, tanquã exanime cadaver, jacet inutilis, non minùs in carnalium ſenſuum feretro, quàm in vitiorum ſepulchro, ſinè rectè factorum ſplendore, ſinè virtutum odore, ſinè Religioſæ perfectionis ullo fructu.

Cornel. in 2. ep. Theſ. c. 3. v. 10.

S. Amb. to. 5. Com. ,n Lu. c. 7.

4. Ideò magnus ille multorum Monachorum pater, ac MagisterAntonius, hanc olim è Cœlo vocem audivit: *Antoni; quæris Deo placere? Ora & dum orare non poteris, manibus labora.* Deo sic docenti ut obediret Antonius, opere ipso non segniter allaboravit. Cùm enim in superiore Thebaide, suis à discipulis abscedens, in eremo novum occupâsset aptissimum habitationi suæ locum, palmis aliquot obsitum, sed adhuc incultum, & sterilem, nec haberet, unde novus incola vitam sustentaret, rescientes id cæteri Monachi, à qvibus abiverat, tàm chari patris in Christo filij, mox annonam illi submiserunt liberalissimam. Sed, ne tantâ liberalitate securior, otio torperet; ipse sarculo planitiem vertere aggressus, sementem fecit; & fructibus indè nascentibus iucucundam sibi, frugalemq; cænam comparavit. Ità narrat Petrus Ribadineira in eius vita. Itaque mágnus hic ascetarum pater Cœlestem ad amussim explevit doctrinam; nè unquam otiosum deprehenderet diabolus, orare dum non potuit, manibus laboravit; & nè locum otio daret, ac tempus; annonæ provisionem à discipulis in posterùm offerendam, labore manuum suarum avertit. Scivit enim benè; corporis otium, sensim etiam in animum virus suum effundere; & dum indulgetur exteriori qvieti, hominem exteriorem in lasciviam facilè consentire, & ità uirtute vacuum, tamqvam rubigine ferrum, consumi; mentemq; Cœlestium illustrationum vigore, gratiâq; destitui.

Ribad. in ejus vita die 17. Ian.

5. Docetur id pulcherrimo quodam exemplo, quod in vita S. Antonij Archiepiscopi Florentiæ refert idem Petrus Ribadineira his verbis: Cùm festo quodam die civitatis vicum transiret, vidit humilis casæ tecto Cœlites assidere. Quo miraculo obstupefactus casam subijt, vidu- „ amque matrem, cum tribus „ liberis virgunculis reperit, o- „ mninò pauperculis, secun- „ dúm pedes nudis, depexas- „

Idem. die 2. Maij

quæ ja-

que lacernulas indutis, sed „ adeò honestis, tantàque „ virtute præditis, ut sibi suarum labore manuum victum compararent. Edoctus ergò, quænam forent, „ quemadmodùm victitarent, „ quantas extremæ paupertatis, ac necessitatis ærumnas „ sustinerent, liberali jussit eleemosynâ impertiri, quâ „ non incommodè vitam tolerarent. Haud multo post „ cùm rursùs illâc transiret, „ casamque illius viduæ observaret, super ejus tecto „ non Cœlites, sed dæmones „ vidit assidere. Quâpropter „ Antonius rei novitate territus, causamque edoctus, „ didicit; pauperculas hasce „ mulierculas, eleemosynâ suâ „ ditatas, otio deditas, laboris pertæsas, vanitatis studiosas, cœpisse cuticulam curare, genioque „ indulgere. En fructum otij; cujus indulgentiâ mulierculæ in cuticulæ curam, tandem & in vitia pro genio suo diffluxerunt. Earum laboribus indefessis antè cœlites assidebant; jam earumdem otio maligni spiritus, tanquam mollissimo pulvinari svaviter incubabant. Laborem assiduum virtus illustrabat: jam otium in vanitate sepultas vitijs attinebat: ut verissimùm sit; otium esse pulvinar diaboli, & vivi hominis sepulturam.

CAPUT VI.

§ I.

Curiositas, est religiosæ vocationis immanis prædo.

1. Magna vis, & quidem occulta, est otij religiosam animam (sicut alibi diximus) instar tineæ rodentis, & demolientis. Sed habet Religiosus àdhuc alium ex insidijs irruentem immanissimum prædonem, à quo non magis timere sibi debeat, quàm ab ipso dæmone, perniciei semper advigilante, curiositatem. Hujus ea vis, & virus est; ut cùm incipiat à parvis, & quæ sub specie cujusdam necessariæ vel notitiæ, vel experientiæ, vel modicæ, decentisque indulgentiæ, vix alicu-

jus existimantur esse momẽti, non nisi in fine reprehenduntur esse, vel fuisse maxima. Est curiositas insidiator blandus, aperto tamen campo militem oppugnans Christi. Et nisi omni aliâ re vocationi suæ minimè conveniente, sibi seriò interdixerit, ac veluti fœdus quoddam cum animo suo pepigerit: se nihil unquàm extra Christum Dominum, & hunc crucifixum, ejusque virtutes, quas auxiliante Dei gratiâ studere debeat imitari, scire, velle; nescio an unquam is, futurus sit bonus religiosus; an unquam de sancta vocatione sua contentus; an ad finem usque perseveraturus. Cùm autẽ multa sint, quæ curiositatem ceu frequentissimum quoddã circumstant, stipantque satellitium, ejusque nomine veniunt in considerationem, statumq; religiosum inquietant, ac etiam evertunt; ea tantùm ad tria genera, ad quæ cætera ferè omnia perniciosissimi vitij referri possunt munimenta, contrahere hic allaboro.

2. *Primum* curiositatis genus est, *sciendi prurigo.* Et hæc animam, spiritumq; religiosum, titulo vel propulsandi tædij; vel (quod speciosius, & honestius pallium est) evitandi otij; vel (quod adhuc pulchrius est) necessitatis, imaginariæ scilicet vel utilitatis, vel studij, vel alicujus aliûs honesti finis, egregiẽ decipit, facilèque præcipitem agit in ruinam. Non hic ago contra scientiam acceptam simpliciter, in quantùm videlicet generaliter dicit cognitionem rei per causam; vel in quantùm significat artem, ac facultatem aliquam liberalem religioso statui necessariam. Sic enim scientiam impugnare perinde foret; ac media, quibus institutum promovendum est, eversum ire. Imò dico; religioso præsertim instituti nostri, cujus est, juventutem ad literas æquè, atque ad pietatem erudire; ad populum pro concione dicere; difficiles interdùm quæstiones, & dubia solvere, scientiam apprimè necessariam esse. Eos autem, qui suopte ingenio studere, ac discere no-

re nolunt, divino simul, & humano, superiorum judicio, & pœnis, obnoxios fieri. Divino quidem, patet ex eo; quod Deus Israëlitico populo per Oseam prophetã & graviter ĩputet ignorantiã, & graviùs illi comminetur pœnam dicens: *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti; repellam te, nè sacerdotio fungaris mihi.* Et quamvis ibi non sit sermo de scientia Scholastica, quæ discitur in Gymnasijs, Academijs, & hauritur ex Philosophorum libris; sed de scientia Dei practica, illa videlicet; quâ Deum cognoscimus, æstimamus, & reveremur Numen ejus, providentiam, justitiam, vindictam, & alia; estque scientia hæc conjuncta cum Dei timore, amore, cultu, & obedientia. Quam scientiam Dei quia populus Isràël à se repulit, ut nec cognosceret, de quo apud Isaiam conqveritur) nec amaret, nec timeret Deum, nec obediret illi; propterea puniturum se comminatur Dominus, hanc populi sui contumaciam, ità ut præter pœnam in perduelles exercendam filij quoq; eorum non sint functuri sacerdotio, tamquàm indigni Altari Domini, quod majores eorum sceleribus suis inhonorârunt, & contaminârunt. Vndè & Chaldæus hunc locũ ita vertit: *Quia tu repulisti timorem Dei, repellam te*; tanquam impudentem, & in omnem malitiam effrenatum. Hoc, inquam, & si de tali scientia Dei, qualem hic descripsimus, prophetæ dictum, intelligendum sit principaliter: tamen in Religioso rectè quoque potest accipi (secundariè nimirùm; nam ad primam illam scientiam obstringitur principaliter lege divinâ) potest, inquàm, accipi quoque de scientia tam speculativa, quàm practica, scholastica, morali, & de quacunque facultate, & arte literaria, in quantùm ordinatur ad doctrinam, & pietatem. Et ideò Doctor Angelicus affirmat: Religiosis etiam principaliter competere, ut intendant studijs literarum pertinentiũ ad doctrinam, quæ est secundùm

Ose. 4. 6. Isa. 1. 3.

S. Tho. 22. q. 188. a. 5. ad. 3.

pieta-

pietatem. Sunt enim hæc omnia quædam media ordinata ad instituti (præsertim nostri) finem , qui est (sicut habet constitutio nostra) *puerorum eruditio, tùm circa Christianam pietatem, tùm etiam circa humanas literas; ut sic edocti vitam consequi possint æternam*, consequendum.

3. Ac propterea, qui desidiâ, pervicaciâque suâ studium, & scientiam ejusmodi negligunt, judicio quoque superiorum humano, & pœnis obnoxios declaravit, & probavit, ex recitata superiùs apud Oseam sententia Synodus VII. Generalis, arcendos esse Episcopatu indoctos , ut habetur Distinct. 38. *omnes*. Et quamvis etiam illa Synodus præcipuè scientiam, & doctrinam intelligat Sacræ Scripturæ; tamen quia studium quoque scholasticum qui postponit , facilè contemnit etiam divinum; ideò Venerab. Pater N. Ioseph à Matre Dei , Auctor, & Primus Generalis Instituti Scholarum Piarum, tàm solicitè doctrinam literariam in Religiosis nostris vigere voluit, ut non solùm professis eam vehementer inculcet constitutione; verùm & cum novitijs illis, *Qui primo probationis anno in variis mortificationibus, & signanter in studio orationis notabiliter profecerint; ne eorum, quæ antea didicerunt, obliviscantur*, circà studium Provincialem dispensare posse statuerit, &si ad professionem ante biennium nequaquam admittendi. Successivè postea pœnis etiam in desides studiosos nostros juvenes animadvertendum esse statuit Felic. recordat. P. Carolus Ioannes à Iesu Præpositus Generalis VI. in Epistola quadam ad omnes Provinciarum nostrarum Præpositos scripta, sub die 1. Iulij Anno 1679. dum inter cætera sic scribit : *In novissima nostra Congregatione die 23. superioris Mensis habita statuimus; nostros Clericos, qui in studiis vel minùs religiosè, vel nimis desidiosè* (notetur hoc benè) *se gesserint, esse ab iisdem removendos, sicq; remotos locum professionis amittere, à die remotionis inchoandum, & per decennium, & ultra, Patris Generalis*

Const. p. 2. c. 10. Const. p. 1. c. 2.

neralis arbitrio, ad Sacros Ordines promoveri non posse, Hæc ex epistola genuinè desumpta.

4. Iam ergò non hić insectamur scientiam, quæ non curiositate, sed necessitate cõparanda incumbit unicuique Religioso, sed reprehenditur inordinatus sciendi modus, in quem subindè religiosa juventus exardescit, stimulata prurigine vanitatis ad inquirendum, & sciendum ea, quæ professionem suam excedunt. Hinc Divus Bernardus super illud Apostoli: *Qui se putat aliquid scire*, suggerit; attendẽdum esse Religioso, ut sciat, quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat. Et prosequitur exponendo sĩgula sic: *Quo ordine, ut id prius, quòd maturius ad salutem. Quo studio, ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem. Quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile: sed tantùm ad ædificationẽ tui, & proximi.* Ita S. Bern: sciẽdũ igitur est & propterea legenda, discendaq; sunt religioso multa: sed tamẽ & tantũ, quæ & ipsũ & proximũ ædificent. Et talia sunt, Sacra Scriptura, SS. Patres, atque Doctores, Interpretes, Ecclesiastæ, Theologi tàm speculativi, seu scholastici, quàm practici, seu morales, historiæ, seu Annales Ecclesiastici, & his similia. Legenda quoque veniunt, & scienda Religiosis Instituti nostri etiam alia: uti sunt Authores classici propter eruditionem scholasticam, Philosophi, Oratores, Pòétæ, Historici, & alia hùc spectantia, sciendi videlicet causâ; non autem curiositatis prurigine, quâ plerũq; laborant juvenes, otio magis, quàm literarum addicti, sciendi quidem cupiditate, sed omninò vanâ; quæ plerumque deflectit ad lectionem librorum vetitorum, turpium, & inhonèstorum, non aliud, quàm vanitatem, turpitudinem, & improbitatẽ propinantiũ. Quales sunt: *Ovidij de arte amandi, & de amoris remedio libri*, alijque tàm veterum, quàm recentium Pòétarum opuscula parùm honesta: *Machiaveli* quoq; theoremata, seu quovis alio nomine appelles. Euphormionis *Satyricon*, *Ioannis Barclaii Argenis*; *Problemata Aristotelis*, ac

P. Carol. Io: à Iesu. Ep. ad Proules.

S. Bernard.

Philosophorum, medicorumq́; plurima, edita Francofurti & aliorum Authorum libri, seu libelli prohibiti; quorum hic catalogum texere, non est mei propositi. Qui omnes & singuli nonnisi venenum ad enecandam honestatis reverētiam innocentibus instillant ingenijs, tàm impudenter, ut gentilium aliquis vix scripserit impudentiùs. In horum lectionem qui præcipiti quodam animi feruntur impetu, nec ab ijs volvendis, & revolvendis, per curiositatem, abstinent; jam manifesto periculo religiosi spiritûs in se dissipandi, extingvendique se obijciunt ultrò, sed & vocationem deserendi. Nam sub specie statuum, humanæ volubilitatis, arcanorum naturæ vestigandorum, sciendorumque, quid aliud, quàm pro virtute vitia, & improbitatem; pro religione impietatem, pro disciplina licentiam, ac dissolutionem; pro honestate turpitudinem, pro ædificatione ruinam, condiscunt? eò præcipitij deturbādi, ut, cùm spiritu cœperint carne consummentur, ex pijs facti impij; instituti, & religionis desertores, athei, vel saltem illi, qui toti ordini suo religioso turbationem conflant, ignominiam, & stragem. Vtrumque docuit in nonnullorum aliquot recens experientia. Quos ea legendi, sciendique curiositas ad carnis illecebras, ex his ad apostasiam ab ordine, à fide, à religione, ad atheismum præcipitavit.

5. *Alterum* curiositatis genus est, *ostentandi sui desiderium*: id est; coram hominibus comparendi; indolem, & ingenium ad aucupandam magnam apud homines opinionem, & nomen suum proferendi, ad quod naturâ quidem, & philautiâ ducibus, sed non minûs etiam boni omnis inimico diabolo incensore, fit subinde consensus, religioso spiritui valdè contrarius, quin & maximè noxius, & tantò majore cum periculo, faciliorique pernicie, quantó sanctiore titulo pestis hæc animum, áfflat religiosū. Suggerit philautia; dona Dei,

naturæ

naturæ bonæ qualitatē (quā sibi falso quis persvadet vel à Deo sortitum esse, vel à continua cum affectibus inordinatis, & passionum tumultuantium assultibus pugna tandem assecutum) ad bonū aliorum exemplum, ad animarum lucrum, scientiam, & acumen ingenij, zelum etiam animarum, & honoris divini spiritumque religiosum, occultanda non esse: nec lumē aut lucernam spiritualiùm bonorum, & aliarum qvalitatū sub modio, sed suprà candelabrum, esse collocandam; cùm ipsa dicat incarnata veritas: *Sic luceat lux vestra corā hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qvi in cælis est*; & esse verum illud satyrici: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

6. Egregius sanè paralogismus, imò & Sanctus: sed à Christi doctrina ô quâm alienus! Benè sanctèque docuit, & dixit Christus Dominus: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* sed attende, in particula, *ut*, duo denotari videlicet *consequentiam, & finem*. Vt nimirùm ex sapientiæ, Sanctitatisque bonis, quæ Christi discipulis, & omnibus eorū asseclis, collata sunt, studerent, & studeant, bono virtutum exemplo alijs prælucere, ex quo consequitur aliorum ædificatio, conversio, peccatorum detestatio. Deinde non suam gloriam, & laudem ac magnam opinionem apud homines ut sibi quærant, & comparent, sicut, naturæ suggerit inclinatio: sed Dei super omnia benedicti gloriam & honorem, animarumque salutem ut intendant. Et hic est finis, quem incarnata Dei sapientia Christus Dominus à discipulis suis, & omnibus eorum asseclis, & eorum sapientia, doctrina, vitaq; probitate (quæ sunt purè Dei dona, non meritis, & industriâ, nostris comparata) requirit. Atque hinc est, quod alibi Magister idem Cœlestis inculcavit dicens: *Attendite, nè iustitiam vestram faciatis coram hominibus*. Et mox subdit: *Vt videamini ab eis*. Quam sē-

Matth. 5. 16.

Matth. 6. 1.

tentiam

tentiam ſuperiori contrariam, dùm hic prohibet, nè fiant opera bona, & juſta, coràm hominibus ut videantur ab eis: ibi jubet, ut bonorum operũ ſcientiæ, ſapientiæque lux; ſic luceat coram hominibus, ut videantur, S. Gregorius ità conciliat. Facienda videlicèt eſſe opera bona, doctrinam exhibendam; ſed Dei laudem, & gloriam ex ejus donis ut augeamus: eſſe pariter & occultandam ſcientiam, ac juſtitiam, ut nè laudemur nos ipſi. Do ſummi Pontificis verba: *Quid eſt ergò inquit? quod opus noſtrum & ità faciendum eſt, nè videatur, & tamen, ut debeat videri, præcipitur? Niſi quòd ea, quæ agimus, & occultanda ſunt, nè ipſi laudemur, & tamen oſtendenda ſunt, ut laudem cœleſtis Patris augeamus.* Et paucis interiectis cõcludit: *Qualiter igitur videnda eſſent, vel qualiter non videnda, ex ſententiarum fine monſtravit: quatenùs operantis mens opus ſuum & propter ſe videri non quæreret; & tamen hoc propter cæleſtis Patris gloriam non celaret.* Hucuſque S. Gregorius.

S. Greg. P. 3. Paſt. admon. 36.

7. Itaque probus eſto, Sanctus eſto, doctus etiam eſto; dico plus: Sanctitatem, & doctrinam tuam videant homines; ſed ita, nihil aliud in his, Dei bonis, ac donis oſtendẽdis, aut deſideres, aut tibi quidpiam decerpas, aut quæras, quàm Dei largitoris, optimi gloriam, proximi ſalutem, ac tuam, non autem opinionem, laudem, & honorem evanidum inter homines humanâ venatione quærendum. Hoc enim eſt, Dei bonis abuti; Dei gloriam furari, ſibiq; arrogare: intereà verò dum ſalvare vis alios, & ædificare, teipſum perdis. Audi, quid dicat S. Auguſtinus adverſus eum, qui Dei bonis abutitur, eaq; uſurpat indignè ad voluptatem, & honorem ſuum; nec ea Creatori ſuo facit ſtipendiaria: *Qui de bono tuo* (Deum ſic alloquitur) *gloriam ſibi quærit; hic fur eſt, & latro.* Iam furtum, & latrocinium, furca, patibulum, aut rota manet, tàm craſſum ſacrilegium, qualis eſt divinæ gloriæ de bonis Dei uſurpatio, quidni rogus exſpectetæternu-

S. Aug. Soliloq. c. 12.

ternum non extingvendus? Interea tamen Religiosus undè judicium, & discrimen definiet; deindè, an potius suam quærat gloriam, honorē, & voluptatem? Certè non à voluntariâ, quam sentit, alacritate; nec ab ingenij, naturæque prurigine prodeundi in publicum, docendi, concionandi, cum hominibus conversandi: sed ab obedientia, â suimetipsius despicientia, ab instituti necessitate, ad quā Deus per superiores tunc admovet Religiosum, cùm ex professo per ipsum vult exerceri, quod exercendum imponitur, non per alium. In quo nihilominùs, qui purè Dei gloriam, & animarum salutem, ac utilitatem proximi quærit; qui bonus est Religiosus, & vocationis suæ securitati vult prospectum esse; nè locum, & partem aliquam vel proprius amor, vel inclinatio naturæ, vel appetentia propriæ laudis sibi vendicet; omni seu publico ministerio, seu cuicunque exercitio, semper ad Deum per aspirationē præmittere solet intentionem cum protestatione; se purè pro Dei gloria, ejusque sancta voluntate per obedientiam explenda, pro utilitate proximi, & ejus, suæque animæ salute id facere.

8. *Tertium* curiositatis genus est, *illecebra*, *seu prurigo colloquiá serendi*, garriendi, jam cum hoc, jam cum illo colloquendi: quæ non tantùm Religiosi cor, mentemque, si sequitur impulsum istum, sed ipsam vocationem mirū quantùm inquietat, turbat, & Deo serviendi spiritum penitùs enervat, spoliat, ac deprædatur, vitium affine desiderio ostentandi sui. Quod aliàs incipit à colloquio sancto; sed desinit in profanum, præsertim invalescente confidentiâ; desinit & in colloquium vanum, & tàm loquenti, quàm audienti noxium; & fit ex religioso corde forum quoddam scrutarium, ac nundinatio rumorum, & fabellarum, quas mundus, & diabolus in ruinam religiosi spiritûs, & vocationis exponit nundinarias. In primis enim subtiliter suggerit genius, hunc, aut illum

adeun-

adeundum esse socium, seu fratrem, ad quem magis affectu:, & complexionis inclinat similitudo. Cum hoc animi causâ spirituale quidpiam conferendum sibi constituit, tædium hâc ratione, vel etiam veternum, qui animum infestat, ut excutiat. Fiet hoc semel, iterùm, tertiumvè cum superioris, aut patris spiritualis facultate; mox per affectatam interpretationem cum indulgentiâ; tandem cum notabili facultatis accipiendæ; tamquam rei parùm necessariæ, vel nimiùm scrupulosæ contemptu. Hinc deindè colloquendi frequentiùs insinuat se consuetudo, tàm difficile jã intermittenda, & relinquenda, ut eam alteram corporis, animiquè honestè occupandi deliniendiquè necessitatem, jam sibi persvadeat, animam suam, & vitam esse. Ex quo postremò in arcanorum suorum non ei, cujus interest, pandendorum ruet (ut dicã ità) lubricitatem: tùm & in perniciosum audiendorũ, quæ geruntur foris, nec ad se pertinent hilum unũ, præcipitiũ.

1. Thes. 4. 10. Caff. de Spiritu

9. Benè propterea Cassianus, super illud Apostoli scribentis ad Thessalonicenses; *Rogamus vos, fratres; ut abundetis magis, & detis operam, ut quieti sitis*,, quærit: *Dic quæso quid est, quod tantoperè præmittit? & detis operam, ut quieti sitis*. Ac statim explicando textum respondet: *Id est; in vestris claustris, vel cellulis commorantes, nè diversis rumoribus, qui solent otiosorum votis, vel fabulis generari, inquieti effecti, aliis quoque inquietudines inferatis*. Ac prosequitur adhuc curiositatẽ perstringens, aitq;: *Et vestra negotia agatis, non vestrâ curiositate actus mundi velitis inquirere, ac diversorum conversationes explorantes, opera vestra non ad virtutum studia, sed ad detractiones fratrum velitis impendere*. Ecce fructus illecebræ confabulandi: *Opera non ad virtutũ studia, sed ad detractiones fratrũ*, imò & ad obmurmurationes contra superiores, ad cachinnos, ac scurrilitates, ad vaniloquentiam, ad turpiloquia, ad noxias machinationes, impendere; atque per hoc religiosam vocationẽ veluti præ-

1. Th: 3. 10. cass. de Spir. aced. l. 10. c. 7.

dationi

dationi exponere. Quò magis ultroneè Religiosus ingerit se negotijs ad se minimè pertinentibus, neque intentus operi professionis suæ, per curiositatem implicat se alienis; eò magis, sicut semper fit inquietior, ità vocatione suâ insigniter periclitatur. Nam, ut idem Cassianus eamdē prosecutus materiam rectè ait: *Nullus potest vel inquietus esse, vel aliena negotia curare; nisi qui operi manuū suarū*, operi, inquā professionis suæ, & instituti sui, *non acquiescit insistere.*

§ II.

Curiosi tàm suæ, quàm aliorum vocationi sunt perniciosi.

1. Siquidem pari passu curiositas incedit cum otio, nec facilè quis in hoc delabitur vitium, nisi simul & otiosus sit, eadem quoque Mater est plurimorum vitiorum non magis illi, qui curiositati deditus est, quàm alijs, perniciosa. Cujus indoles & si satis intelligi possit ex eo, quod præcedente paragrapho dictum est; tamē eamdem adhuc prosequi materiam operæ pretium videtur; ut magis eluceat indè, quantùm ab omni parte nocеat vitium curiositatis. Idquē non solùm in genere sciendi, quantùm ad scientias, & facultates attinet liberales, cùm in omnibus obtingat literarū studijs, & scientijs operam dare, & quod plerumq; tantùm ipsi prurienti tali vitio noxium est; sed in alijs etiam rebus, quæ pariter sub considerationem cadunt pruriginis ejusdem; ut, sciendi, videndi, cognoscendi, & experiendi, quæ prorsùs ad hominis religiosi vocationem, quin & cujuscunque statûs, & conditionis professionem attinet, desiderium. Ex quo mēns humana quâdam inquietudine sic laborat in illis, quos inanis hæc urget sensuū appetentia, ut nulla ratione, quantùmvis possent, sibi velint ab ejusmodi prurigine temperare. Ruunt temerario, cæcoque impetu, quò trahit, vel rapit cogitatio, sinè providentia eorum, quæ consequi possunt tàm sibi, quàm alijs, incommoda, quæ confusio, quæ pœ-

S. Tho. 22. q. 167. a. 2. in c.

S. Ansel. de Similitudini b.

na temeritatis. Et quamvis non ſemper dici debeat vitioſa curioſitas, tunc præſertim cùm ordinatur ad cognitionem *ſenſibilium ordinatè* (ut ait S. Thomas) *propter neceſſitatem ſuſtentandæ naturæ, vel propter ſtudium intelligendæ veritatis*, & tunc eſt potiùs *vitioſa ſtudioſitas* (idem Doctor Angelicus ait) *ſenſibilium cognitionem*. Eſt tamen vitioſa maximè, dum non ordinatur, ad aliquid utile, & honeſtum. Vndè ſecundùm S. Anſelmũ definitur curioſitas, quòd ſit *ſtudium perſcrutandi ea, quorum nulla eſt utilitas*; imò quæ potiùs ad damnoſa convertunt: ut eſt, inſpectio ludorum, ſpectaculorum, mulierum ad concupiſcendum. Notitia quoque ad ſuperbiam, ad elationem animi ordináta; ad naturæ arcana per inordinatum affectum cognoſcenda, & per experientiam probanda. Quæ omnia vitioſa cenſentur ideò; quia communiter ab amore Dei, à ſanctiore contemplatione, & à rebus alijs utilibus, ac neceſſarijs, animam avertunt, & ad ſemetipſam ſuſpiciendam, magnifaciendam, & amandam convertunt; ſicut & ad res creatas affectu pariter inordinato, & ad experimentum noxio cognoſcendas.

2. Iam ab hoc vitio qui non abſtinet Religioſus, tàm ſuæ, quàm alterius vocationi quantam adferat perniciem videamus. Ipſum ergò curioſum quod attinet, profeſſionis, & impoſiti muneris impedit fructum, eumq; adimit ſibimet ipſe. Quia pro eo, quod deberet impendere tempus vel orationi, piæ contemplationi, aut meditationi, vel neceſſariæ lectioni, vel operi cuicunque, etiam manuario, profeſſionem ſuam Dei gloriam, ad utilitatem proximi, ad animæ ſuæ ſalutem ordinando, ipſe rei impẽdit inutili, noxiæ, tàm corpus, quàm animam à Deo, & â rebus ad ſalutem neceſſarijs avertenti. Intereà privat ſe divinis illuſtrationibus, & gratijs, tamquam cœleſti unum voluntariè factus rebellis, ità ut, cùm Deus paratus ſit dare gratiam, ipſe negligens, & incurius non ſit

paratus

paratus ad eam recipiendam; intentus animo rerum vanitati, ſenſuum illecebris, cupiditati carnis, tamquam hæc omnia potiora ſint Deo, ſummo bono & fine ultimo; cœlo, beatitudinis æternæ domicilio; felicitate ſempiternâ, quâ poſt Dei beatificam viſionem nihil feliciùs animæ poteſt contingere vocatione religioſâ, quâ ſimiliter in hac mortali vita nihil habet homo felicius. Eſt enim iſta vocatio licèt non infallibile, tamen ſaltem aliquo modo per conjecturam ſignum aliquod, aut pignus (uti jam alibi diximꝰ) æternæ vitæ conſequendæ. Cùm enim prædeſtinatio juvetur (ut docet S. Thomas) precibus ſanctorum, & ſuis, alijsque bonis operibus, vocatio autem, & religioſa profeſſio præcipuum ſit medium ad impetrandam Sanctorum interceſſionem, ad orandum atque ad benè operandum; quin & ipſa religioſa profeſſio ſit opus bonum, & quidem excellentius alijs virtutibus, ut potè charitatis, nullum relinquitur dubium, quin pariter & ipſa juvet prædeſtinationem (ſcilicèt ex parte effectûs ejus, ut idem Theologorum docet Angelus, non autem ex parte ordinationis divinæ) magis inquàm, juvet prædeſtinationem, quàm alia bona opera; conſequenter ſit etiam ſignum ejusdem prædeſtinationis. At interea curioſitatis vitio, ſicut otij, temerè, ac miſerabiliter tàm inſignis, & cœlitùs conceſſus proſtituitur theſaurus. Quem Deus haud aliter vult impendi, quàm ſecundùm vocationis, & religionis, quam quis profitetur, gratiam adhiberi.

S. Tho. p. 1. 4. 23. a. 8.

3 Vocaverat Chriſtus Dominus olim diſcipulos præter Apoſtolos, alios ſeptuaginta duos, illisque miſſis binis antè ſe, certa dedit mandata, & modũ Evangelizandi præſcripſit; ac inter alia præcepit; in via nè quempiam ſalutarent: *Neminem*, inquit, *per viam ſalutaveritis*. Res admodùm exigua, per viam aliquẽ ſalutare; humanitatis officiũ exhibere; ſalutationis urbanitate prævenire: & tamen Chriſtus id à diſcipulis ad ſe-

Lu. 10. 4.

dulò fungendum officio prædicationis fieri noluit. Caussam inquirunt ſacri Doctores, & Interpretes non ſinè admiratione, quidnam rei fuerit? quód ab occurrentibus in via ſalutandis ipſos prohibuerit. Solus nè benigniſſimus alias, & humaniſſimus IESVS, qui ipſe, dùm prædicaret, publicanos, & peccatores adibat; cùm ipſis mandacabat; Phariſæum Simonem invitatus inviſit, & multos alios; ad Zachæum publicanorum principem ex itinere divertit; cùm ipſo, ſicut & cùm alijs, perhumaniter converſatus eſt, diſcipulos tamen ſuos ab omni humanitate tàm eſſe voluit alienos, ut neminem ſalutarent per viam, quin & ſalutati non reſalutarent? Ob quam cauſam? Reſpondet ex Euthymio Cornelius à lapide: *Non vult Chriſtus diſcipulos ſuos eſſe inciviles, & ruſticos, ut etiam ſalutati ab aliquo eumdem verbo non reſalutarent, ſed ſalutationem vetat prolixam.* Eam, inquàm, ſalutationem prohibuit Chriſtus; quæ ad familiares, longas, & inutiles con-

Conclius hic.

fabulationes, Chriſti diſcipulis inconvenientes, diſtraherent ab officio. Vndè Chriſti præceptum Interpres idē paraphraſticè ſic exponit. *Nè diuertatis ad privatas ſalutationes, & familiares, prolixasq́ collocutiones. Sed omnem vanam confabulationem, & diſtractionem, ac moram præſcindite; ut totâ mente collecti, & celeres ſitis in opere, ad quos vos mitto; totiq́ intendatis prædicationi Evangelii.* Igitur Chriſtus Dominus hoc mandato ſuo cavit, nè diſcipuli ſui in longa, vana, & inutilia ſalutationum evagarentur colloquia. Hoc enim otioſorum, & curioſorum eſt; qui ſimilibus collocutionibus prolixis obſequij divini opere tàm ſe, quàm alios defraudant. Id quod etiam R. P. Ioannes de Sylveira ad evitandam curioſitatem refert, dùm ſuper hoc Domini mandato diſſerens, diſertè ſic ait: *Vetat ſalutationes; ne ex una interrogatione in aliam venientes, inciderent in aliquas curioſitates, ac confabulationes; ex quibus à prædicationis munere retardarentur;* videlicet hoc ipſo curioſita-

Io. Sylv. to. 3. lib. 5. c. 18. q. 13. n. 97.

riositatis vitio tàm sibi, quàm alijs plurimùm nocituri.

4. Propterea Magister gentium Divus Paulus inter alia, quæ dabat Thessalonicensibus monita, sic eos commonuit: *Operam detis, ut quieti sitis; & vestrum negotium agatis.* Quibus verbis occultè notat, ac reprehendit otium, & curiositatem quorumdam Thessalonicensium. Cùm hæc duo (sicut jam diximus) otium, & curiositas invicem sint connexa, certum est; ex his at maximè ex curiositate, oriri inquietudinem animi, quod est damnum notabile; vana, variaquè desideria; rei, vel etiam felicitatis alienæ invidentiam, appetentiam, & alia mala, quæ domos, respublicas, communitates quascunq; perturbant; ut ideò non tantùm hominibus, sed & Deo fiant exosi. Quarè sapienter Euclides interroganti cuidam, & curiosiùs inquirenti; quales nam essent Dij, & quânã re gauderent potissimùm, respondit: *Cætera quidem ignoro, at curiosos illis odio esse certò scio.* Scitè reprehendit hominis curiositatem, & simul docuit; quàm sit odiosum vel ipsis etiam dijs (at Christianè loquẽdo, vel ipsi etiam Deo) vitium curiositatis. Hæc enim in homine curioso negotium animæ, quod unicuiquè, sed præcipuè Religioso, deberet esse præcipuum, negligit; in alijs inutiliter, ac frustrà laborat, imò scandalum generat, & in animos eorum invehit vitia. Ideòq; Demonax philosophus in exquirente quodam curiosiùs: An mundus esset animatus? Et rursùm: An globosus? egregiè curiositatem perstrinxit, cùm dicto: *Vos de mundo soliciti estis; & vestram ipsorum immunditiem non curatis.*

5. Hoc idem unicuique religioso, quem curiositas ad inutiles quæstiones, ad collocutiones prolixas, ac minimè necessarias, ad rerum nihil ad se pertinentium investigationem, inspectionem, & experimentum aliquod allicit, & urget, appositè reponi posset: *De mundo solicitus es, & tuam ipsius immunditiem*, quam per curiositatem contrahis, *non*

1. Thes. 4. 11. Euclid.

Demonax. Ge. 34. 1.

cur ac

curas, & pensi non habes. Si bonus esse vis Religiosus, teipsum inspice; mentis & animæ tuæ miseriam, & imperfecta, in quibus uersaris, investiga, & perscrutare. *Operam dato ut quietus sis*, & tuum negotium agas: quæ tuæ vocationis sunt, illis intende. Cætera quid ad te? Tu Christum sequere. Secùs si faxis, nè tibi æquè, atque alijs, es perniciosus; innumerorum malorum author es; peccatorum multorum tàm in te, quà in alijs, seminator es. Enim verò, quantùm etiam in alijs ad perniciem faciat, eisque noceat curiosus, tàm ad hanc secundam, quàm ad primam hujus paragraphi partem disertiùs demonstrandam, desũpta ex sacro codice doceant exempla; pro quibus sit.

§ III.

Quo proponuntur exempla malorum, ex curiositate secutorum.

1. Nolim hìc amplius commemorare mulieris, in paradiso curiositatem quæ ipsi cũ serpente prolixiùs colloquenti, sed & oculos in ligni vetiti speciem figenti curiosiùs, intervenit. Est enim decantata nimis historia, & jam non semel superiùs in hoc opusculo recitata. Verùm ad propositum nostrum occurrit nunc illud opportunè, magnæ confusionis, & tragici eventûs causa, de Iacob Patriarchæ filia Dina, quòd narrat in libro Geneseos Moyses exemplum. Virgo jam nuptijs apta, prodierat è paterna domo, quæ fuerat extra civitatem Sichem, antehàc è domicilio non solita vagari. Sed tunc, ut tradit Flavius Iosephus, antiquitatum libro primo, celebritatis cujusdam occasione, quo tempore populus urbanus omnis effundebatur in publicum, ducta curiositate videndi mulieres illius regionis, etiam ipsa civitatem est ingressa, pompam populi, sed præcipuè mulieres, & ornatum earum: *ut videret mulieres regionis illius*. Cõsideret hic prudens lector aliam egrediendi de paterna domo non poni causam à sacro scri-

S. Aug. quæst. 108. in Ge.

Perer. com. in Ge. to. 4. nu. 4.

cro ſcriptore, quàm mulieres regionis illius videndi pruriginem; ſcilicèt curioſitatem. Hæc iuvenculam in publicum urbis excivit forum, ut & videret, & videretur. Aliud egrediendi propoſitum certè non habuit, quàm ut curioſè *videret mulieres regionis illius*; & quod huic curioſitati fuit affine, ſe quoque videndam alijs ut oſtenderet. Quid igitur? vidit, & viſa eſt. Curioſitatem puellæ ſubſecuta curioſitas eſt alterius, illa vidit *Mulieres regionis illius*; hanc vidit domeſticus juvenis prīceps terræ illius peregrinam; & ſtatim adamavit eam. Etiam inſano captus amore peregrinæ, *rapuit eam, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* En habes, infelix Dina curioſi fructum propoſiti. Virgo egreſſa in publicum, jam rapta, vi oppreſſa, deflorata, nec virgo domum reverteris, nec marita. Et hoc quidem deplorandum tuum eſt damnum.

2 At non hić ſtetit infelix curioſitatis exitus, & exitium: in altam emergit confuſionem in plura ſcelera, in ſtragem crudeliſſimam. Et horum omnium non alia fuit cauſa, quàm immodicus videndi, curioſèque condiſcendi mores, & ingenia pruritus. Vndè verba hæc, *ut videret*, S. Auguſtinus ex ſeptuaginta interpretum Græca expoſitione legit, *ut condiſceret regionis illius*. Quid autem in mulierib9 cōdiſcere Dina voluit? *ingenia* (reſpondet Pererius) *mores, & inſtituta, & victum, & habitum, atque cultum illarum mulierum, & quemadmodùm ſe in conſvetudinem, & amicitiam earum inſinuare, ac penetrare poſſet.* Hæc omnia Dinæ curioſitas eſt conſecuta. Vidit, condidicit, conſvetudinem eſt experta, amicitiam adepta; ſed pudicitiâ,, & honeſtate, ſed virginali flore ſpoliata. Ad quæ deinceps in paternam domum, in fraternam ſocietatem, in ſichimitarū urbem invecta confuſio, clades, ac ſtrages? Pater auditâ re tâm fædâ, filijs tunc abſentibus, cùm animi dolore *Siluit donec redirent illi.* Filij, *Audito, quod acciderat, irati ſunt val-*

dè, eò *quod fœdam rem operatus esset* (Sichem filius Nemor) *in Isràël; & violata filia Iacob rem illicitam perpetrâsset.* Nec sinè mysterio sacer codex adscribit Dinæ, quod licèt rapta & vi oppressa, nihilominùs illicitam rem perpetrâsset. Fuit enim raptus, & illicitus ille concubitus puellæ, quodammodò voluntarius ex curiositate, delinitæ blanditijs. Siquidem locò verborum, quibus indicatur, quòd iuvenis eam *Delinivit blanditiis*, habetur ad verbum in Hebraico: *Locutus est ad cor puellæ.* Et sicut ex Græco legit S. Augustinus, *Locutus est secundũ sensũ virginis*, id ést: ea locutus est princeps iuvenis ad ipsam, quæ prorsùs erant ad sensum, & placitum puellæ; sicque facilè consensit (& si rapta) in rem illicitam, eamque libens patravit. Et hoc quidem puellæ curiositatem fædum consecutum est facinus, in quod ultroneè consensit. Iam quid Iacobi filij, Dinæ fratres? *irati sunt*; & inter iras, vindictã, fraudem, & stragem machinati, tandem & executi, non unum, sed multa peccata cõmiserunt.

3 Eorum scelera Pererius accuratissimus in Genesim cõmentator novem enumerat. *Primum; quod inconsulto, atque inscio patre suo Iacob* (authoris sunt verba) *proprio iudicio, & auctoritate, cæcoq; impetu animi, ac temerario ausu, facinus illud aggressi sunt.* Alterum, *fuit mendacium perniciosissimum, & cum pessimo dolo coniunctum, quod scelus scriptura non tacuit, dicens in hoc capite:* Responderunt filij Iacob Sichem, & patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis. *Tertium peccatum fuit tamquam sacrilegium. Sacramento nàmque circumcisionis, quo nihil habebant illi religiosiùs, & sanctiùs, inter cerimonias divini cultûs, impiè abusi sunt. Quartum fuit peccatum extremæ inhumanitatis, imò ferinæ crudelitatis. Siquidem die tertio, quandò gravissimus vulnerum dolor erat ex circumcisione, inermes, incautos, inopinantes, ad resistendum prorsùs invalidos, furiosè invaserunt, sævissimèq; occiderunt. Quintum, notabilis admodùm, & culpabilis vindictæ*

S. Bernard. tract. de grad. humilit. &c.

excessus. Sextum; quòd filii Iacob non contenti tàm atroci cæde Sichem, qui flagitii auctor fuerat, in omnes prætereà sichimitas crudelissimâ nece sævierunt; homines, quantùm ad illud flagitium, planè insontes, & innocentes. Septimum; quod post immanitatem patratæ iam cædis, nondum exsaturatâ irâ, tanto tot hominum exitio, in omnia bona sichimitarum hostili furore grassati sint. Octavum; quòd tali prædâ, tantoque excidio non contenti, etiam parvulos, & fœminas subiugantes captivitati, in servitutem abstraxerunt. Nonum denique, quòd istiusmodi facinore, tantâ temeritate, furoreq; patrato in summum discrimen & patris sui, suamquè vitam, & fortunas omnes, cunctamquè familiam præcipitârunt. Hucusquè Pererius. Ex quo liquidè patet; quantorum, & quàm multorum fuerit causa malorum una puellæ curiositas: quam S. Bernardus in ea perstringens ità persequitur: *ô Dina! Quid necesse est, ut videas mulieres alienigenas? quâ necessitate? quâ utilitate? an solà curiositate? Quòd si tu otiosè vides; sed non otiosè videris. Tu curiosè spectas; sed curiosiùs spectaris. Quis crederet tunc illam tuam curiosam otiositatem forè paulò post non otiosam, sed tibi, tuisq; tàm perniciosam?* Atque hic fuit puellaris curiositatis eventus, sibi, suis, hostibus perniciosus.

2. Re. 24. 2. v. 3. 1. Paral. 21. 2.

David regi quid non conscivit curiositas, quâ populum Isràël universum regni sui numerari curavit, ut sciret numerum ejus? *Perambula omnes tribus Isràël* (ait rex ad Ioab principem exercitûs) *à Dan usque Bersabeæ: numerate populum, ut sciam numerum eius.* Dissvadeat, ac dehortetur prudentior Ioab: *Quid sibi Dominus meus rex vult in huiuscemodi re* tam curiosa, quæ possit in peccatum reputari? Tuâ non interest, mi Ioab, quid velim; nec scrutare consilium meum, rex ego volo; jubeo. *Ite; numerate populum Isràël.* Sed per immortalem Deum! rex, noli facere, *quod in peccatum reputetur.* Quid? peccatum? Tu tantum vade: *Ite, & afferte mihi numerum ut sciam.* Benè; benè. Iverunt, perambulârunt, nu-

v. 3. 2. Re. 24. 9.

merâ-

merârunt, attulerunt numerum: *De Isràël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* Iam juvenum, mulierum, virginum, adolescentulorum, puerorum, senum numerus infinitus. Sed nihil ad regem pertinet innumera turba, & imbellis: *virorum fortium, qui educerent gladium, pugnatorum* rex numerum sciat, & sufficit. Scies, rex, scies; sed brevi curiositatis, & natæ ex curiositate superbiæ daturus pœnam in caput tuum, in populi tui miserandam stragem. Vix allatus est regi numerus, & jam è vestigio triste nuntium adest per Gad Prophetam. Audi rex: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Nũc ergò, *elige unum quod volveris ex his.* ô dura, & dira conditio! septẽ annorum fames, hæc vniverso populo nimiùm diuturna, & intolerabils, ô quantam hominum, & jumẽtorum absumet multitudinẽ! ista, trium mensium divexari domestico bello; jugibus in thronum, & in caput meum, conjuratorum armis exagitari; de regno, de capite, de anima periclitari, calamitas, ô qvantam mihi simul & universo populo, ac regno cædem adferet, stragem, vastationem! Illa trium dierum pestilentia, ô quàm multa innocentium animarum millia non iam tridui, sed horarum tantũ aliquod, spatium extingvet! Eccè verò, sicut elegisti, incidere in manus Domini, quàm in manus hominum, mox ut *Immisit Dominus pestilentiam in Isráel, de manè usque ad tempus*, id est, (sicut exponunt septuaginta) *usque ad horam prandij; & mortui sunt ex populo*, illo videlicèt pugnatore, & educente gladium, *à Dan usque ad Bersabeæ septuaginta millia virorum.*

v. 13.

5. Triduò tantùm, comminatus est Deus mortalitatem, & eam in sex horas (tot enim à manè numerantur ad prandium) contraxit; & jam septuaginta millia virorum bellato-

v. 15.

bellatorum desiderantur exceptis mulieribus, adolescentibus, aliâque plebe promiscuâ. Quid si Deus Angeli manum in populum horrendâ plagâ sævientis non continuisset? Si pestilens illa mortalitas solidum tenuisset triduum cum duabus noctibus, & semper intrà sex horarum spatium septuaginta millia pugnatorum; & sic ex recensito numero tredecies centenorū millium (sicut narrat historia) non remansissent, nisi sexcenta millia, major antè pugnatorum numerus interijsset. Numerum ergò populi bellatoris pœna terribilis minuit; quem urgente curiositate, superbia magnum, multumque esse gloriata est, scitè proptereà S. Augustinus: *peccatum*, inquit, *elationis eius*, ortæ videlicèt ex curiositate, *sic punire placuit Deo, ut eumdem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat superbiâ pertentatum.* Nimirùm: dicere velle videtur Doctor augustissimus, regem sciendi populi sibi subditi numerum, & multitudinem, curiositate ductum, tandem ob numeri multitudinem superbiâ pertentatum, elatumquè, mox utriusquè, tàm curiositatis, quàm superbiæ, dedisse pœnas, ut numerum minueret Deus, morte multorum, quorum multitudine cor regis superbiebat.

S. Aug. contra Faustū lib. 22. c. 66.

6. Ideò verò Deus eam horrendam immisit in populum pestilentiam, ut ostenderetur; curiositatem puniri gravissimè non solùm in eo, qui curiosus est; verùm & in alijs, ijs præsertim, qui pertinent ad ipsum. Peccavit princeps, punitus est populus; punitus imminutione numeri David; dederunt pœnas & subditi, qui pestilentiâ sublati, vindictam Domini sustinuerunt. Hinc S. Gregorius: *vindictam*, inquit, *populus David peccante suscepit.* Adeò nimirùm perniciosa curiositas est, ut non contenta grassari in auctorem suum, alijs quoque stragem inferat & exitium. Non longè ab hac doctrina curiositas, est illa Iudæorum, quâ dominum *tentantes, signum de Cælo quærebant ab eo. Magister*, inquiunt,

S. Greg. l. 29. Moral. c. 14.

quiũt, *volumus à te signumvidere.* Iám quale voluit responsum curiositas illorum tam audax, ut miraculum aliquod à Domino patrari postularent in oculis suis? In primis audiunt appositissimam ad ipsorum indolem responsionem: *Generatio mala.* Nimirùm palàm vapulat eorum occulta malitia, quâ contra Dei Filium frementes, ipsius opera calumniati, mortem eidem ex invidia machinabantur. Quod igitur privatim moniti noluerunt audire, coacti sunt audire publicè: *generatio mala.* Deindè Dominus eos appellat, *Generationem adulteram.* Quòd & hæc generatio (scribæ, inquàm, & Pharisæi) tãquàm adultera mulier viris adhærens alienis, à Deo recesserit, & adhæserit dæmoni, gentium moribus, & idolis; uti notat S. Hieronymus cùm ait: *Egregiè dixit adulteram. Quià dimiserat virum, & iuxta Ezechielem multis se amatoribus copulaverat.* Vndè Theophilactus, *adulteram, inquit, generationem vocat. Quià desciscebant à Deo, & adhærebant dæmoni.* Itidem Dominus oris sui virgâ percussit scribarum, & Pharisæorum pravitatem, quâ Dei lege desertâ traditiones hominum divinæ præferebant legi, ipsumque Dominum talia reprehendentem quærebant occidere.

7. Postremò vocat ideò *generationem adulteram*: quòd curiositatem eorum pœna cõsecutura sit eadem, quæ adulteras. Harum supplicium erat juxtà legem lapidibus obrui, sicut urgebant ipsi scribæ, & Pharisæi contrà mulierem in adulterio deprehensam. Ergò Dominus huic illorum curiositati, quâ volebant ab ipso videre signum, & quidem de Cœlo commeritam ut denuntiaret pœnam, generationis adulteræ denominationẽ, supplicium insinuavit ipsis horrendum, instar adulterarum lapidibus obruendarum; quod consecutum est, quandò tàm ipsi, quàm posteritas illorum, & tota civitas eam subijt pœnam, ac ruinam; ut in terrã prostrata, & ejus filij sivè cadavera ipsorum lapidum ruinis obruerentur, Et hoc

S. Aug. contra Faustũ l. 22. c. 66.

S. Gre: l. 29. mor: c. 14. Lu. 11. 6.

hoc ſupplicium huic adulteræ per curioſitatem generationi debitum, Deus olim etiam per Ezechielem comminatus eſt, ubi ſic ad Ieruſalem: *Et iudicabo te*, inquit, *iudiciis adulterorum, & effundentium ſangvinem; & dabo te in ſangvinem furoris, & zeli.* Eccè quòvſquè ſupplicium evaſit curioſorum, poſtulantium ſignum è Cœlo, dati ſúnt in ſangvinem furoris, & zeli, tàm ipſi, quàm eorum poſteri, & civitas univerſa; non quia ſolam curioſitatem tàm horrenda conſecuta ſit pœna, ſed quià demùm ex curioſitate in omnium gentium mores, & ingenia, & abominationes diffluxerunt: *Deſciſcentes à Deo, adhæſerunt dæmoni.*

8. Poſſent adhùc ex ſacro codice proferri caſtigatæ curioſitatis exempla: ſed omiſſis illis, liceat pro paragraphi hujus coronide, unum etiam ex hiſtorijs alijs adferre, quod ex Martino Delrio narrat P. Antonius Dauroultzius Soc: Ieſu in floribus exemplorum his verbis: In Mandrici oppido Comenſi, annis ferè (ſicut ibi pro eo tempore annotatur) quinquaginta elapſis contigit; ut, cùm quidam inquiſitor, nomine „ Magiſter Bartholomæus de „ Homata, Laurentius de cõ- „ cretio Poteſtas, & Ioannes „ de Foſſato Notarius, contra „ ſtriges procederent, Pote- „ ſtas, aliquâ curioſitate du- „ ctus volens experiri; an ve- „ rè corporaliter ſtriges irẽt „ ad luſum, ex condicto ac- „ ceſſerit quodam die Iovis „ veſpere ſerò cum Notario „ ſuo, & aliquòdam extrà op- „ pidum ad quemdam locum „ à ſtrige ſibi prædictum. „ Cùmquè jam propè eſſent „ illi tres; viderunt plurimas „ perſonas congregatas corã „ quodam (qui diabolus erat „ in hirci forma) ad magni „ cujusdam Domini modum „ ſedente. Et eccè ſubitò „ omnes illæ perſonæ ibidem „ congregatæ, juſſu diaboli, „ officialem illum, & ejus ſo- „ cios, Deo ob eorum curio- „ ſitatem permittente, bacu- „ lis adeò percuſſerunt; ut ex „

Mat. 21.38. S.Hier.cõ. l. 2. inMat.c.12. Theophyl. hîc Lev. 20. 10. Io. 8. 5.

Ezech. 16. 38. Anton. ferè Daurovitj. Mart. Delr. to. 1. diſquis. mag.l.2q.16.

„ illis percussionibus officialis „ idem, & Notarius, & alius „ ille tertius infrà quindecim „ dies mortui sunt: Hùcusquè ille. Vnus igitur cu„ riosus alios in curiositatem induxit, & pœnam tàm sibi, quàm alijs conscivit permittente Deo justam: quòd percussi posteà morte luerint id, quod tàm avidè per curiositatem scire voluerunt. Ità quoquè fieri certùm est cùm Religioso curiositati dedito, tamdiù detestandum hoc vitium exercere perseverante, donec per multos, & enormes errores tàm suæ vocationi, quàm alijs, quos in eumdem *secum* pertrahit sensum, consciscat notabilem ruinam.

CAPVT VII.

§ I.

Nimia familiaritas inter religiosos, præcipua spiritûs & vocationis est ruina.

1. Sicut nihil magis spiritum, & vocationem religiosã ædificat, quàm charitas, quæ sola cum Deo conjungit, & unit animam, virtutes omnes informat, colligat, perficitq; adeò, ut sinè charitate vel dissipari debeant omnes, vel omninò sint nullæ, verbo; charitas est anima virtutum; non secùs atque corporis, omnia membra, ipsumque totum corpus integrans, & perficiens est anima sic; ut eâ sublatâ à corpore, membra pariter omnia dissolvantur, & totum dilabatur corpus, corruat, & corrumpatur, eodem modo charitas virtutes tenet connexas, totumq; religiosæ perfectionis complet corpus. Et quàmvis Apostolus illo, scribens ad Colossenses, aphorismo, *charitas est vinculum perfectionis*, non aliò spectâsse videatur, quàm ad charitatem ergà proximum: quià tamen charitas hæc nititur charitate in Deum, tanquàm causâ, & objecto formali; eò quôd propter Deum proximus diligatur; ideò non est dubium, quin potiùs hoc pronunciato suo de charitate, peculiariter ad hanc charitatis respexerit energiam, quæ in virtutum omnium perfecta

collectione Deum super omnia amabilissimum comprehendit, eique tanquàm soli summo bono suo animam unit perfectè, atque hâc ratione consummatũ quoddam vitæ spiritualis constituit ædificiũ.

2. Iam sicut, inquam, nihil magis spiritum, & vocationem religiosam ædificat, quàm charitas, ut ea quædam sit perfecta virtutum omnium divinique consortij complexio: sic familiaritas, quæ nimiùm per inordinatam affectionem, eamque peculiarem, humanæ copulatur societati, spiritum eumdem, & vocationem religiosam enervat, destruit, dissipatque; pestis, & exitiũ omnis ejus boni, quòdcunquè religiosus aliàs ex professione suscepti instituti posset, ac potest, ad animæ salutem comparare. Quæ quidèm peculiaris, ac nimia charitas, in eo consistit potissimũ, & religiosæ vocationi plurimùm est perniciosa; quòd vel ob complexionis, & indolis similitudinem; vel ob ætatis æqualitatem, vel ob naturæ quamdàm inclinationẽ, ac sympathiam; vel (quod pejus est) ob finem aliquem minimè convenientem, quem naturæ suggerit inclinatio, duo simul, vel ad summùm ejusdem farinæ tres, tàm in publico (in quo tamen solent isti sympathici parciores esse, nisi quos cæcus impetus animi facit audaciores, forsan & impudentiores) quàm in privato, sæpè conveniant; tantùm inter se colloquia misceant, ab alijs segregati, vel in angulo, vel in aliqua cella vel in quocunque loco minimè communi, vel consident vel deambulant, vel honestâ quâpiam aliâ occupatione, simul attenti, conversantur; ipsi nihilominùs per aliquem cæterorum contemptum, fastidium, ac nauseam, aliquãtò remotiùs à communitate, cùm alio nemine, nisi tantũ secum agunt, deambulant, aut sedent, & colloquuntur ea, quæ nemo scire potest meliùs, vel audire, quám solus Deus, & ipsi.

3. Quæ quidem crebra, nimiùmque familiaria illorum conventicula, commercia, & collo-

collocutiones, ſicut extra con-troverſiam ſemper ſuſpecta ſunt, præſertim à juvenibus, ac ſemper ijsdem, ejusdemq; farinæ perſonis, & coætaneis, fieri ſolita, quæ Sancti Patres paſſim reprehendunt graviter, & omnes Magiſtri Spirituales fugienda vehementer inculcant; ità ſpiritui, vacationique religioſæ magna ſolent adferre detrimenta. Nam ex hac continua converſatione tàm familiari perindè, quàm ſi cor unum, & anima foret in duobus, aut tribus, una: ex hoc amicitiæ tàm arcto vinculo, maximè verò, ſi clandeſtinum id, furtivumque ſit, amor ille, quem ſibi mutuò cōteſtantur, & ſi vel hoc ipſo jam ſit inordinatus, adhùc tamen manifeſtiùs in amorem deſinit vitioſum, in cujus poſteà ſymbolum mutuò exhibendum, ad alia devenitur abſurda; videlicèt per illicita media conquirunt ſibi certa crepundia, ligulas, cultellos, libellos, icunculas, curioſiùs ornatas, & ſubſcriptionibus amorem conteſtantibus, & alias hiſce ſimiles apinas, eaſq; ſibi donant in amoris mutui teſtimonium. Vndè ſenſim venitur ad abſurdiora; nimirùm ad ſecretas ſchedularum cum certis ad amorem allicientibus verborum phraſibus, ac notis, miſſitationes, aut ſubjectiones; ad remotos ab arbitris ex condicto conventus; ad affectionum, deſideriorum, & tentationum communicationes, apertioneſque: tandem ad abſurdiſſimas conſolationes, ad ſolicitationes in id, ad quod prava trahit inclinatio.

4. Et ità dùm ad nimietatem ea declinat amicitia, crebræq; congreſſiones, fieri non poteſt, ut aliquid indè non enaſcatur, quod denique ſit deplorandum. Si enim aut conſcientiâ remordente cor ſuum alteruter, vel uterque aliquātùm inſpiciat; aut Deus ex infinita miſericordia ſua, nolens ipſum, ut in profundum prolabatur permittere, miſerationis ipſum reſpexerit oculo, moveritq; cor ejus ad inſpiciendum, & perſpiciendum animæ ſuæ periculum; jam in eo caſu Religioſus de-

prehendet certò, mentem, animamque suam procul distare ab amore Dei, ad quem super omnia diligendum creatus est, & conversam ad rẽ creatam luteám, caducam, evanidam, & vanissimam. An non meritò gemat, defleat, ac deploret miserrimum statum suum; animam suam ad cœlestia, divinaquè contemplanda sibi datâm, se vanissimis unius hominis cogitationibus, affectui, & amicitiæ implicuisse? voluntatem quæ propter optimi creatoris amorem erat à creatis omnibus avulsa, jam mortalis hominis, & brevi morituri gratiâ desiderijs inanibus ineptire? scitè propterea Dorotheus: *Bonum est*, inquit, *non admodùm affici ergà coætaneos*, adde tu, erga quoscunquè indole, complexione, patriâ, natione, gente, vel alio quocunquè titulo, respectuque similes, aut pariles: *Huiuscemodi enim consvetudo* (prosequitur adhùc Dorotheus) & familiaritas, fletum affert.

5. Sed utinam aliqua seria tàm absurdæ familiaritatis, & consvetudinis animum subeat consideratio, & pœnitudo. Timendum est enim plurimùm; nè (Deus, cujus judicia sunt abyssus multa,) justè permittat talem, aut ejusmodi consvetudini assvetum, sensim abire in sensum reprobum. Id quod facilè contingere potest ex eo, quòd si quando deprehensus, svaviter; paternèque monetur, & ab hujusmodi consortio prohibetur, ipse per mendacia, per varios colores, per falsa testimonia, tandem & per perijuria pernegat omnia, non minùs etiam intentus omni occasioni, quomodò vel Sacramentalem eludat confessionem, ad aliquem alium, non autem ad ordinarium accedendo, titulo rationabilis aut necessitatis, aut diffidentiæ, confessarium. Res autem foret tolerabilior, si non etiam ad reticendum, & ad sacrilegè confitendum ferociret, proposito quidem, aliquo tempore, vel occasione commodiore confessionem tàm de occultatis, quàm de confessionibus sacrilegis integrè se

Doroth. doctrina 21.

accu-

accusandi, frugique faciendi, scilicèt ad votum, & mentē suam, decretum, ordinationem Dei vult flectere, tanquàm Deus obligatus sit ad voluntatem ipsius omnia facere. Sed interim diabolus astutus, talis propositi corrector, semper inveniet, quod insusurret, atque procrastinationem persvadeat opportunam; ut ità vel callum obducat audacia; vel deniquè, diu qui consvevit illudere, delusus ipse non inveniat modum è tam profunda voragine discrimen evadendi. Et tunc verè contingit ejusmodi cunctatori, qvod Christus Dominus olim dixit de homine, de quo Spiritus immūdus exiverat, ac per Divinā gratiam, tamquàm domum aliquam exquisitè mundatam, ornatamque, ipsum reliquerat. Sed arreptâ rursùs occasione, assumptis alijs septē spiritibus, nequioribus se, dùm illi non resistitur, denuò redit, & ità fiunt; *novissima hominis illius peiora prioribus.*

6. Est enim certùm; hominem per ipsum religionis ingressum eamdem consequi gratiam (ùt docet S. Thomas) quam consequuntur baptizati; remittique tunc omnem culpam, & pœnam. Exturbatus igitur est diabolus, & omnis ejus potestas, ex anima religiosum statum suscipiente. Domus est mundata scopis, & ornata. Videlicèt purgata per gratiam justificantem; ab omni sorde peccati, ab omni sensualium appetentiarū inquinamento, mūdata per gratiam sanctificantem; per gratiam gratum facientem, virtutibus ad invidiam pessimi veteratoris ornata. Sed, ô miseriam! dùm ad pristinos iterùm animi reditur inordinatos affectus; ad amoris inordinati stultas, & à religioso prorsùs alienandas ineptias; ad occultas easq; detestandas familiaritates, & commercia; jam tunc aperitur porta, quâ cacodæmon, spiritus immunditiæ, septem alijs nequioribus se stipatus, factus validior, securiorem sibi constituit mansionem; & quem olim in sæculo fortassis unus tantùm pertentabat,

Lu. 11. 26.

S. Tho. 22. q. 109. a 3. ad 3.

& colaphizabat Angelus ſatanæ, ſtimulus carnis; jam nunc octo ſpiritus conjunctim, ſuperbiæ, iræ, odij, luxuriæ, invidiæ, gulæ, avaritiæ, acediæ, per omnes tàm corporis, quàm animi graſſantur ſenſus, ità, ut brevi tempore, domus anteà pulcherrimè purgata, mundata, & ornata, in unam omnium vitiorum ſpeluncam, & in deſertum quoddam converſa corruere debeat. Mens, inquã, Deo dicata nuper, jam alij mancipata domino, vocationem ſuam aut per ſummam ſocordiam negligit; & ea, quæ divini ſunt obſequij per otium (veriùs autem per ludibrium) tractat, amorem erga Deum, ſimul & timorem, exuit; aut penitùs deſerit, ac derelinquit.

7. Nec ſine cauſa dixerit Chriſtus Dominus, ab uno ſpiritu immundo ſeptem alios aſſumi nequiores ſe; atq; ob id, hominis illius noviſſima fieri peiora prioribus. quia enim unus nequam ſpiritus & ſi multa per ſuggeſtionem intulerat animæ mala; non tamen eouſquè poterat illam afficere, ut id, quod nequam voluerat, omninò perficeret. Muniebat enim illa ſe tùm per conſilia, tùm per frequentem homologeſin peccatorum, tùm per ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non ſine peculiari devotionis ſpiritu ſumptionem; tùm per alia fervida pietatis, & religionis exercitia, & ideò ſpiritûs unius impugnantis vires ſæpiſſimè retundebat, inſtringebat, & infirmabat. Sed ubi deguſtatâ ſemel cœleſtium gratiarum dulcedine rursùm ad mundi, carnisquè voluptates, & ineptias redit; adverſarioquè revertendi permittit opportunitatem, ac locũ; jam ille munitus aliorum ſeptem ſpirituum nequiorum ſe præſidio, meliùs ſcit firmare poſſeſſionem ſuam, ubi reperit animam benè quidem anteà mundatam, ſed jam majore periculò ſordibus immundarum, aut ſaltem nimis mundanarum cogitationum frequentatione conſpurcatam Sanctæ contemplationis acie propter invaleſcentes inordi-

natos erga personam vanissimam affectus hebetatam; Cœlestium illustrationum subsidijs, ac præsidijs ad ulteriorem in religioso spiritu progressum destitutam; & (quod ampliùs est) (ut dicam ità) delectatiunculis, & illecebris assvetam; ea, quæ sunt spiritûs, & quæ ad honestam animi culturam pertinent, segniter exercentem, imò contemnentem; rem creatam, & ejus amorem Deo Creatori suo, Patri, & Conservatori Optimo, temerè præponentem, jam validiùs infelicem oppugnat animam, & succedente semper victoriâ, tyrannico dominatui subactam acriùs ac duriùs exercet, & opprimit, partim ad vindictam contemptûs sui, quem retulit tunc, cùm per calcatas ejus suggestiones, & omnem potentiam ad vexillum properabat crucis, seque militem scripsit Christi; partim ad novæ victoriæ nimiam insolentiam; partim ad tyrannidis suæ potentioris exercitium: & ità, quod anteà quadam imperfectâ possidebat tyrannide unus in primo tantùm gradu; jam octo nequam imò nequissimi spiritus in octavo malitiam suam exercent, & perficiunt gradu.

8. Vt enim qualitates in naturalibus ex infimo deductæ gradu perficiuntur octavo; sic & in moralibus, seu virtutes, seu vitia spectes, ex primo infimo, sensim ad summum, qui gradus octavus est, evadunt, & qualitatem perficiunt, ità, ut, quod S. Ambrosius dixit, *spei nostræ octavam, perfectionem esse, & octavam, summam virtutum esse*, rectè quoque de nequitia septē spirituum cum primo conjunctorum, qui numerus octavum perficit, dici possit, quod *Octava summa* nequitiarum est. & ideò planè congruit Cœlestis Magistri dictum ad exaggerendam hominis illius miseriam: *Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Et hominis per religionis ingressum benè mundati, & ornati, si denuò diabolus per inordinati cujuspiam affectûs januam recuperet aditum, verè *fiunt novissima illius peiora prio-*

S. Ambr. lib. 5. comm. in Lu. c. 6.

Iac. 4. 4. Iob. 13. 24.

ra prio-

ra prioribus; id quòd inferiùs, si Deo visum fuerit, adhuc ostendetur.

9. Patet igitur jam ex dictis; quàm noxia, perniciosaque sit vocationi; spirituiq; religioso nimia familiaritas, & amicitia; ut non sit opus alijs argumentis ad demonstrandam, quæ sequitur ex ea perniciem, & ruinam. Cùm enim amicitia hujus mundi (idem intellige de nimia erga personam aliquam amicitia, quæ certè non est secundum Deum, sed verè secundum sæculum, mundum, & carnem) cùm, inquam, *amicitia huius mundi inimica sit Dei*, sicut ait in Canonica sua S. Iacobus Apostolus, non opus est ad destruendũ Sanctæ Vocationis ædificium alio, quo maximè pulsetur religiosa mens, ariete, quàm apud Deum haberi pro inimico, vel Deum habere sibi contrarium. Hæc simultas, & inimicitia, totum evertit, quidquid ædificavit gratia.

10. Turbaverat non parùm in humanæ miseriæ theatro ad extremum calamitatum omnium experimentum expositum innocentissimum Iob; eò, quód putaret haberi se Deo invisum, & inimicum; quandò prorsus hostilem in modum vexabatur, & instar inimici malis exercebatur plurimis, ità permittente Deo ad majorem virtutis, ac fortitudinis ejus coronam: *Cur faciem tuam abscondis* (ad Deum lamentabilitèr ait) *& arbitraris me inimicum tuum?* Scivit enim, quid sit incurisse iram, & haberi pro inimico apud Deum, qui non multò nisu, sed uno tantùm vel minimo flatu subvertere potest universa; homines quantùmvis potentiâ, viribus, opulentiâ, ingenio, sapientiâ validos, sed Deo propter superbiam, & iniquitatem eorum invisos, in puncto perire: *vidi eos* (apud eumdem Iob quidam ejus amicus ait) *vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perijsse; & spiritu oris eius esse consumptos.* Hoc, inquam, virum aliàs innocentissimum turbaverat; &, si Deus ipsum inimicum

c. 4. 8.

suum

suum existimaret, vehementer extimuit; ne in illa tot ærumnarum catasta repentino irati Dei flatu penitùs interiret. Ex hoc quidem ille tantùm ex suspicione, seu potiùs ex metu rationabili timuit sibi. Iam religiosus ex innocentiæ statu per voluntarias amoris inordinati culpas & ineptias, iterùm inimicum se dum constituit Dei, quid mercedis exspectet? Timeat omni fulmine terribiliorem illam, quæ apud Isaiam habetur sententiam: *In terra Sanctorum iniqua gessit; & non videbit gloriam Domini.*

§ II.

Privatæ, nimiæque familiaritates, & amicitiæ vix alium sibi propositum habent finem quàm carnem.

1. Solent quidam emunctioris, secundum sæculum, naris hanc amicitiarũ reprehensionem non solùm risu explodere; sed etiam multis sarcasmis tamquam supervacaneam doctrinam proscindere. Sed à nullo religioso probo quispiam audierit unquam hanc sugillationem. Siquidem omnium Sanctorum Patrum, & Magistrorum spiritualium communis est contra nimiam familiaritatem invectio. Illis hæc salubris est inimica traditio tantùm, & vehementer displicet; qui talibus animum pascere pulpamentis assveti, non possunt, quia nolunt, ea percipere, quæ sunt spiritûs. Dicunt illi quid mali est? quòd hunc, aut præ alijs illum diligam? quòd ipsum pro altero me habeam? quòd animi mei arcana huic, non autem alij cuicunquè pandam, & in pectoris ejus effundam sinum? Cùm hoc, illovè crebriùs converser? *Ego diligentes me diligo.* Vtique sapientissimè commonet Ecclesiasticus: *Non omni homini cor tuum manifesta.* Ego magis afficior huic, quàm alijs. Quia reperi amicum alterum me. Alij scrupulosi nimiùm, & blaterones, quàm primùm mihi verbum elabitur ex ore, tàm illi citò deferunt ad superiorem. Nec

Isai. 26. 10.

Prov. 8. 17. Eccli. 8. 22.

Angelum me natura formavit; nec eremitam ego profiteor. Homini mihi cum hominibus, non cum feris, negotium est.

2. Sic illi quidem, & similibus alijs pro causa sua perorant. Sed quàm insulsè, quis non animadvertit? quòd enim hunc, aut illum diligant præ cæteris: si faciunt ideò, quòd advertant, ipsum, per charitatem magis esse propinquum Deo, quàm alios; ament porrò ipsum; colant præ alijs; injuriam nec Deo, nec sibi, nec contubernalibus suis faciunt. Non Deo: quia nihil Optimo Creatori derogant, tum quia Deus etiam ipse secundum mensurã charitatis, innocentiæ, & actuum à charitate imperatorum alium alio plùs diligit; tùm quòd amor erga proximum virtute magis excellentem, quàm alium, est licitus, & ordinatus ad Deum. Sed nimia familiaritas, & assidua cum uno sensûs ejusdem, & inclinationis, ad quem quis inordinatè propendet, socio magis, quàm cum alijs amicitia frequentata quia non secundum Deum, neq; secundum ordinatam charitatem procedit, ideò tàm Deo, quã istis à nimia familiaritate notatis, & alijs ejusdem professionis est multùm injuriosa. Quia quantùm in dilectione inordinata tribuitur rei Creatæ, tantùm adimitur Creatori. Seipsos etiam privant illo gratiæ incremento (si non & penitùs omni gratiâ Cœlesti destituunt) in quod proficere possent, & affluere si non à Deo, à Cœlo, à Sanctorum per contemplationẽ consortio avulsos cum alio sibi charo familiaritas, & cõmercium averteret.

3. Quòd huic, & non alij pandas animi tui secr eta eiq; in sinum cordis effundas; an non advertis ineptire te, & insigniter hallucinari? dum non patri tuo spirituali, non superiori, quibus incumbit ex officio statum animæ tuæ, scire, teque dirigere, docere, gubernare: sed uni juveni, ætate quidem pari, vel paulò plùs, aut minùs æquali, morum autem levitate

 consi-

cōſimili vitæ ſpiritualis imperito, non animæ tuæ principale negotium, verùm quod naturâ ſuggerit impetus, cōmunicas. Hiccinè tuus aut in ſpiritu mágiſter, & dux, aut conſcientiæ tuæ ſit moderator, qui magiſtri, & ducis indigus ipſe unà tecum errat? Næ ille te cæcum ducit cæcus, & ambo caditis in foveam. ſi diligentē te diligis; & ſi minùs aptè divinæ ſapientiæ tibi uſurpes adphoriſmū; tamen concedo tibi. Dilige diligentem te. ſed hæc mutua dilectio quia non propter Deum, nec propter virtutis, & probitatis ſtudium operatur tàm in te, quàm in illo dilecto, quod clandeſtina, & remota ſemper ab arbitris aſſidua familiaritas, ac cōverſatio ſatis probat, cùm tamen paſſim omnium religioſorum ordinum ſtatus immoderatā prohibeant converſationem; ideò non eſt, quod ineptiam tuam defendat magis, quàm potiùs oppugnet. Es enim prævaricator legis, & temerarius uſurpator privati conſortij tàm tibi, quàm nimiùm amato ſocio tuo perniciosi.

4. Illud autem, *Non omni homini cortuum manifeſta*, nonnè vides, quòd te quaſi proprio gladio tuo confodias? Dum enim non omni homini, ſed ſoli ſuperiori tuo, vel Patri Spirituali, qui conſcientiæ tuæ poſſit conſulere, cor tuum manifeſtare jubet Spiritus Sanctus; an non contravenis ſaluberrimo conſilio, dum animi tui prava deſideria, manifeſtas illi, qui prorſùs omnis homo eſt? id eſt; in omnem levitatem, & in omne juventutis vitium prōptus? Inveniſti amicum alterum te: dicis egregiè. Ad idem enim malum, quod tu machinaris, hunc ſolum unū, aut alterum, unius tecum farinæ, paratum inveniſti. Alij nimiùm ſcrupuloſi, & blaterones ad ſuperiorem ineptias tuas deferunt. At te pudeat non ea proferri à te, quæ digna ſint ab omnibus audiri, & ex quibus auditis ſuperior de te poſſit Deum laudare; te diligere magis; inter eos, qui perfectioni dant operam, numerare. Quòd nec Angelū te natura formaverit; nec

Eremitam profitearis; quòd homini tibi cum hominibus non cum feris, negotium sit. Et hoc illud est, cujus causâ deberes erubescere. Quia nec Angelum, nec Eremitã profiteris. Vita namquè religiosi, non naturâ, nec professione, sed imitatione tàm Angelum, quàm Eremitam requirit. Erubesce præthereà, quòd nequè cum Angelis, nequè cum Eremitis, nequè cum feris conversari scias, sed negotium potiùs est cùm hominibus; cum quibus autem? cum illis, qui tui similes ea, *Quæ sua sunt; quærunt; non quæ IESV Christi*. Erubesce, inquam: Quia nec in cella tua, sicut nec in corde tuo, scis Eremitam agere; nec Angelum bonum imitari in publico. Etenim tàm hîc, quàm ibi agis Angelum satanæ, clãdestinum veteratorem; tàm tui, quàm socij, quàm aliorum subversorem.

5. Egregiè tetigit te Christus, ubi dixit: *Omnis, qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem; ut non arguantur opera ejus.* Idcircò videlicet clandestina diligis, eligisq; conventicula: quia quæ cogitas, loqueris, & agis, non vis manifestari, nè arguantur & ne reprehendantur opera tua prava; nè reprehensus agere malè, desistere cogaris. Quòd certè signum mali tui status est, in quo versatur anima tua. Non enim vis in malo, quod moliris, coargui: sed pertinaciter perseveras, ut licentiùs pecces. Hinc S. Cyrillus in recitata superiùs Christi Domini verba: *Recusat, inquit, omnis, qui malè agit, lucis illuminationem, non quia malorum eum pudeat, pigeatquè: salvaretur enim, si id esset; sed quia ignorare meliora vult, nè conscientiæ stimulis, quotidiè peccans, exagitetur.* Igitur clandestina, & continua cum uno, alterovè familiaritas, & consvetudo propthereà peculiariter, & ab alijs semper est separata: quia non facit veritatem, quæ non verecundatur ad Dei gloriam opera sua manifestari. Et ideò mendacium & vanitas hujus amicitiæ refugit in lucem venire; quia non habet propositum finem,

Io. 3. 20.

S. Cyrillus.

qui se-

qui ſecundũ ſpiritum eſt; ſed qui ſecũdũ carnẽ; cujus opera non amant lucem, ne videantur, arguantur, & puniantur.

6. Quod eſto pernegent iſti tenebriones, & ſolam ſuſpicionem eſſe dicant siniſtram, cum bona tamen eorum venia dicam, quod ipſi audire nolunt, ego dicere erubeſco. Tam crebrum iſtud ab aliorum conſortio remotum cõventiculum; tàm inuſitata religioſis, in deambulando ſubindè, converſatio, ſic, ut prehenſis, & junctis invicem manibus ſe, dum adeunt illũ etiam locum, quem natura præ verecundia ſecretũ quærit, mutuò loquendo, ridendo, cachinandoquè comitẽtur, ibiquè garrire non vereantur, ubi nec muſſitandum eſſet; illæ mutuæ manuum contrectationes, & amplexus; illud ſine ſcrupulo citra facultatem, & ſcientiam ſuperioris, clandeſtinè ſimul comedere, bibere, cuticulam egregiè curare, nullâ vel jeiunij, vel abſtinentiæ, ſed neq; regulæ, habitâ ratione; ille ſecretorum, ac deſideriorum cum hoc, aut cum his, communicationes; illæ ſchedularum, & epiſtolarum cum præmiſſa vaniſſimi cujusdam amoris ſignificatione; v. g. cor meum N. corculum meum, vita mea, animula mea, miſſiones: hæc inquam, & his ſimilia prorsùs inordinati, & immoderati amoris indicia quid ſibi volunt? Profectò nõ ſpiritum ſapiunt, ſed carnem, & quæ carnis ſunt, ut meritò cum Magiſtro gentium coargui graviter, & increpari poſſit temeritas iſta, dicique: *Sic ſtulti eſtis; ut, cùm ſpiritu cœperitis carne conſummemini;* Non eſt bona converſatio veſtra, non eſt bona familiaritas veſtra; non eſt bona amicitia veſtra, non eſt bona cõſvetudo veſtra. Ideoque S. Tereſia teneritudines amicitias, & blanda verba, quibus ſubindè compellare ſe ſolent in nimia familiaritate, ſuis in Chriſto filiabus ſvadebat eſſe transferendas ad amabiliſſimũ IESVM in ſolitudine dicitq;: *Blandimenta, ac teneritudines iſtæ in domo veſtra nec locum habent,*

Gal. 3. 3. 1. Cor. 5. 6.

S. Theres. de via perfectioπ. c. 7.

nec ha-

nec habere par est : qualia sunt : vita mea, salus mea, aliaq; id genus adulatoria verba, Blanda hæc verba pro sponso vestro IESV *reservabitis; cùm toties, & tanta in solitudine cum illo vos agere oporteat.*

7. Scitè quoque, & planè ad propositum nostrum R. P. Iacobus Alvarez ad recitata superiùs Apostoli verba, a *Cùm spiritu cœperitis, ait : Nam quod spiritus cœpit, aut (veriùs loquẽs) cœpisse videtur,* hoc *caro, id est, distractio, & ambitio, & loquacitas, & scandalum perficit, & interdum caro ipsa, nimirùm carnalis amor, & impudica affectio consummat.* Et inferiùs paulò, religiosam animam immodico erga quempiam amore flagrantem, prorsùs infidelitatis, & adulterij ream pronũtiat, in hæc verba : *Sicut Sponsa infidelis est Sponso, & in adulterum sensum vadit, quæ oculos in alium inijcit, & ei in corde suo locum tribuit, & simul cum sponso in consortium amoris admittit; ità anima sponsa Christi, à quo per statum religiosum in castissimum est connubium admissa, dum alio, quàm Christo, immoderatè afficitur, & in amico amorem suum collocat, ab infidelitatis nota, & ab adulterij periculo liberari non potest.* Hactenus ille; & dicit verissimũ. Nam ibi Christo Domino locus, honor, & amor adimitur; ubi se anima in rei creatæ consortium, & dilectionẽ immoderatiùs effundit, sponso suo Cœlesti perfida, & prorsùs adultera. Atque indè sequi necessè est, quod familiares isti suis in consortijs studiosissimè sectantur, profectò finem alium propositum ipsis non esse, quàm illum, quem eorum ostendunt opera: carnem videlicet, cujus opera manifesta S. Paulus graphicè describens enumerat in epistolæ suæ capite quinto ad Galatas. Vbi satis erat Apostolo conclusisse: b *Quæ prædico vobis, & prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

a Iac. Alvar. to. 1. lib. 5. p. 2. ca. 26.

b Gal. 5. 19. & 21.

§ III.

Nimia familiaritas æquè religiosis ipsismet, eorumque domibus est perniciosa, atq; ma-

nifestæ

nifestæ inimicitiæ, & dissidia.

1. Etsi familiaritas, & immoderata cum certis, vel cum uno solùm, amicitia videatur aliquod adferre domui religiosæ commodum, præsertim quia institutorum religiosorum in eo consistit plurimùm ratio, ut se mutuò diligant, & vinculo charitatis quàm arctissimè complectantur. Ex hoc enim verè cognoscuntur esse discipuli Christi, verique sectatores vestigiorũ illius, qui totam Christianæ disciplinæ vim, & energiam in eo constituit, ut mutuam inter se colerent charitatem: *In hoc cognoscent omnes* (ait Christus ad discipulos suos in ultima cæna [a]) *In hoc*, inquàm, *cognoscent omnes, quia, discipuli mei estis; si dilectionẽ habueritis ad invicem.* Nimirùm quòd Religiosi verè sub magisterio, disciplinaque sint Christi Domini, & ipsum imitentur in veritate, symbolum, & evidentissima tessera est amor, & dilectio mutua; nec aliud domum aliquam religiosam, & ordinem sub Christi disciplina seriò profitentẽ commendare debeat, vel possit magis, quàm hæc charitas, & mutua dilectio. Attamen fallitur, & errat toto Cœlo; quisquis ab immodica propensione, amicitia, & familiaritate, commodum aliquod in religiosum ordinẽ, aut domum existimat derivari. Et illa Christi Domini verba non possunt, nec debent, ad hanc, de qua hîc agitur, privatam, frivolam, & profanam dilectionem trahi: cùm ea solam charitatem mutuam commendent illam, quæ secundùm Deum est, & ordinatur ad Deum; eò quòd ità diligendo proximum, fratres, idemque profite tes institutum, non sit aliud, quàm ipsum Deum diligere; & vicissim ità diligere Deum, est amare & proximum, ut rectè S. Augustinus: [a] *Non est*, inquit, *prætermissum illud magnũ mandatum de diligendo Deum. Qui enim spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? sic & qui Deum diligit non potest contemnere præcipientem, ut diligat proximum. Be-*

a Ioan. 13. 35.

a S. Aug.

nè itaq; intelligentibus, utrumque mandatum invenitur in singulis. Itaque S. Augustinus. Ex cujus sententia satis intelligitur, de quanam dilectione dominus in ultima cæna sit locutus. De illa videlicet, quæ inter Deum, & proximum, qui propter Deum diligitur, efficit unum; id quod Incarnata Dei Sapientia in sua ad Patrẽ oratione meliùs illustravit cum dixit a :*Non pro eis autẽ rogo tantùm; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: & omnes unum sint, sicut tu. Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unũ sint.*

2. At verò dilectio singularis, familiaritas, & nimia erga unum tantùm, & alterum amicitia, cùm non sit secundùm Deum, nec in Deo nec propter Deum, nihil habet cum vera mutua dilectione participij, propterea, quòd non intendat Deum, nec delectetur dulcedine Dei, qui solus est animæ vera possessio, nec hujusmodi luridæ familiaritati competit nomen amoris, nisi per abusum, & impropriè; ut benè

a Ioan. 17. 20.

S. Bernardus ad Deum loquitur, a *amoris*, inquiens *vel nomen, vel affectus, nulli competit, vel debetur, nisi tibi soli, ô verè amor amande, Domine.* Nec potest dici vinculum, sicut vera dilectio, animorum, ut unum sint; sed potiùs corruptela, pernicies, & pestis religiosarum mentium, ordinum, ac domorum, quidquid in contrarium isti clandestini, seu etiam palàm, familiarissimi dicunt amatores. Familiaritatem verò nimiam, esse religiosarum mentium, & communitatum pestem, ac perniciem indè liquet. Quia præterquàm, quòd religiosus à Deo summo bono per inordinatum erga personam unam, & alteram amorem, alienet, ac separet, etiam inter ipsos domesticos suspicionum, odiorum, & inimicitiarum certum est seminarium (uti mox dicetur) & schisma, dissensiones, ac dissidia, magis excitat, quàm vel apertæ simultates vix possent efficere. Nam manifestis inimicitijs, quia palàm sæviunt, saltem remedium a-

a S. Bern. tract. de amore Divino c. 4.

 liquod

liquod dari potest, nec tàm facilè religiosam concutiunt communitatem. Quia fieri non potest, ut paucis dissidētibus, inter plures nihilominùs benè ordinata charitas in vinculo pacis huic non obsistat malo, sed inordinatus amor, & immoderatus affectus, inter duos, aut tres, occultus quidam veræ charitatis, ac boni communis hostis, & subversor est; eò quòd justitiam violet; dilectionē veram, ac spiritualem proscribat; communitatem communi bono defraudet.

3. Enim verò justitiā quod attinet; violatur hæc *inprimis* in eo; quia non tribuitur unicuique, quod suum est. Cùm enim ex jure divino dilectio debeatur primùm Deo tanquam Creatori, Patri, bonorum omnium datori, ac Fonti; deindè unicuique eorum, cum quibus est unius instituti professio, æqualis amor; ipse privatus amans, ac familiaris, & Domino Deo quem diligere super omnia debet, & alijs in Christo fratribus eam dilectionem subtrahit, & tantùm uni, vel ad summum duabus, totam tribuit personis, & quidem evanidis, mortalibus, perituris. *Deindè* non dat locum veræ dilectioni mutuæ. Quia dū immodicè diligit unum, aut duos tantùm, quidquid ex vera charitate competit unicuique; totum hoc in se tantùm, & in amatum suum derivat, & convertit. Quod nō indiget probatione: siquidem rem istam explanat experientia. *Postremò*; communi bono Religiosos, cum quibus vivit, & domum, in qua manet, quòd egregiè defraudet, planum pariter est. Quia quidquid acquirere potest in communem omnium usum dirigendum, hoc iste in suæ, amatique sui, cuticulæ pariter derivat curam per furta, peculatum, & mille fraudes.

4. Totam hanc materiam S. Basilius non tam ad exaggerationem, quàm ad puram veritatem hac præclarâ complectitur sententiâ, cùm ait: [a] *Quoniam æquali prorsùs inter se vicissim charitate complecti omnes debent, justitia violatur, quoties-*

[a] S. Basil. serm. de Instit. Mon.

cunque

cunque in communi conventu privatæ aliquæ coitiones reperiuntur aut sodalitates. Qui enim unū aliquem magis, quàm cæteros diligit, is, quòd non perfectè cæteros diligat, de seipso indicio est. Quocirca similiter ex conventu reijcienda sunt & turpis, & indecora contentio, atq; amor iste singularis, Siquidem ex contentione, inimicitiæ; ex amore autem singulari, sodalitateq; suspiciones, invidiæq; oriuntur. Vbiq; enim æqualitatis defraudatio, invidia, odijq; materia, ac seminarium existit ijs, qui eâ defraudantur. Quare factum est, ut præceptum etiam à Domino nobis sit, ut bonitatem illius, qui solem suum oriri facit super injustos nihilominùs, atque super justos. Hucusque S. Basilius. Cujus verba singula licèt pōdus suum habeant singulare, tria tamen præcipuè veniunt in ijs ad immoderatæ familiaritatis, & amoris detestationem observanda. *Primum*, quòd studium illud vehemens in ambiendo gratiam, & amorem alicujus, appellet turpem, & indecoram contentionem. Est enim re verâ turpis, indecora, & fæda contentio talis, ac studium; eò quòd honestatis aut exiguam, aut nullam, habeat rationem, & cujus causâ tandē aliquando contingit erubescere. Aut in alio sensu si accipiatur contentio turpis, & indecora; saltem hanc S. Doctor non separat ab amore privato, & singulari non minùs ex communitatibus eliminando, quàm contentiones, inimicitias, & rixas. *Alterum*; quòd odij, invidiæ, rixarum, & inimicitiarum sit ea turpis contentio seminarium. *Tertium*; ex amicitia nimia defraudari communitatis æqualitatem.

5. Primum quod attinet; jam patet esse verum extra omnem controversiam si enim aliquid honesti, si commodi, si justi, pro domûs utilitate, pro instituti decore secum agitant; cur id superiori potiùs, quàm alij, vel alijs, ad quos minimè pertinet, non manifestant? si fratres in Christo diligunt omnes æqualiter, cur omnibus æqualiter præsentiam suam tunc præcipuè,

cipuè, cùm omnes unà considunt, vel quoquomodo versantur, non communicant? si justa, si decentia, si honesta loquuntur, cur non palã ad cæterorum etiam ædificationem, & consolationem audiri volunt? sed quia duo conveniunt, indole sibi similes, in idem vitium propensione æquales, ingenio ad machinationem aliquam prompti; propterea cæterorum fugiunt communitatem; audiri timent; videri nolunt, ut loquantur, & patrare possint securiùs, quod animo conceperunt. Certum est autem in ejusmodi privatis conventiculis, & colloquijs, nec dici, nec agi, nisi otiosa; quæ demùm nec commodum adferunt, nec utilitatem, nec honestatem; uti rectè explicat Hugo Victorinus ad intelligentiam; quid sit agere, vel dicere otiosa, cùm dicit: *Otiosa sunt omnia, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia sunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ vel illius, qui loquitur, vel illius, cui loquitur, vel illius, de quo loquitur, dignitati non conveniunt. Nociva sunt, quæ suis suasionibus animas auditorum sivè ad errorem, sivè ad pravitatem inducunt.* Et hæc omnia suspicioni minimè temerariæ nimia subijcit amicitia.

6. Quod attinet alteram ex eadem S. Basilij sententia cõsiderationem: videlicet, ex occasione immodicæ familiaritatis oriri invidiæ, odij, rixarum, & inimicitiarum seminarium; hoc æquè meridianâ luce patet clariùs, & experientiâ docuit, imò & docet. Aut enim superior, vel pater spiritualis, pro officio, & conscientia monebit alterutrum, sed præcipuè provectiorem ætate, professione antiquiorem, fortassis etiam auctoritate aliquâ valentem: de his enim hic præcipuè sermo est. Nam de novitijs, aut etiam de juvene professo, minor est difficultas, hìc enim disciplinâ coërceri potest; illi, si non proficit castigatio, dimissione plecti. Aut inquàm, monebit superior, ætate professionequè provecti-

Hugo Vict. in institut. Novit. c. 14.

orem;

orem; cùm ecce in tantam exardeſcet bilem admonitus, ut advertens vitium ſuum tangi, non ſolùm contumelias, diras (uti contigiſſe, certò ſcio) & execrationes inferat monitori; ſed etiam pugnos intentabit, & verbera, pugnax miles, in rabiem verſus, non ampliùs Religioſus, aut amatum illum juvenem ſivè novitium, ſivè profeſſum idem ſuperior pro quopiam imperfecto corripiet, vel etiam modicâ in ipſum caſtigatione animadvertet: tunc verò quidquid huic ad ejus emendationem vel dicitur, vel ad expiandum religioſâ diſciplinâ imponitur, alter ille præ amoris vehemẽtia, præterquàm quòd in malam partem accipiet omnia, etiam latrat ventriculus, inediam hanc ſuam eſſe interpretatus, aut portionem ſuam clanculùm miniſtrabit amato, jam in ſuummet geniũ fraudulentus. Dorſum in refectorio publicè flagris examinat? ſuum arari tergum hic amans ſentit; & quidquid demùm exercitationis ad diſciplinam adhibetur dilecto, vexationem ſuam accipit amãs veteranus. Aut denique ſuperior conſulturus tàm honori, quàm animæ utriusque, dextrè tentabit alterutrius in domum aliam, præſertim ubi jam profeſſus ſit juvenis amãdationem, Quid ſit? Adeò contumax amantis erga alterum erit deſiderium; ut, ſi diſcipulus ejus ſit, propter unum hunc amandandũ Magiſter (ſed verè malus) cùm reliquis omnibus ſtudiũ proſequi nequaquam velit; adeò præ quadam amoris phreneſi cæcus, ut non pervideat, hoc ipſo notari vitioſum amorem ſuum; adeò inſaniens ut etiam inſtitutum, quod profitetur, execrari non erubeſcat; in votum obedientiæ tàm injurioſus, & ſacrilegus, ut ejus excutere jugum non ducat ſibi religioni; in ſuperiorem maledicta jacere, detonare calumnijs, omnia confundere, nihil non machinari, tantùm non & ipſum inſtitutum deſerere, niſi propoſitum ſuperioris evertat, & deſiderati præſentiâ mini-

mè destituatur. Hic est fructus peculiaris amicitiæ, nimiæ familiaritatis, & dilectionis.

7. Tertium denique considerandum ex eadem sententiâ punctum, est communitatis defraudatio: quæ luculenter patet ex dictis hîc superiùs numero 3. ad finem. Quæ demùm omnia non sunt ex theorica collecta consideratione, sed ex ipsa diuturna praxi; quæ superiores subindè cogit ingemiscere, alios causam ignorantes admirari; domos haud modica subire dispendia. Non ergò mirum est; quod Sancti Patres, & Magistri spirituales ubique persequantur invectionibus, ac detestētur, peculiares istas, ac nimias amicitias. Sunt enī hæ pestes occultæ, quæ sanctam extinguunt observantiam; sunt tyranni occulti, qui regularem subvertunt, & opprimunt disciplinam; sunt expediti latrones, qui spiritu, & vocatione despoliant Religiosum; sunt charitatis exitiosa tinea; sunt domesticæ pacis, & tranquillitatis exitium. Cæterùm totius hujus energiam paragraphi nervosiùs exprimat nobis, & totam ratiocinationem claudat S. Laurentius Iustinianus his verbis: *O quot sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! ô quanti simulatâ pereunt dilectione! heu quàm multi in principio purè, & sinè deceptione conversantes ex nimia familiaritate paulatim infecti, in immane præcipitium dilapsi sunt, eò miserabiliùs, quò fædiùs! sub veræ namque charitatis prætextu in tales subintrat amor sensualitatis. Aliter enim nequaquam decipi possent. Hic amor cum in corde imprudentis exortus radices mittere, ac pullulare cœperit, corporalem, quærit dilècti præsentiam; cum eodem cohabitare, cum eodem loqui desiderat, sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ità absentiâ contristatur. Solus vult cùm eo, quem sensualiter diligit, loqui; solus cùm eo conversari. Quia in illius mente habitare jam cœpit. Livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conversari perspexerit. Absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis jacturam*

S. Lau. Iust. l. de disc. & prof. mo. c. 22.

existimat. Sicut enim singulariter, ità & amari vult, atque cæco seductus errore ignorat, se vesano amore percussum. Passione namque victus, ducitur invitus, & à tyranno superatus ad opera carnis quâdam, ut sic dicam, necessitate abstractus, & illectus, ac intentione quâdam latenter palliatâ, & politâ seductus, ut suum valeat assequi appetitum, patrum ordinationes frangit, monasterij institutiones non observat, silentia parvi pendit, orationem postponit, cellulæ secretam quietem negligit, & intùs nihilominùs stimulante, & urente conscientiâ velut amens post suam totus trahitur concupiscentiam. De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obscænis, tacendum est; quæ colore charitatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus: Videte, nè, cùm spiritu cœperitis, carne consummemini. Hæc Sanctus ille vir graphicè peroravit adversùs immodicam dilectionem, & amicitiam singularem; peccator ego, quid addam, nescio.

CAPVT VIII.

§ I.

Scopulus, ad quem allisa vocationis religiosæ navis confringitur, certissimus est, fieri mulieribus familiarem.

1. Noxia quidem est immoderata familiaritas, & amicitia singularis etiam cum aliquo domesticorum; sed ea longè perniciosior est, & religiosus certissimæ ruinæ spiritum, & vocationem suam objicit periculo; si mulieribus incipiat esse familiaris, & earum, vel aspectui, vel colloquio, vel qualicunq; cum ijsdem consortio, conversationique præbeat se, non solùm extra necessitatem, sed etiam ubi necessitas, vel calamitas aliqua cogit, nimis affabilem, facilem, & socialem. Quod quidem dæmonium adeò vehemens, ac potens est ad animæ religiosæ subversionem; ut vix aliud reperire sit efficacius ad prosternendam etiam ipsam Religiosi cujuspiam sanctitatem

neque certius, ac violentius ad evertendum sanctitatis statum esse potest, quam facilis ad fæminas aditus, familiaritas cum ijsdem, & commercium, Religioso viro tantò periculosius, quantò is extra solam ex charitate necessitatem quæ spectet animas, earumque salutem, quin & in hac quàm circumspectissimus, & cautissimus sit oportet, facilior est ad cum ijsdem conversandum.

2. Non sinè causa spiritus sanctus innuit per Ecclesiasticum; quòd *vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes*. Quidquid autem sit de vino, in quo luxuriam esse dicit Apostolus, tamquàm certum sit incentivum ad lasciviam: indè S. Hieronymus in Epistola quâdam; *Lot, inquit, quem Sodoma non vicit, vina vicerunt*. Et divinus ille Plato de vino sancivit in hæc verba: *In civitate nec servus, nec serva unquam vinum gustet: nec ipsi quidem magistratus illo, quo magistratum gerunt, anno; neque gubernatores, neque judices, dum munus suum exercent, ullo modo vinum gustent.* Advertit enim vir sapientissimus in vino, quod tam servi, quàm servæ, magistratus, gubernatores, & judices, administrationem suam, & officium turpiter commaculare soleant abhausti vini abundantiâ. Quod ille, nè quid in officiorum administratione parùm decentiùs admitteretur, nè gustari quidem voluit: nec satis honestati prospectum iri judicavit; si vini prohiberet usum, nisi vel ipsā ejus etiam gustationem vetuisset ad bibendum quoq; largiùs facilè proritantem: arbitratus optimè, quàm damnosus, & in turpitudinis lapsum, qui dedeceat hominē, incentivus sit idem usus servis, & servabus, magistratui, gubernatoribus, & judicibus in sui muneris exercitio.

3. Iam quidquid sit (uti jam dixi) de vino; sicut modicum, & moderatum ejus usum nemo jure vituperet, ità nimius usus haud dubiè noxius est; & præter mentis ac sensuum confusionem, etiam ad lasciviam est paratum incen-

Eccl. 19. 2 Ephes. 5. 18.

S. Hier. ep. 83. ad Occa. Plat. l. 3. de le,

incendium. Vndè & Apoſtolus non ſimpliciter, nec omninò aſſeruit in vino eſſe luxuriam; ſed in ejus utendi nimietate. Antequam enim dixit, *in quo eſt luxuria*, ſapienter præmiſit: *Nolite inebriari vino.* Scilicet vinum ad nimium, & ad ebrietatem hauſtum luxuriam ſuſcitat, accendit & inflammat. Id quod S. Hieronymus affirmans ait: *Vinolentia ſcurrarum eſt, & comeſſatorum; venterq; mero æſtuans citò deſpumat in libidines.* At modicè ſumptum valetudinem juvat, ſanitatem conſervat, (teſte Sacrâ ſcripturâ lætificat cor hominis. Et hîc eſt, quod Apoſtolus Spirituali filio ſuo Timotheo non modò non vetuerit, ſed etiam præceperit, uti modico vino: *Noli*, inquit. *adhuc aquã bibere; ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* At verò mulierum familiaritas omni vino violentior eſt, ità, ut non ſit opus ad exaggerandam inflammationem laſciviæ, de nimia mulierum familiaritate multùm rationibus certare: cùm vel modica cum ijs converſatio ſit pernicioſiſſima; quinimò vel ipſa ſola inflammet, noceatq; plurimùm de ipſis importunè ſuggeſta cogitatio; in Religioso ſpiritum impediat, & extingvat; vocationem in manifeſtum diſcrimen conijciat. Et propter hoc Eccleſiaſticus inter apoſtatandi cauſas, & ſi vinum non præterierit, tamẽ vel cautelam hanc principalem, ſinè quâ vinum vix efficeret aliquid, adjecit *mulieres*; vel ad declarandum; hæc quidem duo ſingulatim ſumpta, ſeu vinum, ſeu mulieres eſſe plerumque cauſam à virtute, & à Deo per peccatũ aliquod grave deſciſcendi; ſed ſimul ſumpta, & juncta, prævaricationis illecebras eſſe inſuperabiles, ſicut S. Ambroſius idipſum luculenter advertit, cùm dicit: *Si vinum, & mulieres à Deo diſcedere faciunt; quòd vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ ſint. Si ſingula, & ſeparata hæc faciunt, quid facient unita?*

4. Sit autem utcunque. Ad

S. Hier. ubi ſup. Pſal. 103. 15.

1. *Tim.* 5. 13.

S. Ambr. l. de Elia, & ieiu. poſt medinm.

eam

eam quod attinet impietatem, ad quam infascinat religiosā mentem conversatio mulierū, dicetur hac de re sequenti paragrapho disertiùs: nunc satis sit, hoc tantùm asseruisse: vocationi religiosæ vix aliundè majus, & certius imminere periculum, quàm non dico nimia, sed vel à modica cum mulieribus familiaritate, quin & ab aliqua de ijs cogitatione. Vt propterea S. Arsenius à matrona quadam nobili Romana, trajecto mari in Ægyptum usquè conventus, rogatusque memoriā sui vellet in orationibus habere, seriò, severèqne responderit: *Oro Deum meum, ut deleat tuam è corde meo memoriā.* Benè quoque perspiciens hoc ipsum, quàm periculosa, perniciosaque sit fæminarum familiaritas, vel ab ipsa doctus experientia. S. Augustinus adeò fuit in hoc genere cautus, ut nec cognatam quidem suam in domum admittere voluerit unquam; certus à mulierum vel modica conversatione ruinam spirituali viro non mediocrem creari posse.

Pert. Ribad. in eius vita die 19. Iulii.

Quam Sanctissimi viri cautelam ità describit in ejus vita Possidonius: *Fæminarum intra domum ejus nulla penitùs unquàm conversatá est, nulla mansit, nec quidem germana soror. Quæ vidua Deo serviens multo tempore usque ad diem obitûs sui præposita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant, quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò; quòd & si de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen, quoniam illæ personæ sinè alijs necessarijs, secumq; manentibus esse non possunt, eò quòd ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de his posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci; & illos, qui cum Episcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fæminarū personis unà commorantibus, aut adventantibus, tentationibus humanis posse perire; aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob hoc ergò dicebat; nunquàm debere fæminas cum servis Dei etiam castissimis in una manere domo; nè, ut di-*

Possidon. in vita S. Augustini.

dictum est, aliquod scandalum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et, si fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sinè Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus. Hucusquè de S. Augustino Possidonius.

5. Iam verò non tàm exaggerandi causâ, quàm manifestissimi periculi, quod à fœminarũ familiari commercio timeri meritò debet, ostendendi, vix dici potuit plùs à S. Augustino, quàm cùm asseruit: *Illos, qui cum Episcopo, vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis unà commorantibus, aut adventantibus, tentationibus humanis posse perire*: satis dixisti; satis, divine Præsul: *illos* ex familiari cum fœminis occasione conversandi, *tentationibus humanis posse perire*. Est enim familiaritas, & commercium hoc certissimus quidam scopulus, ad quem sicut integerrimæ cujuscunq; sanctitatis, ità multò faciliùs religiosæ vocationis allisa cõfringitur navis. Ad quod propositum accedit illa, quã inducit Anastasius Nicenus, descriptio; quâ mulieris indolem, & quantum, quamquam exitiale discrimen ab ejus consortio timeri debeat, graphicè exprimit in hæc aurea verba: *Quid est mulier? in terra naufragium, fons sceleris, lethalis occursus, lapsus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, sceptrum inferorum, præceps desiderium, juvenum pernicies. Quid est mulier? Sanctorum calumnia, quies serpentis, diaboli solatium, ægritudo inconsolabilis, fornax accensa eorum, qui servantur, scandalum; vitium immedicabile, diurnæ nugæ, prodigiorum hospitium, officina dæmonum. Quid est mulier? Os effrænatum, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, magistra delictorum, vestita vipera, domûs tempestas, viri naufragium, immitis fera.*

6. Et hæc dicta licèt eò collineare videantur, ut omni viro discrimen exitiale timẽdum sit à muliere; tamẽ præcipuè Religioso, qui sanctitatis & professionem, & nomẽ quoddam obtinet, timendum simul

Anast. Nic. to. 6. bibliothe. SS. Patr. 4. 62. P. omnis qui aspexer,

simul & fugiendum summoperè fæminarum consortium, & familiaritas est, eò quòd hic Orator mulierem appellet *Sanctorum calumniam, quietem serpentis, diaboli solatium, fornacem accensam*, ità, ut non sit opus aliâ ad subvertendam Religiosi animam arte, quâ diabolus uti debeat; satis est, ut cum muliere familiariùs agat, quantùmvis Sanctus. Res, & consortiū hoc, seipso dæmonium sufficiens est ad tentandum, & machinandum periculum in ruinā. sed & S. Augustini sensus satis esse debet ad cautelam; cùm (uti dictum superiùs est) ait; *Nunquàm debere fæminam cum servis Dei etiam castissimis quocunq; modo conversari.* Non satis enim esse vir Sanctissimus existimavit profiteri castitatem, ex hoc voto professioni ejusdem obstringi nisi castissimus quisque, votique semel jàm nuncupati tenacissimus, omnem etiam vitet occasionem, quâ vel minimo periculo thesaurus adeò pretiosus, ut est castitas, objiciatur. Quia deniq; mulier est *fornax accensa*, devota sit, religiosa sit, castissima sit, etiam Sancta sit: Religiosus itidem, castus, & sanctus sit, hic nihilominùs est vir; illa mulier, & uterque concupiscentiæ, peccatique fomitem circumfert: ut propterea sapientissimè dixerit S. Cyprianus: *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare.* mulier enim & vir blandissimi sibi sunt invicem hostes. *Impossibilis liberatio est, flammis circūdari, nec ardere. Mulier* (iterùm dico) *fornax accensa est; diaboli solatium, serpentis quies.*

7. Huic igitur adeò teneræ, qualis est religiosæ castitatis custodia, disciplinæ, S. Leander Episcopus Hispalensis ut consuleret, ad Florentinam sororem, regulam, seu Institutionem Virginum præscribens ità quidem genuinis sensum suum expressit verbis ut ea quamdam exigant, & eliciant erubescentiam in referendo. Sed quia sanctus intentione sanctâ præscripsit, & puram veritatem scripsit;

S. Cypr. lib. de singularit. Clericorum.

nihil

nihil obest, quin ea huc inseram. Præcipit igitur & scribit sic: *Quisquis vir, si Sanctus est, nullam tecum quærat familiaritatem; nè videndi jugitate aut infametur utriusq; sanctitas, aut pereat. Decidet à charitate Dei; quæ perpetrandi mali operis occasionem præbuerit. Decidet à charitate proximi; quæ & si malè non egerit, opinione tamen pessimam famam nutrit. Dispar enim sexus in unum locatus eò titillatur inflictu, quo nascitur, & naturalis movetur flamma, si cōposita attigerit. Quis colligabit ignem in sinu suo, & non comburetur? Ignis, & stupa sibi utraque contraria in unum redacta flammas nutriunt. viri sexus, & feminæ diversus si conjungitur, quò lex naturæ provocat, commovetur.* Hactenus S. Leander. Quare benè concludit, & ad certissimum scopulum à nobis hocce paragrapho propositũ alludit Cornelius, cùm ait: *Hic est ergò scopulus latens, sed nocentissimus: ad quem incauti, aut sibi præfidentes allisi viri magni, & Sancti, castitatis naufragium fecerunt. ô qualia, & quanta videbimus in die judicij!* *Qui sapis, fuge blandas sirenes.* Fuge, inquam, fuge, jugem cum muliere familiaritatem. Quid dico, jugem familiaritatem? Etiam modicam, & raram fuge. Mulieris enim blanda verba, jacula sunt: aspectus acutissimæ sagittæ sũt: afflatus, & affatus pestes sunt.

8. Quæ cùm ità sint; quis non videt; familiaritatẽ cum mulieribus non solùm jugem, sed etiam omnem aliam quãtùmvis exiguam, esse religiosi Spiritûs, & vocationis certissimum scopulum? Et quidem tàm facilè naufragio, sicut castitatis, sic & vocationis, obnoxium, quàm neque cogitet aliquis, neque suspicetur. Sapienter idcirco Sanctus Hieronymus ad rusticũ in epistola quadam: *Fæminæ*, inquit; *nomen tuum noverint; vultum tuum nesciant.* Et ad Nepotianum: *Nec sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas.* Non confidas, non. Nihil enim refert, quòd religiosus ex voto castitatis emineat disciplinâ: nihil, quòd diuturnitate temporis in stadio continen-

S. Leonander Instit. Virg. c. 2.

Corn. à Lap. Com. in 1. Tim. c. 3. S. Hie.

tinentiæ multum decurrerit; nihil, quòd in rigida professionis suæ palæstra plurimũ decertaverit, vicerit, triumphârit. Fortem, ac strenuũ militem unus ex inopinato prosternit ictus: ubi minimè timuit, ubi fiduciâ virtutis in familiaritatis arenam temerarius descendit. Hinc aptissimè S. Cyprianus: [a] *Ex improviso*, inquit, *vel transeunter ad horam, fœmineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis jactat*. Simile quid eleganter pronuntiat Nilus Abbas, ubi dicit: [b] *Mulierum aspectus, sagitta veneno illita; quæ ferit animam, & venenum immittit: & quò diutiùs manet, eò magis vulnus computrescit*. Et inferiùs. *Ad ignem potiùs*, inquit, *ardentem, quàm ad mulierem juvenẽ juvenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilies, at si fœminæ verbis incensus fueris, haud itá facilè recedes. Florent olera propè aquam sata, & libidinis semina mulierum familiaritate excitantur*. Deniq; nec quærat, nec cogitet, nec suspicetur periculum aliquis, & tamen aspectu subito tamquã allisus scopulo naufragium facit. Audi S. Ambrosium, [c] *Alius non cogitavit quidem, sed subitò aspexit; & captus est: & vidit, & concupivit; & ideò captus est*. Vis ergò, Religiose vir, non cogitare, non aspicere, non concupiscere? noli videre. Vis non labi? Noli familiaris esse. Nam *vidit, & concupivit; & ideò captus est*; ideò & lapsus est.

§ II.

Non tantùm religiosâ vocatione, sed etiam religione, seu fide, facilè religiosus excidit, familiaritati mulierum assvetus.

1. Quanti sit periculi cum muliere, vel cum mulieribus, religioso viro commercium, argumento sit illa discipulorum admiratio, quando Cœlestem suum magistrum Christum Dominum repererunt ad puteum cum Samaritana muliere colloquentem: [d] *Et mirabantur; quia cum muliere loqueba-*

a S. Cyp. de singularit. Clericorum.
b Nilus Abb. orat. 2. adversus vicis.
c S. Ambr. serm. 8. in Psal. 11.
d Ioan. 4. 27.

loquebatur, ſacer hiſtoriæ Scriptor ait. Non mirabantur, nec mirati fuiſſent; ſi quempiam alium inveniſſent ſtatûs, & conditionis aliûs: puta, virum, aut juvenem aliquem Urbicum, publicis, politicisq; negotiis, & adminiſtrationi deditũ; imò quemcumqve privatum, etiam è villa, vel oppido quopiam peregrinum hominem alium mundanum. Quia quidnam inter perſonas, licèt utriusq; ſexûs ſæculares interveniat negotii, nemo quærere ſolet. Sed quia Chriſtum Dominum, quem DEI Filium in carne humana jam minimè dubitabant, nihil commune cum mundo habentem, Sacerdotem ſecundùm Ordinem Melchiſedech, Nazaræum, totum Deo conſecratum, ſacris, ac verbi divini prædicationi deditum, nunquam antehac familiariter cum aliqua muliere, ſolum cum ſola, converſari ſolitum, & tamen nunc occaſione abſentiæ tamquam ex propoſito captatâ mulieri loquendi ſecum copiam feciſſe; idcircò meritò *Mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Cur autem ad Magiſtri ſui ſanctiſſimi locutionem iſtam attoniti mirabantur? Reſpondent multi; quos inter Origenes, Sancti Cyrillus, Joannes Chryſoſtomus, & Theophylactus, aliiqve, Diſcipulos admiratos fuiſſe Chriſti humilitatem, quòd cum muliere alienigena, & quidem paupere, loqueretur.

2. Sed S. Cyprianus, & alii dicunt, admirationis cauſam fuiſſe, quòd Dominus præter conſvetudinem ſuam id feciſſet, nunquam ſolitus aliàs ſeorſim loqui cum muliere. Undè & Cajetanus ait: (a) *Nulla alia redditur ratio hujus admirationis, niſi locutio cum muliere.* Jam ulteriùs inquiro: Cur locutio cum muliere tantam in diſcipulis admirationem movit? *Et mirabantur.* Alii reſpondeant, & explicent difficultatem, ſicut uniuscujusq; fert ingenium, vel judicium: Ego cauſam hanc puto: Familiaris illa cum muliere ſola, nec tamen periculi alicujus aut rationẽ, aut metum habuiſſe, locutio diſcipulis erat tàm prodigioſa, quàm

(a) *Caiet. hic.*

sa, quàm siccis pedibus illa maris inter contrariorum ventorum procellas tumultuantis inambulatio, & posteaquam (a) *Ascendit ad illos in navim*, repentina maris ejusdem tranquillitas: *Et* indè *plus magis intra se stupebant*. Stupebant, inquam, quòd tumultuantes undas sicco pedum vestigio citra mergendi periculum calcaret: magis autem stupebant, quòd ad ejus in naviculam ascensum, cessantibus subitò ventis, successisset malacia. Quæ certè nonnisi res erat divini prodigii. sic & cum muliere locutum fuisse Dominum, solum cum sola, familiariter, seq; propterea manifesto discrimini, quod adferre solet familiaris cum muliere conversatio, objecisse, æquè prodigium apud discipulos erat nonnisi divinæ virtuti tribuendum, atq; liquidi, sed & tumultuantis elementi ceu solidum marmorei pavimenti planum calcasse; nihil timuisse; quin potiùs, insolentem undarum sævitiam composuisse.

3. Hæc eò dicta sunto; quòd agere familiariter cum muliere, nec tamen vel timere periculum, vel immunem, securamqve periculi manere sanctitatem Religiosi, prodigium sit omninò. Nam in cæteris rebus, puta in prosperis, (si tamen Religiosus aliquam in hac mortali vita prosperitatem reputat) in prosperis, inquam, ipsum esse constantem, nec aliquâ vanæ gloriæ, si præsertim ingenio, doctrinâ, eloquentiâ, opinione, gratiâ apud homines, & æstimatione magnâ cæteris præstet, tentatione pulsatum, efferri: in tolerandis adversis, injuriis, & calumniis fortem, constantemqve persistere; in dubiis consilio tàm sibi, quàm aliis consulere scientem: in angustis, & anxiis rebus imperterritum esse; in desperatis fiduciâ præstantem, vix aliquis admiratur. Hæc enim, & his similia gratiam, & amicitiam Dei adeò non tollunt, ut etiam Deo semper constituant propinquiorem: & quò magis in his exercetur religiosa virtus, eò certiora cœlestis hæreditatis olim adipi-

(a) Marc. 6. 51.

ſcendæ accipit argumenta. Sunt enim hæc omnia divini cujusdam animi in imbecillo corpore manifeſta indicia; ſunt hominis in Dei ſimilitudinem per virtutum in omni fortuna exercitationem transfigurati ſigna, hominem à terrenarum rerum uſu, à voluptatibus abſtractum, & ad cœleſtium contemplationem erectum, alterum quemdam in terra deum terreſtrem exhibentia: & ideò cum Deo, cum Angelis, cum beatis mentibus jam in Cœlum receptis aſſiduè converſantem, atqve cum Apoſtolo proteſtantem: (a) *Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt*; ibi videlicet ſpiritum, & animam ſuam docet habitantem, ubi amat, non ubi animat. Ideoq; S. Gregorius, (b) *Sicut domus*, inquit, *exterioris converſationis eſt ædificium, quod inhabitat corpus; ita domus noſtræ cogitationis eſt res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Vndè Paulus, qui in ſupernis cor fixerat, in terra quidem poſitus, ſed tamen à terra extraneus, dicebat: Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt.* Sic Religioſus omnis, quæcunqve tandem ipſum in hoc exerceat mundo, proſpera, adverſa, anxia, dura, blanda, conditio, ſi fortis, conſtans, & immotus adhæret Deo, ſemper homo quidam cœleſtis, & divinus eſt; & ut talis habetur. Sed qui cum mulieribus frequens, nimiùm familiaris, & earum commercio ſocialis eſt, præterquam quòd apud homines opinione ſanctitatis excidat, etiam amore ſæculari carnis ſeſe magis ſemper, ac magis ingurgitans, ſenſuum omnium volubilitati, ſimul & voluptati immerſus, virtutem, charitatem, religionem, fidem, tandem & ipſum Deum probatur deſeruiſſe, vel certò deſerturus.

4. Et quidem quantùm ad opinionem etiam apud homines, quòd eâ laboret malâ, obſervetur, & habeatur magis contemptui Religioſus ejusmodi, quàm alii, quos vel iracundia, vel ſuperbia, vel laudis appetentia, vel habendi cupiditas, vel honoris, & dignitatis ambitio, vel quodcumq; vitium aliud, quod ta-

(a) *Philip.* 3. 20. (b) *S. Greg. l.* 8. *Moral. c.* 3.

men à mulierositate sit alienum, imperfectis reddit obnoxios, non aliam existimo causam esse, quàm quòd irasci, magnifieri velle, honore, dignitate, gloriâ certare, & id genus alia, non probent aliud in Religioso; quàm ipsum esse quidem naturâ hominem, non tamen ea quærere, nec iis inquinari, quæ nimis humana sunt, & naturam humanam dedecorant. Nam iram, magnificentiam, laudem, honorem, gloriam, etiam divinitati Sacri Codices adscribunt. Et jure. Solus enim Deus magnificus, atqve laudabilis, & gloriosus verè est. Et dum irasci, furere, vel odisse scribitur; non ideò dicuntur hæc, tamquam in Deo sint iræ, furoris, aut odii passiones; sed asseruntur tantùm metaphoricè propter similitudinem effectus, (ut Angelicus (a) ait Doctor) eò quòd proprium irati sit, punire. Intereà nihil per hæc derogatur divinitati. Ira, odium, punitio, severitas, & alia, quæ humanæ conditioni ob naturam corruptam propria sunt, per metaphoram subsistunt in Deo cum aliis attributis, & perfectionibus divinis. Undè benè sequitur, etiam Religioso nihil derogari, quantùm ad aliarum virtutum habitum, & exercitium; etiamsi convincatur irasci, odisse, vindicare, persequi, contendere. Nam ista ratione aliquâ subsistunt, & se (sic ut dicam) compatiuntur mutuò cum virtutibus aliis, ejusmodi vitia.

5. Sed mulieribus esse familiarem, iis assvetum, & propterea vitio carnis obnoxium fieri, contaminariqve, cum virtute, cum divinitate, cum Cœlestium rerum consortio quia nihil pen tùs habet participii; probatqve, nimis hominem ratione, quæ cæteroqui sola (sicut Scholæ definiunt) est hominis constitutiva, destitutum, ac bestialem; ideò necesse est, Religiosum cum fœminis familiariter agentem, & consequenter vitio carnis ab assidua consvetudine laborantem, opinione bonâ excidere, tùm quia mulierum ille frequens aspectus ad aliud non ordinatur, quàm

(a) S. Tho. 1. q. 3. a. 2. ad 2.

ad

ad concupiſcendum id, quod neq; per legem ullam, neqve per ſtatum, & per vota religioſa licitum eſt; tùm quia inordinatus amor, voluptas, & oblectatio carnis, in quam diffluunt ſenſus omnes, intellectum, rationem, & voluntatem tàm vehementer obſcurant, obcæcant, & abſorbent; ut mens omninò confuſa, Creatoris ſui oblita, non poſſit, imò præ delectatione ſenſuum, nolit, ad Deum accedere, ſuumqve deteſtari malum ſub ratione boni delectabilis, ſed vaniſſimi, apprehenſum; illud potiùs ſic apprehendens; ut per aliquem, ſi non explicitum, ſaltem implicitum Dei ſummè boni contemptum malit eâ turpitudine delectari, eiq; per amorem tàm amicitiæ, quàm concupiſcentiæ, adhærere.

6. Et indè jam patet, eſſe verum, quòd *Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Cujus ſententiæ verbum hoc, *Apoſtatare*, Hugo Cardinalis explicans ait, idem eſſe, quod *Iugum Domini excutere*, (a) id eſt; à Deo, & ſancto ejus obſequio per omnia recedere; converti autem ad creaturam, ad carnem, & in hujus ſenſibus, ac voluptatibus quamdam quaſi beatitudinem ſibi conſtituere; nihil de æternitate, de beata vita, de cœleſti gloria cogitare. Et quamvis interdum urgente conſcientiâ (quod Dei moventis, excitantis, & monentis eſt) vel lectione ſpirituali, vel auditâ cujuſpiam Eccleſiaſtæ ſervidi concione, vel exemplo quopiam horrendo, compungatur; non tamen voluntas ejus, aut cor, ita flecti poteſt efficaciter, ut ab aſſvetis, quibus cum delectatione cordis, & cum voluptate cæcæ mentis adhæret, avellatur. Sed obortâ minimâ tentatione, ſtatim in conſenſum abripitur dura mens, inſtar illius Evangelicæ petræ, ſupra quam cadens bonum ſemen, aptum eſt quidem naſci, ſed natum ſubitò exareſcit. Quia (ſicut cœleſtis ait Magiſter) homines ejuſmodi tamquam duræ petræ bonorum ſeminum (b) *Radices non habent; ad tempus credunt, & in tempore tentationis* rece-

(a) *Hugo Card.*

(b) *Luc.* 8. 13.

recedunt. In quæ Christi Domini verba, videlicet, *Hi radices non habent*, Glossa ordinaria sic (& quidem optimè) commentatur: (a) *Vbi species concupiscibiles eorum obtutibus præsentantur, mox recedit ab eis, quidquid rectè cogitaverunt.*

7. Nimirùm concupiscentia carnis, & oculorum, & concupiscibiles objectæ species aspectui, validissimæ sunt ad avertendam ab omni recto, quin & ab ipso Deo, & ab ejus amore, mentem, ita, ut oblita beneficiorum, gratiarum, & præcipuè dulcedinis ex Dei contemplatione, rerumq; Cœlestium considerratione, nullum præmium, si pro certamine, victoriaqve contra sensuum appetentiam; nullum supplicium, si pro admittendo, vel admisso flagitio, consideranda sibi proponantur, habeat pensi; modò, quod concupiscit, eo potiatur, & ardentissimè desiderato fruatur objecto. Ad hujus assertionis comprobationem, novi Religiosum quemdam, fuisse, propter vitium, de quo nunc agitur, ex una provincia in aliam Ordinis sui provinciam profugum. qui Superiori, ad cujus Conventum, & ad quem confugerat, ingenuè fassus est; se adeò, quotiescunqve vel minima se obtulisset occasio cum fœmina securiùs agendi, & conversandi, vehementer in concupiscentiam ejus accendi solitum fuisse, ut, etiamsi vel ipsas hiante terrâ flammas inferorum, & tormenta eorum spectâsset, impetrari tamen à se non potuisset, quin concupiscentiam expleret suam. Et licèt ex uno particulari non sequatur universalis conclusio; verissimum tamen est, assvetum familiaritati mulierum simul etiam carnis inescari visco tàm tenaciter, ut nonnisi ad extraordinariam Dei gratiam, & quodammodò per miraculum, possit ab eo liberari.

8. Sed non hìc adhuc sistit prava cum mulieribus per assiduam familiaritatem versandi consvetudo. Præterquam enim, quòd illecebrosis objectis obcæcata mens in profundum ruat vitiorum, etiam di-

(a) *Gloss. ord.*

vinæ legis, religiosæ vocationis, habitûs, & professionis, ac votorum, quibus in DEI obsequium, imò & in holocaustum, obstricta, se totam, corpusq; suum obtulerat, penitùs immemor, omne Domini jugum (uti jam dictum) excutit. Nihil apud ejusmodi Religiosum divina lex, nihil regula, nihil vota sunt religiosa, verè per omnem modum apostata, nomine quidem, & habitu, quamdiu non illum abjicit, Religiosus, corpore quoq; inter Religiosos, antequam Ordinem deserit; sed mente tàm à religione, quàm ab omni honesto, tùm à fide, & ab ipso Deo totus alienus. Quotquot enim vidimus, & videmus, ex Ordine quocunqve Religioso, abjecto habitu profugisse, & profugere, eos ferè omnes, ob explendam carnis concupiscentiam, ad hæreticos confugisse: ibi ductis uxoribus, contra fidem Catholicam, contra statum Pontificium, contra Religiosos Ordines, & contra Religiosorum vota, pro concionibus ad populum ore sacrilego detonare. Dico plus: ita quidem eos cum Martino Luthero, cum Calvino, Zwinglio, aliisq; hæresiarchis ad populum verborum tenus sentire, propter sui protectionem: sed re verâ in mente semper fovere atheismum. Quod ego ex duorum quorumdam scripturis, qui se continenter in castitate vivere nequaquam posse palàm dictitabant, & postmodùm desertores facti, ad hæreticos, atq; ad horum Principes, ob protectionem confugerant, assecutus sum, luculenterq; legi; quòd nec Deum crederent, nec æternam vitam; Cœlum, & infernum risu exploderent. Hunc ergò mulierum familiaritas adfert fructum; quòd in fœdam effusi libidinem, & luxuriam, prævaricatores impii, apostatæ, athei fiant. Undè verissimum est, quod S. Ambrosius in quadam Epistola scribens, ait: (a) *Vbi cœperit* (homo, Religiosus) *luxuriari, incipiet deviare à fide verâ: ita duo committit crimina maxima; opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Qui se ingurgitaverit, atq;*

(a) *S. Ambr. lib. 4. Ep. 3.*

immer-

immerserit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit.

9. Sapientissimum Salomonem, illum Sancti Davidis Regis filium, divinis oraculis honoratum, principio regni sui religiosissimum, divino cultui devotissimum, illud sapientiæ, mundiqve miraculum, quid deinceps in tantam impietatem egit præcipitem, ut idolis thus adoleret, factus idololatra; ut admonitus, non ab aliquo Prophetarum, sed ab ipso Deo per somnium, semel, & iterum apparente, minimè resipisceret? In promptu causam sacra profert historia: quòd videlicet mulieribus, & quidem alienigenis (a) *Copulatus est Salomon ardentissimo amore. Et averterunt* (à Deo) *mulieres cor ejus. Cùmq; jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Ecce quanta per mulieres est secuta cordis depravatio! Ne senex quidem esse frugi voluit, quem ætas apta mulierum consortio per earum ex amore ardentissimo consvetudinem depravavit, & à Deo avertit. In quem crassissimum errorem illecebrosis fœminarum blanditiis est prolapsus; ab hoc jam neq; senex resipiscere voluit. Undè S. Cyrillus, (b) *Corripiebatur*, inquit, *Salomon in ipsa senectutis via, mente deflorescente, nec pristinum habente vigorem, sed quasi cum corpore senescente, ubi ad finem, & occasum vitæ venit, defecit simul ætas & corporis, & mentis: deinde laqueum illi per mulieres paravit Satanas, & à recto abduxit.*

10. Et quamvis hìc asseratur in ipsa jam senectute depravatus Salomon: non est tamen credibile, tunc primùm ipsum in hoc mentis incidisse delirium, cùm jam totus esset in ultima senectute. Sed amor hic ardentissimus ipsum corripuerit, & excæcârit in ætate vivida: scilicet cùm annorum esset, ad summam, quadraginta sex; siquidem nec ultra sexaginta (secundùm nonnullorum computationẽ) vixit annos. Et Sacra Scriptura disertè memorat; ipsum adamâsse mulieres alienigenas multas, adeò, ut essent ipsi reginæ septingentæ, concubinæ verò

(a) 3. Reg. 11. 3. & sequ.

(b) S. Cyrill. lib. 7. contra Julian.

næ verò trecentæ. Quibus omnibus per assiduam consvetudinem *copulatus ardentissimo amore*, magis semper ac magis avertebatur à Deo, usqve ad impiam, & sacrilegam idololatriam. Quòd autem sacer Codex affirmet, ejus senis depravatum fuisse cor per mulieres; accipiendum est, senectu em illius non tàm ad ætatem annorum, quàm ad mentis maturitatem esse referendam. Sic enim exponit Glossa Interlinearis, ubi ad illa verba; *Cùmq́; jam esset senex*, addit: *Non ætate, sed moribus, vel sapientiâ.* Sit autem utcunqve; Salomon tamen ille, sapientiæ prodigium per mulieres depravatus, à patre suo Sanctissimo David, quin & à semetipso degener templa dedicans idolis, Dei desertor, & apostata, in senectute libidinis quoddam prodigium inter septingentas reginas, ac trecentas concubinas, etiam mundi ludibrium factus est per mulieres, & per nimiam cum iisdem consvetudinem. Ut meritò constet; nullam sapientiam esse tàm sublimẽ, nullam sanctitatem esse tàm securam; nullam virtutem, & animum in homine tàm esse fortem, atq́; constantem, quem mulierum non expugnet, atqve prosternat amor, & consvetudo.

11. De Herode tradit sacer Evangelii Scriptor, quòd (a) *Metuebat Ioannem, sciens, eum virum justum, & sanctum; & custodiebat eum* (ne videlicet per Herodiadis insidias occideretur) *& audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Tàm diligens Joannis auscultator haud equidem occidisset *virum justum, & sanctum*, nisi mulier, quæ semper innocentis insidiabatur vitæ, captatâ demùm inter epulas occasione per filiam saltatricem, artifici lascivientem pedemate, mortem innocentissimi viri impetraverit. Nimirùm placuit Herodi, & ejus animum devinxit lascivia puellæ saltatricis. In hanc inter saltandum, oculis, ore, vultu, totâ corporis habitudine, gestibus libidinem spirans, ac profundens petulca saltatrix lascivũ Herodis animum sic inflam-

(a) *Marc.* 6. 20.

mavit, ut à regia desciscens magnanimitate, crudelitatem adversùs innocentem indueret, & inferret Prophetæ mortem, quam mulier saltantis filiæ mater impia sitiebat. Itaqve libido sævitiam, lascivia crudelitatem, petulantia mulieris, amorq; vehemens atrocitatem extorsit. Hinc rectè Basilius Seleucus: (a) *Herodias, inquit, filia ostentans habitu matris artes, exactum maternæ libidinis simulacrum, aspectu impudenti, fracto corpore, animâ diffluente, jactis in Cœlum manibus, pedes in altum surrigebat; habitu seminando suam turpitudinem publicabat.*

12. Docet idem Auctor in eadem Oratione sua, quàm prona quoq; sit luxuria carnis ad ipsius etiam DEI desertionem, cùm disertissimè sic ait: (b) *Herodiadis tripudium nobis hodie invulgat Evangeliorũ vox, & atheam mulierum illarum publicitùs pandit insaniam.* Scilicet in atheismum illæ duæ mulieres insaniérunt, mater, & filia. Rex etiam haud dubiè per concupiscentiam carnis, & ardentissimum amorem erga mulieres illas atheas factus est atheus, abstractus, & illectus à concupiscentia sua. Hæc nimirùm est frequentatæ lasciviæ, cumqve mulieribus familiaritatis, consequenter etiam mulierositatis indoles; quòd ad minimam actûs libidinosi præsentatam imaginem statim abripiat, absorbeatqve totam mentem in eo, in quo sibi voluptatem constituit, fascinatione quâdam elusam, ac dementatam: jamqve (sicut diximus) athea de Deo, nec audire, nec scire, nec cogitare parata, semetipsam privat illo summo bono, quod solum beare potest, & beat, animam; Deo, inquam, & ejus gratiâ privat se, deum sibi constituens ventrem, & detestandæ libidinis usum, per omnia perdita, & à Deo aversa, sic, ut impleatur in ipsa, quod ex humanæ miseriæ pulpito sapientissimè concionatus Job ad amicos suos dixit: (c) *Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam?* In qua sententia (d) *Perditio quidem exitium, interitumq; significat* (inquit hìc Commentator) aliena-

(a) *Basil. Selenc. Orat.* 18. (b) *Id. ibid.*

(c) *Job.* 31. 3. (d) *Corder. hic.*

alienatio verò averſionem, repulſam, & ſeparationem à Deo.

13. Hic ergò communis eſt etiam in Religioſo familiaritati mulierum aſſveto, conſeqventer autem laſciviæ, libidiniq; per omnis honeſti conculcationem operante, fructus; ex Ordine religioſo profugere, habitum abijcere, fidem deſerere, abſurdam aliquam hæreſim vel comminiſci, vel ab aliis inventam amplecti; ab ipſo deniqve Deo recedere, & atheum fieri. Luxuria namq; quem ſemel occupat, jam (a) *Ad omne virtutis opus langvidum reddit*, (Commentatoris ejusdem verba recito) *& animi vires frangit, & enervat; & omninò, quem ſibi ſubijcit, devorat, ac perdit.* Rationem verò ſubijcit aptiſſimam, imò veriſſimam, cùm ait: *Nihil enim in homine relinquit, per quod DEI manus cæno* (carnis) *abſorptum apprehendat, teneat, atq; extractum foràs educat; Non animi ſenſa, non mentis cogitatum, non oris preces, non ſtudium, curamq; virtutis. bona quippe omnia peſſumdat. Videlicet* (inquit Divus Thomas) *à bonis operibus, & à bonis etiam prædicationibus diſcedunt homines luxurioſi: ac proindè omnia, quæ ad reſurgendum ex ſuis ſceleribus habere poſſent, remedia ſibi præripiunt.* Hucusqve Commentator. Et eſt hoc certiſſimum, quòd Religioſus in carnis vitium effuſus, per hoc maximè præripiat ſibi ad reſurgendum omnia remedia; quòd tamquam alter Salomon à ſapientia ſua degener, & in ſenectute ſua delirus; depravatus, ſivè ab homine, (quod tamen ſine ſingulari non fit inſtituto Dei) ſivè ab ipſo Deo, vel ab Angelo monitus aut difficillimè, aut nunquam reſipiſcat. Veritatem hanc doceat exemplum quod ſubijcio.

14. Recenſet in Elucidato ſuo Job Corderius in hæc genuina verba de Religioſo quodam Apoſtata. *Privato*, inquit, (b) *Sacerdos quidam ex noſtris ſermone de divinis rebus, de timore Dei, amore virtutis, Cœli gloria, inferorum incendijs, & id genus alijs, cum perdito quodam nebulone, qui ex Religioſo ſtatu in volutabrum vitiorum, luxuriæ*

(a) *Idem ibidem.*

(b) *Idem ibidem.*

 præ-

præsertim ceciderat, prudenter, pièq; agebat aliquando; ut scilicet hominem ad pristinum statum, melioremq; vitam traduceret. Quid ille? Cessâ, inquit, Pater modò loqui. Scito, postquam excidi, nihil mihi tàm molestum, atqve intolerandum videri, quàm audire de Deo, deq; cœlestibus rebus sermocinationem. Hactenus Auctor. Et potuit aliquid magìs impiè ab homine perditissimo dici? Sic miser ille monitus à Sacerdote (quidni Deo impellente?) resipiscere noluit immersus luxuriæ cæno. Solet aliis etiam subindè modis aut Christus Dominus, aut Beatissima Virgo Deipara Maria, aut Angelus, aut Sanctus aliquis, aut vir quispiam gravis, aut pater, vel mater, in somnis apparere, & rei cujuspiam, vel etiam assveti vitii graviter, quin & cum comminatione, commonere. Cujus rei plurima constant ex historiis exempla. Imò possem hìc duo referre de duobus Religiosis exempla, per ipsum Christum Dominum, & pretiosissimam Dei parentem uno, altero per Angelum in somnis, additâ comminatione, commonitis Ordinis cujusdam, mihi notis: Scio tempus, annos, dies, seu noctes, quibus hæc eis evenêre somnia. Sed qvia recentia sunt, & exstant adhuc in vivis hi duo, nec dubito resipuisse, idcircò prætereo. Unum dico; somnia illa fuisse minimè contemnenda; fuisse non somnia, sed oracula. Licèt enim somnio tamquam rei vanæ fides adhiberi non debeat; tamen in re seria, tangente conscientiam, & emendationem seriò inculcante non ludendum esse, docet historia Salomonis; cui Deus non aliter, quàm in somnio locutus, eùm corripuit. Nec vanum somnium fuisse, sed veram Dei correptionem, posteà docuit eventus.

15. Undè S. Augustinus libro de Spiritu & Anima, dum in quinqve genera distinguit somnia, dicit: (a) *Oraculum est, cùm in somnis parens, vel aliqua Sancta, gravisq; persona, seu Sacerdos, vel etiam Deus* (quidni & Angelus?) *eventurum aliquid apertè, vel non eventurum, faciendum, vel devitandum denun-*

(a) *S. Aug. lib. de Spir. & anima c. 25. ad init.*

nuntiat. Sed & Divus Thomas hac de materia dum agit, benè monet; divinationem innitentem falsæ opinioni superstitiosam quidem esse; verumtamen considerandum esse, quid sit verum circa præcognitionem futurorum: & conjecturam veritatis refert ad somniorum causam: (a) *Puta, cùm mens alicujus solicita ex his, quæ videt in somnijs*, (Angelici Doctoris sunt verba) *inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum*. Hinc posteà ponit idem Theologorum Angelus, somniorum causam duplicem; videlicet; aliam corporalem, aliam spiritualem. Omissis autem aliis, asserit: Spiritualem causam esse quandoq; à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua revelat hominibus in somniis: quandoq; verò operatione dæmonum aliquas phantasias apparere dormientibus; ex quibus aliqua futura quandoq; revelant his, qui cum eis habent illicita pacta.

16. Jam ex dictis his concludamus: illa somnia, quæ duo (sicut memoratum est) habuerunt isti Religiosi, non potuisse ex operatione dæmonum esse. Quia nec pactum aliquod (sicut certò credendum est) cum dæmonibus habuerunt; nec solent diaboli ad animarum salutem, sivè ad admonitionem in bonum animæ tendentem cooperari; præsumendum potiùs est; fuisse somnia ex revelatione divina per Christum ipsum, per Deiparam Virginem Mariam, per Angelum, qui se videndum præbuit, & de statu animæ edocuit. Quibus non auscultâsse, fuisset idem, quod admonitioni divinæ, aliàs in peculiari gratia reponendæ, cordis aurem obturâsse. Et forsitan eò collineatum fuisset; quod habetur apud Ecclesiasticum: (b) *Peccator homo, vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem*. Id est: carnalis oblectationis assvetus visco, undecunqve veniat ipsi correptio, sivè per somnium, sivè per Superiorem, aut patrem spiritualem, sivè per interiorem instinctum, & compunctionem ex lectione, vel con-

(a) *S. Tho. 2. 2. q. 95. a.6. in C.*

(b) *Eccli. 32. 21.*

concione, vel ex stimulo conscientiæ, non eam accipiet ad emendationem; sed modis omnibus vitabit, & secundùm sensum suum, ac voluntatem faciet, formabitq; sibi comparationem, & interpretationem ejus admonitionis per somnium acceptæ.

17. Somnium autem, quod etiam ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca, (docet adhuc S. Thomas) quantùm potest se virtus talis causæ extendere, cùm non repugnet futurorum eventuum præcognitioni, contemnendum quidem non est; sed peccator tamen, quia mentem ejus offuscat delectatio carnis, tamquam oculo mentis, & surdus aure cordis, interiorem occludet sensum, & vitabit, ne intelligat correptionem; nimirùm, sic accipiet, & illam interpretabitur correptionem, sicut vanam illusionem aliquam, atq; somnio vano, & inutili secundùm voluntatem suam, & affectatam ignorantiam, ejusmodi correptionem, & admonitionem comparabit. Et ita timendum est, ne vitium amatum, frequentatumqve, nec admonitione per somnium acceptâ emendatum, ipsum Religiosum, ejusqve vocationem in manifestum discrimen agat præcipitem.

§. III.

Familiaritati mulierum, & indè luxuriæ carnis assvetus, plerumq; diabolum etiam adsciscit sibi familiarem.

1. Rarissimum quidem, ac propè inauditum est, quod hìc asserendum ratiocinatione suscipio; cùm Deus infinitè bonus, vix aliquem Religiosum permittat eò flagitiorum immergi, ut tàm sui, quàm Optimi Dei sui Creatoris immemor, ac desperatus, semetipsum deserat, & jam ab Ordine, à fide, à Deo, & religione totus apostata miser in æternum intereat: Sed tamen solet contingere, licèt (sicut jam dixi) cum paucissimis, ut terminis hoc superiore paragrapho recensitis, in carnis illecebras alicujus ad nimium immersi Religiosi minimè

nimè claudatur malitia. Verùm turpitudinis implexam visco animam humani generis inimicus, & animarum pretioso Christi sanguine redemptarum insatiabilis helluo, postquam tantas pessimi propositi sui radices in corde cujuspiam fixit, plus ultrà promovet artes suas, ut in solidum lucretur, & tyrannico suo subjuget dominatui, quem jam à fœminarum subversum amore, sensuumq; voluptatibus inescatum divino penitùs emancipavit obsequio. Scilicet non satis est huic veteratori, quempiam effecisse malum, nisi pessimum quoq; efficiat; & jam per omnia mancipium habeat suum; cujus animo carnis amorem, ac voluptatem instillavit adeò, ut nec Cœlum, nec ullam rerum cœlestium curam admittat ampliùs, contentus in carnis cæno turpissimo volutari.

2. Benè propterea Divus Augustinus in Epistola quadam ad Hipponenses suos in hæc erumpit verba: (a) *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam; ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt: ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasterijs ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Iustus, justior fiat, & sordidus, sordescat adhuc.* Et est, quod scripsit, verissimum. Postquam enim miser Religiosus eò prolapsus est insaniæ, ut Religionem, fidem, Deum ipsum deserat; quid ampliùs ei superest, quàm ut per contemptum omnium ad æternam animæ salutem pertinentium, semetipsum quoq; desperatum projiciat? Et quia desertorem ejusmodi Deus etiam deserit, nolentemq; resipiscere tradit in interitum inimico, principi tenebrarum, ab hoc mendaciorum patre prosperitatem omnem promittente, quærit infelix sensualitati suæ solatia, quibus expleri sine satietate potest, non autem ad plenum satiari.

3. Et impletur in illo, quod Spiritus Sanctus per Salomonem pronuntiavit: (b) *Impius,* cùm

(a) S. Aug. Ep. 137. ad Hipponen.

(b) Prov. 18. 3.

cùm in profundum venerit, contemnit. In qua sententia *Profundum*, de quo hìc Salomon agit, accipiunt variè Sancti Patres, & Interpretes Sacri. S. Joannes Chrysostomus intelligit nomine *profundi*, consvetudinem peccandi; cùm quis post lapsum pœnitens, rursùs ad idem redit peccatum, & ita demùm frequentatum peccati usum vel difficilè, vel nunquam vult jam deserere. S. Bernardus, ubi tractat de gradibus humilitatis, per hoc *Profundum* accipit Dei contemptum, provenientem ex obduratione, & contumacia. Dicit itaqve: (a) *Post decimum gradum, qui rebellio dictus est, expulsus, & egressus de monasterio, statim excipitur ab undecimo; & tunc ingreditur vias, quæ videntur hominibus bonæ; quarum finis (nisi fortè Deus eas illi sepiêrit) demergit eum in profundum inferni, id est, in contemptum Dei.* Alii *profundi* nomine desperationem intelligunt. Hinc Venerabilis Beda, & S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, ajunt: (b) *Qui longis peccatorum tenebris involutus, semel de luce desperat; jam ex desperatione contemnit: id est, passim sibi peccandi frena relaxat. Sed talis opprobrium futuræ damnationis nullâ ratione evadit, quem ab usu suæ iniquitatis nulla divini timoris memoria cohibuit.*

4. Alii adhuc aliter hoc *Profundum* accipiunt; quorum tamen omnium sensum Apostolus ad Ephesios scribens videtur graphicè comprehendere, cùm ait: (c) *Hoc igitur dico, & testificor in Domino; ut jam non ambuletis, sicut gentes ambulant, in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Et quidem Apostolus, quod hìc dicit gentes fecisse, sicut & adhuc faciunt, per ignorantiam propter cæcitatem; hoc à Religione vir apostata facit, volens, obcæcatus, & effusus in omnem libidinem, tradit semetipsum omni impudicitiæ, & immunditiæ,

(a) *S. Bern. de grad. humilit.* (b) *V. Beda, & S. Cæsar. Homil.* 13. (c) *Ephes.* 4. 17. *& sequ.*

non aliter, atqve beſtia, tenebris obſcuratum habens intellectum beſtialibus. Cæterùm accipiatur *Profundum*, à Spiritu Sancto prolatum, quomodocunqve, in quod peccator, & apoſtata miſerrimè prolapſus, æterna ſupplicia, cœleſtia præmia, præſentis etiam vitæ diſcrimina, per quæ contempta ruit in æternæ damnationis judicium, non curat: ego majorem dari flagitiorũ non invenio (ſicut quidem ego apprehendo) profunditatem; quàm in atheam prolapſum vitam, Deum, ejusqve cultum contemnere, & proculcare: dæmoni verò ſuperbiſſimæ beſtiæ, ſemper divinæ gloriæ adverſanti, cultum, & obſequium exhibere; idqve propter momentaneum vitæ caducæ commodum, & ſordidam voluptatem, ut inſtructus veteratoris artibus, ad ſenſuum illecebras abutatur omni eo, quod Deus ad gloriam ſuam in bonum creavit finem.

5. Igitur deſertor iſte jam ſic in omnis impietatis profundum præceps actus, mo-dos quærit omnes, quibus cum dæmone malo pactum aliquod ineat, eumqve habeat ad voluntatem, & impia deſideria ſua obſequentem, ipſe potiùs cum corpore ſimul & anima tartarei tyranni probroſum mancipium. Communiter igitur ſibi talis comparat ſpiritum familiarem, vel per aliquam ſagam, præſertim ſi in earum aliquam, cum qua infelix habet voluptatis ſuæ commercium, incidat, artis peſſimæ ſibi conciliat magiſtrum; vel ipſe perpetuus animarum prædo præſentiſſimus, ubi videt nutui ſuo ſpontaneum ſtipendiarium, in hominis alicujus ſpecie præbet ſe viſibilem, paratus & dominus ſimul, & ſervus; hoſtis juratus, & amicus; opulentus, & miſer; cujus operâ demùm ad omnem malitiam exercendam animo conceptam, ſcit tàm dextrè ſibi proſpicere, quantùm ad conſequendos fines ſuos, ut vix ulla humana induſtria poſſit ejus occupare ſtudia. Eludit in ſucceſſum ſuum, & prævenit omnia conſilia; rimatur,

& explorat artibus suis arcana curiosiùs; fortunas ad præsentaneæ vitæ sustentationem consectatur; ad fraudes, furta, mendacia, perjuria, ad reserandas seras omnes, ad scrinia, conclavia, & quæcunqve repositoria, partim nequam spiritu magistro, partim suoptè per multa jam experimenta ingenio, promptissimus, & dexterrimus. Denique quidquid svadet ad indulgentiam, & voluptatem genius, nihil non conquirit; nunquam tamen, vel saltem rarissimè, finem aliquem bonum consecuturus, dæmone municipi suo semper sic advigilante, ut ministerii sui stipendium reportet, probrosam aliquam, vel subitaneam, improvisam, & violentam mortem, animæ verò sine pœnitentia migrantis æternam perditionem.

6. At nihil horum infelix iste pensitat, audacter suam jactat insaniam cum illis impiis apud Isaiam dicentibus: (a) *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Itané? Cum inferno fecistis pactum? cum diabolo fœdus percussistis? Ita, ita: *Cum inferno fecimus pactum.* Ah, miseri! Jam verò & in inferno vivi sepulti estis. Audite enim, quid dicat magister gentium Divus Paulus: (b) *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati,* (sicut vos apostatæ, & athei) *gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti; gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes:* id est, adeò vobis ad resipiscendum, & resurgendum per pœnitentiam præcluditis viam, ut pejoribus, ac ferocioribus vobis denuò ad crucifigendum Filium Dei non ampliùs pateat ad pristinum gratiæ statum ullus reditus. In quibus Apostoli verbis observanda sunt duo præcipua. *Primum* quidem omnium terribilium terribilissimum, dicentis: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste,* &c. *& prolapsi sunt, rursùs re-*

(a) *Isai.* 28. 15.

(b) *Hebr.* 6. 4. *& sequ.*

novari ad pœnitentiam. Quorum verborum ſenſus eò videtur tendere; quòd ij, qui Dei gratiam, illuſtrationes, vocationem ad Religioſum ſtatum, & alia innumera beneficia, ſemel acceperunt, & poſteà divino lumini rebelles facti, deſeruerunt illam Dei dignationem, & per voluntarium peccatum receſſerunt à Deo, facti apoſtatæ, non posſint ampliùs ad converſionem, & pœnitentiam redire. Quâ comminatione, quid poteſt eſſe terribilius? Per Dei contemptum ſe peccatorum laqueis inſeruiſſe, & diaboli ſervituti ſe mancipâſſe, perindè jam eſt, ac in inferno vivũ ſepultum eſſe. (a) *Veniat mors ſuper illos*, (regius ait Pſaltes) *& deſcendant in infernum viventes*.

7. Et licèt plurimi Sancti Patres, Doctores, & Interpretes illam Divi Pauli ſententiam referant ad gratiam, pœnitentiam, & Sacramentum baptismi: quo Sacramento ſemel ſuſcepto, certum eſt, quòd homo non poſſit iteratò renovari; cùm Sacramentum hoc nec debeat, nec poſſit iterari. Quam impoſſibilitatem Apoſtolus inculcârit Hebræis ideò, quòd in Judaiſmo dum eſſent, ſæpè ſoliti ſint ſe baptizare, ſive lavare, ſcilicet poſt admiſſum aliquod peccatum; poſteà facti Chriſtiani putabant, idem facere ſe poſſe, atqve iterum, tertiò, & quartò baptizari, iteratoq; baptismo peccata pariter, in quæ ſæpiùs incidebant, expiare. In quo hærentes errore, neceſſe fuit ab Apoſtolo doceri, & ab ejusmodi erronea eos opinione avocare. Attamen magis plana, genuina, & propoſito noſtro convenientior eſt loci hujus expoſitio recentiorum, cenſentium; hìc Apoſtolum propriè loqui de pœnitentia, quam dicit eſſe impoſſibilem peccatoribus graviſſimis, & ingratiſſimis, ac induratis: uti ſolet eſſe communiter vir ab Ordine religioſo apoſtata. Qui poſt tot, & tanta, tamq; inſignia divinæ gratiæ lumina, & accepta à Deo dona; poſt tot gratias, & illuſtrationes, tùm & conſolationes, Sancti Spiritûs, poſtquam Dei, futuræqve vitæ delicias guſtave-

(a) Pſal. 54. 16.

runt, denuò à Deo, à fide, ab agnita veritate, atq; à Christo Domino, sicut olim (imò & nunc) ad Judaismum Hebræi baptizati, sic & isti ad hæreses, ad infidelitatem, ad servitutem diaboli descisćunt, & *Desperantes, semetipsos tradunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.*

8. Jam ejusmodi viro apostatæ quænam esse potest ad pœnitentiam via? Destitutus gratiâ, & charitate Dei; privatus omni, quod habuit existens in gratia, merito; spoliatus omni auxilio, præsidioq; divino ad benè operandum; traditus diabolo non jam tantùm in interitum carnis, sed etiam in interitum animæ, difficillimè pœnitentiam suscipientis, aut suscipere nolentis, quomodò ad novam pœnitentiam renovabitur? Est quidem verum; illa verba, *Impossibile est renovari*, non adhuc illam impossibilitatem significare, quin per divinam gratiam (sed valdè extraordinariam, & rarissimè concedi solitam) possint pœnitere; denuoq; per flagitiorum, & plurimorum sacrilegiorū detestationem ad pœnitentiam per justificationem in Spiritu Sancto renovari: sed tantùm indicatur illo dicendi modo, summa redeundi ad pœnitentiam difficultas, quâ is, qui jam cum cacodæmone pactū aliquod fecit, suscipiat illam. Siquidem tenetur quasi durissimis à Satana constrictus vinculis, & Deus communiter talem jam reprobat, qui voluntate suâ contumaciter induratus non potest velle agere benè, & propter hanc indurationem impossibile est, id est, difficillimum est, isti à Deo, à Religione, à fide apostatæ per pœnitentiam renovari: Attamen ad hujus infelicissimi statûs considerationem horret, & obrigescit animus; & quid ampliùs ad hunc Apostoli sensum adferam, ignoro.

9. *Alterum* ex recitatis superiùs Apostoli verbis considerandum; est horrendorum omnium horrendissimum, quod dicitur: *Rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Non enim hæc

hæc dicuntur verba per quamdam solùm ceremoniam ad exaggerandum illorum, qui Deum deserunt, malitiam; sed scribuntur prorsùs ad explicandam ipsissimam rei veritatem, & atrocissimam impietatem, quam apostatæ, & athei, ac mancipia diaboli contra Dei Filium exercent. Qui in pristina, imò in longè majora, prolapsi scelera, & sacrilegia, hæreses, & atheismum amplexi, verè jam pejùs, & crudeliùs, quàm olim Judæi, rursùm crucifigunt, & ostentui habent Filium Dei; & quod Judæi fecerunt ignorantes, hoc isti faciunt voluntate, malitiâ, & contumaci nequitiâ cum inferno pacti; dum & fidem, & Deum, & Christum Dominum negant; in amabilissimi JESU contumeliam à diabolo instigati, effigiem Crucifixi probris afficiunt, & injuriosissimè tractant; telis configunt, conculcant, & in ea se adversùs Sacramenta effrenant opprobria, quæ nec dicere, nec cogitare, sit consultum. Et tales est impossibile ad pœnitentiam renovari. De quorum conversione, & pœnitentia, Deo relinquo judicium, & præ horrore calamum abrumpo.

10. Hoc tantùm addo: Religiosus ab Ordine, à fide, à Deo apostata, & in vitam atheam præceps actus, jam verè dici potest obsessus à malo dæmone. Quia licèt in corpus ipsius nihil exerceat tormenti nequam spiritus, nisi quòd semper ad immunditiam carnis ipsum exstimulet, præter alia gravissima scelera de corde impuro prodeuntia; tamen in animam ejus jam plenum possidet dominatum. Hinc verissimum est, quod scribit Cassianus, vel potiùs apud Cassianum ait Abbas Sisrenus: (a) *Illi sunt*, inquiens, *verè miseri, ac miserabiles judicandi; qui, cùm universis se criminibus, flagitijsq; contaminant, non solùm nullum in eis verisimiliter signum diabolicæ suppletionis ostenditur; sed nec aliqua quidem operibus eorum condigna tentatio, nec ullum flagellum correptionis infertur.* Jam autem ideò dæmoniacos esse

(a) *Caßian. Coll.* 8. *cap.* 31.

non apparet, in exterioribus signis, ne laboretur circa liberationem eorum. Undè mox idem Caſſianus hujus rei cauſam annectit; ne videlicet citò, vel facilè liberentur. Dicit itaqve: *Non enim merentur celerem temporis iſtius, expeditamq́; medicinam; quorum duritiés, & impœnitens cor pœnam vitæ præſentis excedens, theſaurizant ſibi ipſis iram, & indignationem in die iræ, & revelationis juſti judicij; in quo vermis eorum non extinguitur.* Ita Caſſianus. Itaq; non ſit mirum, deſertorem ejusmodi, & à Deo penitùs averſum, vel difficillimè, vel minimè converti per pœnitentiam. Jam enim cum nequam ſpiritu pactus, ejusq; factus mancipium, cum ipſo perpetuum tenet conſortium; & Deus in ſenſum reprobum traditum ſervat in diem iræ, & revelationis juſti judicii, æternâ damnatione puniendum.

CAPUT IX.

§. I.

Proponuntur alii religioſæ vocationis occulti ſcopuli.

1. Quæ ſuperiore Capite ſunt expoſita; ea tàm ſunt manifeſta religioſi ſpiritûs, & vocationis pernicies: ut, ſicut paſſim in oculos occurrunt hominum, & pudorem, atq; ignominiam conflant; ita facillimè adverti, & vel Dei adjuvante gratiâ (modò quis ſeriò ſtudeat cooperari) per ſuſceptam diſciplinæ acrimoniam fugari, vitariq; poſſunt; vel per ſeriam Superiorum in ejusmodi vitia, cùm facilè naturâ ſuâ prorumpant in publicum, animadverſionem ſupprimi: quæ deniq; vel ad graviſſimas cogit deſcendere pœnas; vel non ſecutâ poſt multam correptionem emendatione, ad probroſam (quod eſt ultimum honeſtati, puritatiq; Religionis conſulendi remedium) ejectionem: ne tamquam morbida pecus in alios quoqve ſuam proferat infici-

inficiendi contagionem; & toti domui, vel etiam Ordini universo, notabile consciscat opprobrium, vel deniq; malum in semetipsum allisum per ignominiosam fugam, ac apostasiam, alicubi miserè pereat; uti plurima docuerunt, & hodieqve docent, exempla. Sed alii scopuli, in quos religiosa vocatio solet impingere, sunt, hoc indigitandi Capite, nimiùm quantùm occulti, prorsusq; latentia saxa; & ideò advertuntur difficilè; vitantur difficiliùs; ad eos allisa vocationis scapha naufragium evadit difficillimè.

2. *Primum* igitur, quod in procelloso vitæ præsentis statu, seu pelago saxum occultissimum occurrit Religioso, est superbia; per quam humani generis inimicus insidiarum suarum, pessimiq; propositi, jacit fundamenta. Quibus benè positis habet jam paratam machinam, quâ spiritum, & vocationem fortiter arietet, subvertat, & animam à Deo desciscere faciat; ut non immeritò dixerit Ecclesiasticus: (a) *Initium superbiæ, apostatare à Deo*; tamquam nihil sit principalius, quod à Deo mentem hominis avertat; quàm superbia. Quod oraculum, quia Spiritûs Sancti est, non potest non esse verissimum. Quare mox addit idem Siracides: *Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: Quoniam initium omnis peccati, est superbia.* Satis equidem erat, virum sapientissimum dixisse; Superbiam esse principium, & causam principem alienationis à Deo; voluit nihilominùs apostatandi vim & energiam explicatiùs enucleare per quamdam in unâ eâdemqve re commorationem, tùm ut doceret; quid, quantumqve possit superbia; tùm ut ostenderet; quomodo per superbiam recedatur à Deo; tùm magis ut proderet superbiæ malignitatem: cujus est tanta vis, ut inter Deum, & hominem ponat inimicitias, ita, ut Deus hominem deserat, & homo deserat Deum; illum, inquam, Deum; qui Creator hominis, qui omne, summumq; bonum; qui verus,

(a) *Eccli.* 10. 14.

rus, ac ultimus hominis finis eſt. A quo deinde receditur, non terrarum ſpatiis, hoc enim fieri non poteſt; ſed affectu, corde, & mente: Quæ hominis portio nobiliſſima cùm habeat ad Deum ob immortalilatem, & alias qualitates, ſimilitudinem, & ab ipſo creata debeat ſe totam non alteri, quàm uni Deo; nihilominùs interveniente ſuperbiâ, liberaliſſimo, quin & amantiſſimo Patri ſuo ſeſe ſubducit. Malignitas etiam ejus eſt tanta; ut, cùm ingratitudinem maximam in animum invehat, inſuper in omnia reliqua flagitia præcipitem agat animam, verè *initium omnis peccati*.

3. Et ne per multas ambages. Etſi multæ ſint ſpecies, quæ ſuperbiam produnt, ex eaq; tamquam ex radice peſſima pullulant, eas hìc nihilominùs in tria tantùm reduco capita. Quorum *primum* ſit: Indolis, ingenii, ſcientiæ, virtutisqve, (ſi tamen his excellat) tamquam ſuorum, & non Dei, bonorum æſtimatio. *Alterum*: eſt arrogantia, ſibi tribuens id, quod non habet, vel quo minimè digna eſt. *Tertium*: non ad Dei gloriam, ſed ad laudem, & commendationem ſui, bonorum, quæ habet, uſurpatio. Quæ omnia mirum quantum in Dei primùm, deinde in proximi contemptum, tandem & in apoſtaſiam vergunt. Nam primum quod attinet: Non aliter etiam peccâſſe deſertorem angelum certum eſt, quàm quòd convertens ſe ad pulchritudinem ſuam, & ad excellentiſſimas à Deo ſibi liberaliſſimè conceſſas gratias, in his admirabundus ſtiterit; in eis ſibi tamquam ſuis propriis complacuerit, easq; æſtimaverit in tantum, ut noluerit Deum tantæ excellentiæ datorem agnoſcere, eiq; ſubditus eſſe: & ideò, ſicut ex S. Auguſtino dicit Theologorum Angelus Divus Thomas, (a) *Elatione inflatus, voluit dici deus*: & concludit; quòd *Angelus absq; dubio peccavit, appetendo eſſe, ut Deus, tamquam propriâ virtute, non autem ex virtute, & gratia Dei, ſimilis eſſet Deo, & principatum habere voluit*

(a) *S. Tho.* 1. *q.* 63. *a.* 3.

luit super alia, non ex gratia, & auxilio Dei; sed per virtutem naturæ suæ. Et ideò *Perversè voluit* (ut idem Doctor Angelicus ait) *Deo aſsimilari*. Quod erat graviſſimum peccatum ſuperbiæ; quando ſemetipsũ tantùm, & pulchritudinem, excellentiam, & naturæ ſuæ dotes contemplatus, ſemetipſum æſtimavit magni, nihil autem Deo liberaliſſimo datori tribuit.

4. Jam & Religioſus ſi dotes, ingenium, ſcientiam, ſapientiam, eloquentiam, virtutes, & alias tàm naturæ, quàm gratiæ qualitates, & dona, quæ nonniſi ex divina liberalitate poſſidet, in ſe contempletur; in iis ſibi complaceat, tamquam ſuis, & ſe magni reputet, nec Deum liberaliſſimum datorem pro iis, & in iis, cum omni humilitate laudet, eiqve gratias agat: quidquid autem ex iisdem in Dei gloriam derivari poſſit, ac debeat, id tamquam ex virtute ſua, non verò ex Dei gratia, dona ſua in homine coronantis, æſtimet in Deum redundare; ſpecie quidem divinæ gloriæ promovendæ, impingit graviſſimè in ſuperbiæ ſcopulum, ſub honoris divini pallio latentem: dum ſibi tribuit, quod verè totum Dei eſt, honorem & gloriam ſuam in homine non propter ſe, cùm ſeipſo ſit glorioſiſſimus, ſed propter nos, amplificantis.

5. *Altera* ſuperbiæ ſpecies, videlicet arrogantia, ſub occulti ſcopuli nomine religioſam vocationem confringentis, eſt ipſius ſuperbiæ quædam filia: quâ Religioſus multum de ſe exiſtimans, ſibiqve plus, quàm aliis, tribuens, cæteros quidem deſpicit, contemnit, & plerumq; plus ſibi tribuit, quàm habet: quidquid autem dignitatis, & honoris (uti contingit) ei tribuitur; aut, ſe præterito, confertur in alios; id totum ſibi jure, aliis falsò, deberi exiſtimat; & ſe ſolum præ aliis præferens, cæteros infra ſe arbitratus, per deſpicientiam dedignatur. Qui dum cathedras occupat, & magiſteria; non Dei gloriam, nec utilitatem proximi; ſed laudem, hono-

honorem, & commodum suum proprium aucupatur; ut rectè Divus Gregorius de arrogantibus; (a) *Hoc, inquit, habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quod docent; & recta, quæ sapiunt, rectè ministrare non possint. In verbis enim eorum proditur, quòd, cùm docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere; eosq;, quos docent, ut longè infra se positos, velut in imo respiciunt*, ac despiciunt; *quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur.* Ita Sanctissimus Pater, & Pontifex. Et quia præ typho spiritûs non advertunt, aut advertere nolunt arrogantes, in quantum ipsos conijciat discrimen Stygius veterator, siquidem apud Deum incurrunt gravissimum odium, eò quòd *Arrogantiam, & superbiam, & viam pravam, & os bilingue, detestor*; (b) ait apud Salomonem Dei Sapientia; & alibi: (c) *Abominatio Domini est omnis arrogans*; ideò subvertitur arrogantis Religiosi vocatio, ut in scopulum allisa debeat naufragari.

6. *Tertia* superbiæ species, quâ non ad Dei gloriam, sed tantùm ad suam laudem, & commendationem sui, suumqve commodum usurpat Religiosus illas, quas ab Optimo Deo, qualitates habet, est æquè altera superbiæ filia: quæ Satanæ ministra iniquissimam exercet rapinam, sibi tantùm adsciscens, quod tamen solius est DEI; quodqve laudi solùm, & gloriæ Dei militare deberet. Quidquid operatur, laborat, & exercet; totum sibi, industriæq; suæ, ingenio, & prudentiæ, nulli alteri, ne ipsi quidem Domino Deo adscribit; sed cum insano illo dicit populo: (d) *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Ego laboravi; ego ædificavi; ego labore meo Spartam omnem sustinui. Non hic, non iste, non ille; sed ego, ego feci. Et ita gloriam, quæ Deo, bonorum omnium fonti debetur, cujus est totum, quidquid per nos homines, tamquam per instrumenta sua operatur, sibi tribuens, Domino Deo, quodammodò suffuratur, & rapit

(a) S. Greg. lib. 23. Moral. c. 9. (b) Prov. 8. 13. (c) c. 16. 5. (d) Deut. 32. 24.

ſacrilegus fur, & latro. Sic enim S. Auguſtinus ejusmodi vocat arrogantem, cùm ait: (a) *Qui de bono tuo* (Domine Deus) *gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit; hic fur eſt, & latro, & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

7. Sunt autem plures aliæ ſuperbiæ ſpecies, & gradus, pro quorum notitia remitto Lectorem ad S. Gregorium, (b) quatuor ſpecies alias enumerantem. Quas tamen uni tantùm Phariſæo tribuit oranti in templo: ſed poſſunt nihilominùs etiam ad alios referri. Item ad S. Bernardum de gradibus humilitatis, & ad S. Thomam gradus eosdem ex S. Bernardo recenſentem duodecim; qui ſunt: (c) *Curioſitas, mentis levitas, inepta lætitia, jactantia, ſingularitas, arrogantia, præſumptio, defenſio peccatorum; ſimulata confeſſio, rebellio deſpiciens obedire, libertas, peccandi conſuetudo.* Quæ ſingula non jam operæ pretium hìc explicare; tùm quòd S. Bernardus de Gradibus humilitatis agens, tùm & Divus Thomas, ea ſufficienter explicent; tùm quòd ſuperiùs alibi ſparſim eadem attigerimus. Et quia ſuperiùs per omnes ſpecies hìc enumeratas, ſemper titulo boni cujuſpiam, ſed inordato, uſqve ad Dei Creatoris Optimi contemptum aſcendit: ideò Religioſus in hujus defectûs ſcopulum impingens, vocationem ſuam non diſcrimini magis objicit, quàm ipſi ruinæ. Cùm enim Deus ſuperbis ſemper reſiſtat, & ſuperbi ſemper Deo rebelles, in peccata majora præcipites eant, apoſtatæ, & alieni à Deo tandem hunc reportant contumaciæ ſuæ fructum, ut deſerantur à Deo, priùs & ipſi deſertores: nec poſſint habere progreſſum alium, quàm perditionem. Siquidem ſuperbia, peccatorum, & flatiorum caput, fons & origo nequaquam ſiſtit, donec in profundum veniat, ibiq; cum magiſtro ſuo diabolo demergatur.

8. A quo ſuperbiæ peccato usqve ad rebellionem, poſt admiſſas antecedentes ſpecies deſinente, liberet Deus omnẽ, præſertim adhuc ætate juvenem,

(a) *S. Aug. Soliloq. c. 15.* (b) *S. Greg. l. 23. Moral. c. 7.* (c) *S. Tho. 2. 2. q. 162. a. 4. ad 4.*

nem, Religiosum; cui facilè contingit in hunc occultissimè latentem inter alia vitia scopulum allidi: quando, nescio, quâ spiritûs elatione ductus in sua sibi complacet indole, consensimq; progreditur eò contumaciæ, nec Superiori suo, nec patri spirituali, nec inspirationibus interioribus ut obedire consvescat; nullum benè consulentem audire. Jam certus sit iste; magistrum hujus ingenii, & spiritûs, habere se diabolum, non autem Christum; cujus se vestigia non moribus, sed solùm habitu profitetur amplexum; doctorem sequi non Angelum bonum custodem, cujus instinctu religiosum suscepit habitum, sed Antichristum. Undè S. Cyprianus: (a) *Exaltatio*, inquit, *& inflatio, & arrogantia, ac superba jactatio, non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur.* Quo superbiæ spiritu inflati manifestè probant; se, Deum ex corde suo proscribere, & dare locum illi spiritui; qui primus ab initio fuit desertor, secumq; turbam cœlestium spirituum traxit innumerabilem. Igitur mirum non est; superbiæ tumentem spiritu loqui perversa; Superiori suo, aliisq; detrahere; ad culparum examinationem obmutescere; interrogatum instar Marpesiæ cautis obrigescere; ferociter contra regulæ præscriptum peccare; nec minas ullas extimescere; nec paternam benevolentiam, (quid enim ad animæ lucrum non agat pater?) nec blanda, mansvetaqve monita curare; agere pro libito suo perperam omnia; ad pœnas in emendationem inflictas magis indurescere. Non mirum est, inquam, in tantam ferociam, contumaciamq; superbum Religiosum evadere: diabolum in corde magistrum habet: Christum ex anima sua proscripsit.

9. Quid jam aget cum ejusmodi fera, & indomita bellua miser Superior? Prædicabit ipsi pœnitentiam? contemnet. Hortabitur ad frugem? tergum obvertit. Proponet virtutis præmia? surdo fabulam. Ingemiscet, ac suspirabit?

(a) S. Cypr. lib. 1. Ep. 3.

bit? ridet ipse. Lacrymas ad tantam impietatem fundet? istius ad malitiæ suæ solatium deliciæ sunt. Frustrà itaqve laborat Superior; frustrà fatigatur spiritualis pater; frustrà cruciatur conscientiæ judex Confessarius; frustrà disciplinam adhibet; virtutem commendat; Deum inculcat. Quia superbiæ magister, aliud docet, quem habet in corde. Hunc animæ dominum produnt verba loquentis; loqvuntur opera conversantis, ita, ut in corpus etsi non sæviat dæmon, surdum tamen, & mutum dæmonium in ejus anima sedem fixisse certum est. Nam Cassianum audite: (a) *Multò graviùs*, inquit, *constat, illos, vehementiùsq; vexari; qui, cùm corporaliter ab ipsis* (dæmonibus) *affligi minimè videantur, animo tamen perniciosiùs possidentur; eorum scilicet vitiis & voluptatibus involuti. Secundùm Apostoli namq; sententiam, à quo quis superatur, ejus servus efficitur: nisi quòd in hoc isti desperatiùs ægrotant; quòd, cùm sint eorum mancipia, nec impugnari se ab illis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt.* Et hic est latentissimus ille superbiæ scopulus, ad quem allisa religiosa vocatio mergitur; quando *Nec impugnari se à dæmoniis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt.* Adeò nimirùm superbiæ dominium miseri cor hominis possidet, excæcat, & obdurat; ut nec audire, nec videre, nec sentire possit, se peccatorum profundo penitùs immersum ad interitum perurgeri.

10. Hinc verissimè S. Cæsarius Arelatensium Præsul: (b) *Quisquis*, ait, *superbus est, dæmone plenus est.* Et inferiùs ad illa verba, *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, Quid est*, inquit, *apostatare, nisi à Deo discedere? Et utiqve qui à Deo disjungitur, diabolo sociatur.* Et in eadem materia alibi: (c) *Non discernuntur*, ait, *Filij Dei, & filij diaboli, nisi humilitate, atq; superbiâ. Quemcunq; superbum videris, diaboli filium esse non dubites.* Ideoq; mirum non sit; Religiosum aliquem ad Superioris correptionem surdum esse; post monita ferociorem in malitia fieri; vulnera pec-

(a) *Caßian. Coll.* 7. *c.* 25. (b) *S. Cæsar. Homil.* 23. (c) *Idem Homil.* 18.

catorum à diabolo ſibi inflicta non ſentire; contemnere obedientiam; ad omne bonum conſilium recalcitrare; ad operandum benè prorsùs implacabilem eſſe. Quia ſocius, mancipium, imò filius diaboli eſt; &, quod ampliùs, ipſe jam totus diabolus eſt. Graphicè deſcribit alicubi induratam ſuperbiæ indolem S. Cyprianus in hæc verba: (a) *Tumens animus, & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt. jacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur; &, quòd non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* Ubi notandũ benè: Etiam nunc Superiores in hanc deſcendere ſubindè cum protervo pœnam, & cum contumacibus ex ſuperbia ad ſuſcipiendam pœnitentiam; ut eos ſacrâ Euchariſtiæ communione privent; Miſſæ ſacrificio, ſi Sacerdotes ſint, interdicant; indignum arbitrantes, eum pretioſiſſimo Corpori, Sanguiniq; Chriſti communicare; qui recti deſertor, & apoſtata, Dei quoq; contemptor, filium ſe, mancipiumq; diaboli palàm profitetur. Itaq; ſic prohibitus, Superiori iraſcitur, ringitur, & dentibus ſtridet adversùs juſtum exactorem.

11. Sed proſequitur adhuc, & ſuperbiâ tumidum ad pœnitentiam hortatur idem Africanus Orator, & dicit: *Atque, ô tuam nimiam, furioſe, dementiam! Iraſceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur, & minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur, qui vulnus tuũ ſentit, quod ipſe non ſentis; qui pro te lacrymas fundit, ipſe forſitan non fundis. Oneras adhuc crimen, & cumulas: & cùm ſis ipſe implacabilis ad antiſtites Dei, putas circa te Dominum poſſe placari? Accipe potiùs, & admitte, quæ loquimur. Quid ſurdæ aures ſalutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod oſtendimus? Quid perculſa, & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cœleſtibus & dicimus, & docemus?* Hucusqve Præſul Carthaginenſis. Ex quo patet, ſuperbum, & contu-

macem

(a) *S. Cypr. Serm. 5. de lapſis.*

macem nec adhortationibus fieri meliorem; nec animadversionibus, aut pœnis ad bonum flexibiliorem; nec suavibus, & paternis monitis placabiliorem. Quia deniq; *Superbus dæmone plenus est*, filius, & mancipium diaboli est; in superbiæ scopulum allisus naufragari, ruere, & perire debet, sicut rectè de superbia concludit Siracides: (a) *Qui tenuerit eam*, id est, superbiam; *adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem*.

§. II.

Amor sui, religiosæ vocationis alter scopulus occultissimus.

1. Non minùs occultum, & in animæ religiosæ perniciem latentissimum saxum est, amor sui; quem Græci philautiam vocant, superbiæ quidem filiam, sed matre suâ longè nocentiorem, & eò periculosiorem, quò cum amore, animiq; affectu, qui tàm erga Deum super omnia diligandum, quàm erga proximum, tùm etiam erga semetipsum, exhibendus est, conjunctiorem. Et ideò perimentem faciliùs; quia placidas amoris aurei crispantem undas, & tranquillum æquor egregiè mentientem, saxumq; horrendo naufragio paratum in perfidioso tractu dissimulantem. Dixi, amorem sui filiam esse superbiæ. Nam anima dum in semetipsam reflexa qualitates, & dona tàm gratiæ, quàm naturæ, sibi liberalissimè à Deo concessa contemplatur, & in iis hærens suam dispicit excellentiam; ex ea contemplatione concipit, & parit amorem sui: in quo eadem anima non magis æstimat, ac diligit Deum, quàm semetipsam, appetendo bonum, vel etiam malum sub ratione boni, sicuti fit in concupiscentia carnis, & in iis, quæ spectant ad sensuum delectationem; item appetendo laudem, honorem, & gloriam, sibi tantùm, non Deo, cui soli debetur omnis honor, & gloia, & in quem rerum creatarum omnis pulchritudo,

(a) Eccli. 10. 15.

do, æstimatio, & excellentia redundat. Atq; ex ea laudis, & gloriæ inordinata appetentia, fit; quòd inordinatus hic amor sui (a) *perducit* (ut Sanctus ait Thomas) *ad contemptum Dei.*

2. Dixi etiam hanc superbiæ filiam, philautiam, matre suâ superbiâ longè nocentiorem, & periculosiorem. Qvia præterquam quòd æquè sit (b) *Initium omnis peccati*, (eodem Angelico Doctore sic asserente) sicut & superbia, insuper alteram sibi quoq; matrem adsciscit luxuriam. Undè meritò Sanctus idem Thomas ait: (c) *Quòd aliquis appetit sibi delectabilia carnis, ponitur amor sui filia luxuriæ.* Et ita demùm obcæcat intellectum, ipsamq; voluntatem avertit à summo bono, quod Deus est, ut quiescat tantùm in se; nec velit ab his relictis altiùs ad Deum, & ad ea, quæ Dei sunt, elevari. Atq; ob hanc, quam inducit menti cæcitatem, dilectio sui crudeliùs sævit in animam, eamq; perimit fraudulentiùs, ac faciliùs, eò quòd ipsi malum sub boni ratione, tamquam solum delectabile, proponat, & in tantum incendente matre luxuriâ dementet; ut aliud nec velle possit, nec velit admittere bonum honestum, & invisibile, nisi quod ipsa sibi solùm ad præsens apprehendit delectabile.

3. Ut autem liqueat clariùs; amorem sui æquè esse omnis initium peccati, sicut & ipsa est superbia; & eò crudeliùs in animam sævire, quò latentior est, utrumqve sacer codex confirmet. Homo primus in paradiso per unum de ligno vetito esum, multorum, imò omnium factus est criminum reus. In primis enim superbiâ tumuit, & sicut alter angelus apostata similis esse voluit Altissimo. Nam simul ac audivit: *Eritis, sicut dij, scientes bonum, & malum,* (d) mox divinitatis appetens, præceptum, quod acceperat, contempsit, & consequenter ipsam etiam supremam Dei majestatem postposuit. Quod erat enorme scelus, & impietas execrabilis. Tùm verò semetipsum per esum vetiti fructûs unà cum omni posteritate crude-

(a) S. Tho. 1.2. q.77. a.4. ad 2. (b) 1. q.84. a.2. ad 3. (c) 2.2. q.153. a.5. ad 3. (d) Gen. 3. 5.

crudeliter interemit, decreto mortis immutabili omnes objiciendo: quod fuit scelus adeò grande, ut neq; nomen, neq; supplicium ei par inveniri possit; nisi quòd æternâ morte tàm ipse, quàm omnes posteri sint multati. Sed hæc adhuc parva sunt: majora non omittamus. Ipsi Deo rebellis fieri non extimuit, ubi per mandati transgressionem contra Deum manus armavit: *Tulit*, mulier, *de fructu illius*, id est, ligni, *& comedit; deditq; viro suo, qui comedit.* (a) Illud, *Tulit de fructu, & comedit*, tàm erat atrox facinus, quàm exsertis sacrilegis manibus, & aperto ore blasphemo bellum Optimo Creatori denuntiare, & comminando protestari, ac dicere: Nos erimus, *sicut dij*: Nos tibi similes Deo tuam adæquabimus divinitatem: Nos præcepto tuo non obtemperamus. O crimen! ô scelus! ô facinus ullo nomine non explicandum! Quid deinde? Non deerat major contumacia. Vocem Domini vix ut audierunt deambulantis; non jam dignati sunt ipsum audire, honorare, cum reverentia debita tantam majestatem excipere; sed tamquam auctoritatis alicujus prærogativâ tumidi, præsentiam suam Domino subtraxerunt: *Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei.* (b)

4. Expostulanti Domino; *Quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti*; hem, quàm insulsè reponit prævaricator! Nè factum confiteretur, quod tamen negare non poterat, & cum patre mendacii diabolo crassè mentiretur, certis ambagibus flagitium velat, & causam admissi criminis omnem in ipsũ retorquet Deum, cũm mulierem allegat sociam à Domino sibi datam: (c) *Mulier*, ait, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi.* Mulier contrà, serpenti crimen suum imputat: *Serpens*, ait, *decepit me, & comedi.* Jam autem tàm viri, quàm mulieris eò collineabat argumentum, & oratio; culpam ut à se propulsarent, & Deum ipsum transgressionis suæ reum agerent. Vir quidem, ac si palàm diceret:

(a) v. 6.

(b) v. 8. (c) v. 12.

Nisi tu, Domine, mulierem hanc mihi sociam dederas, ego minimè peccâssem. Solus eram constituendus in paradiso, non cum muliere socia. Sed postquam tibi uisum est aliter, feci, quod nolui: auctore te sociam mulierem habeo, auctore te comedi. Mulier autem cùm ait: *Serpens decepit me, & comedi*, quid aliud dicere voluit, quàm hoc obijcere? Age; serpentem callidiorem omnibus animantibus creare non debueras, & ego non fuissem decepta; non comedissem. iste calliditate suâ mihi imposuit; me ad comedendum induxit. Utiqve serpens opus tuum est, non meum. O excusationem impiam! O blasphemiam inexcusabilem! innocentem ut se probaret, Deum Creatorem serpentis accusat: *Serpens decepit me.*

5. Et horum omnium tàm enormium scelerum, quæ singula protoparentes læsæ majestatis reos constituunt, sicut & aliorum, quæ ex uno veluti fonte scaturiunt, & quorum recensere catalogum foret prolixum, etsi superbia quoq; intervenerit, tamen initium fuit superbiæ filia, videlicet philautia, seu amor sui. Quod ne temerè sit assertum, S. Augustinus arbiter accedat; qui rem hanc ita decidit: (a) *Prima hominis perditio fuit, amor sui. Si enim se non amaret, & Deum sibi præponeret, & semper esse subditus vellet: non autem converteretur ad negligendũ voluntatem illius, & ad faciendam voluntatem suam.* Jam quando Sanctus hic Doctor dicit; primam hominis perditionem fuisse, amorem sui, non est dubium, eum asserere velle, philautiam simul fuisse principium omnium, quæ consecuta sunt, peccatorum; puta curiositatis, gulæ; contumaciæ, rebellionis, & aliorum hìc superiùs enumeratorum. Et verò S. Doctoris sententiæ duplex è Sacro Codice subscribit argumentum.

6. *Primum* est, ipsa mulieris coram serpente confessio, dicentis: (b) *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus* lignum scientiæ boni, & mali, *ne fortè moriamur.* Ecce

(a) S. Aug. Serm. 47. in cap. 17. Matthæi. (b) Gen. 3. 3.

causa,

causa, cur non statim comederint de ligno vetito: *Ne fortè moriamur.* Agebatur ipsis de pelle sua; ne scilicet morerentur. Diligebant se, suiq; conservationem curabant magis, quàm mandatum Dei, ejusq; dilectionem. Sed callidus serpens ubi scrupulum, & mortis metum ipsis discussit, *Nequaquam moriemini*, magno statim ausu de ligno vetito comederunt. *Alterius* argumenti vis est in eo; tùm quòd serpens addiderit: *Eritis sicut dij*: ubi sine dubio magis accendebatur animus ad amorē sui. Quid enim ampliùs optare sibi debuerant ad immortalem sui conservationem, quàm esse *sicut dij?* æquales esse Deo? nulli subjectos essè; tùm quòd mulier conjectis in lignum oculis, ut *vidit; quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile*, (a) ex philautia noluit se tàm boni, pulchri, & delectabilis esu ligni frustare; ideòque *Tulit de fructu illius, & comedit; deditq; viro suo, & comedit.* His igitur divinæ Scripturæ testimoniis ita expensis jam constat; veram esse Divi Augustini sententiam, quòd *Prima hominis perditio fuit amor sui.*

7. Enim verò, quòd idem amor sui crudeliùs in animam sæviat, quàm mater ejus superbia, vel indè patet: quòd superbia plus non agat, quàm quòd supergrediens regulam rationis, inordinatè appetat excellentiam: sivè quòd respiciens defectum subjectionis ad Deum, (ut docet (b) S. Thomas) secundùm quod aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundùm divinam regulam, vel mensuram. Quæ superbiæ descriptio satis ostendit; hoc saltem in ejus esse proposito, quòd hominem velit (inordinatè licèt) excellere, & esse plus aliquid, quàm est, & quàm esse possit; & quò adnitatur eò semper evadere, quò quædam animi provocat magnitudo, nec unquam patiatur ad infimum usq; succumbere. Amor autem sui non ita. Quærit quidem & ipse quamdam excellentiam: sed intereà propter propositi sibi finis conse-

(a) v. 4.

(b) S. Thom. 1. 2. q. 84. a. 2.

cutionem infimis, vilissimis, ac sordidis rebus subijcere se, vilissimumq; fieri mancipium minimè refugit, & antequam animam occidat, vinculis terrenarum rerum, & cupiditatum fœdè mancipatam in turpem redigit servitutem. Quæ crudelitas est maxima, priùs inter vincula diu, miserabiliterq; cruciare, posteà tandem occidere. Cujus sævitiam auget ipse quoq; ad vincula, & ad cædem procedendi modus. Amor enim sui semper obtendit blanditias, & semper sævam tyrannidem exercet. Sævit, dum blanditur; dum amat, odit; dum salvat, perdit. Rem ipsa divina Veritas magis elucidat, cùm ait: (a) *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Et alibi: (b) *Qui amat animam suam, perdet eam.*

8. Igitur amor sui, gravissimum est odium sui. Nam ubi homo per multa carnis commoda fovere studet animam, & servare, ibi illam crudelissimè perdit. Sic enim amare, est inordinatè, malè, & perditè amare: uti rectè S. Augustinus ait: (c) *Si malè amaveris; tunc odisti.* Et S. Joannes Chrysostomus idipsum clariùs exponens ait: (d) *Amat animam suam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit.* Sensus horum Doctorum eò tendit, ut doceant; Amorem sui non aliud esse, quàm aut scopulum sub placidis undis occultissimum, & certissimum adferre naufragium animæ inter vitæ præsentis oblectamenta miserè pereunti; aut blandum sicarium continuè sub specioso dilectionis pallio sicam in necem animæ paratam circumferentem, tandem crudelissimè perimentem: verè, *si malè amaveris, tunc odisti.* Undè sequitur insuper actus alius, quem philautia subdolè palliat, obtegitqve. Dum enim videtur totum hominem amare, non amat, nisi partem hominis unam; & quidem viliorem, infimam, nihil à bellua differentem: corpus, inquam, seu carnem caducam, morti, putredini, & vermibus destinatam. Hanc amor sui fovet, nutrit, & delicatiùs habet. Animam verò, partem homi-

(a) *Matth.* 16. 25. (b) *Joan.* 12. 25. (c) *S. Aug. Tra.* 15. *in Joan.* (d) *S. Jo. Chrys.*

hominis nobilissimam, immortalem, gratiæ, luminis, & donorum cœlestium participem novercali persequitur odio, negligit, deserit, & ita miserrimè perdit.

9. Jam consideret unusquisqve; an non sit hæc immanis philautiæ crudelitas, solam perituram nutrire carnem, animam fame interimere? carnem caducam diligere, animam immortalem, quæ vera Dei imago est, odisse? Imò quod crudelius est, & sceleratius; ob unam corporis curam, & amorem, etiam ipsum Deum, qui animæ vita, & totum hominis bonum est, aufert, eripitqve. Benè propterea religiosissimus quidam Asceta: (a) *Non amavi*, inquit, *animam, quod præcipuè sum; sed solùm corpus, quasi solum essem corpus, quod non sum. Vt amarem partem mei, non amavi me totum; & quod sceleratius, non amavi id, quod mihi est totum, Deum.* Sapientissimè dixit. Nam seipsum qui amat, certè totum se non amat; sed neq; Deum amat. Deniq; Tautologica de amore sui ne fastidium creet Oratio, Divus Augustinus, quàm sit philautia potiùs odium sui, quàm amor; & odium sui sit veriùs amor sui, quàm odium, doceat: & totam hanc ratiocinationem cum ista claudat emphasi: (b) *Nescio, quo inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum, amat, non se amat. Et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utiq; amando se.*

§. III.

Propria voluntas, alius religiosæ vocationis scopulus occultissimus.

1. Amorem sui dictatorem voluntatis propriæ qui dixit, nihil aberravit à vero. Nam sicut ille religiosæ vocationi totus est ex insidiis, sic ista ex philautiæ imperio non minùs habet in placidè crispanti pelago latebram, scopulus adeò perniciosus, ut in hunc ubi Religiosus impegerit, jam in abyssum inferni sit immersus; ut non immeritò Divus Bernardus moneat: (c)

(a) *Gvilielm. Stanihurst. in quotidiana milit. Christian. tessera. die 5. Maij. num. 3.*
(b) *S. Aug. Tract. 120. in Joan.* (c) *S. Bern.*

Cesset

Cesset propria voluntas, & infernus non erit. Et profectò dictū sapientissimè. Nam superbia, & amor sui, quamvis & ista religiosam animam subvertant, adferunt tamen nescio quid caduci, momentaneiqve solatii; solatium illud, quod in Deo, & de Deo est, solumqve verum, & beatum est, impedientis, ac penitùs auferentis. At voluntas propria tàm crudelis, & trux tyrannus est, ut vel inter ipsa solatia consolationem nec adferat, nec admittat ullam; cruciet verò mentem assiduè, verè dyscolum, & intractabile malum. Semper desiderat, acquiescit nunquam. Non habita, quia non habentur, affligunt; acquisita, vel quia non satiant, torquent; vel quia non jam placent, exasperant; vel quia propositum fallunt, discruciant. Prorsùs voluntas propria saxum est, ad quod allisus animus, suaq; navi excussus, perpetuum instar Promethei ad Caucasum alligati sustinet vulturem; qui cor laniet, voret, sed nunquam devoret. Ad tale damnatum se credat cruciamentum, quisquis in hunc scopulum propriæ voluntatis impegerit Religiosus.

2. Et quidem Superiorem habet Religiosus, & regulam. Hæc ubiq; Superioris agit partes; ille pro regula totus arbiter, imò custos, excubat. Hunc audire, illam sequi quamdiu non detrectas, securè navigas, nulli periculo, nulli scopulo, nulli naufragio obnoxius. Hinc rectè Divus Hieronymus, ut Monachum quemdam benè formaret, sic illum per Epistolam compellat: (a) *Non facias, quod vis: comedas, quod juberis; vestiare, quod acceperis: operis tui pensum absolvas; subjiciaris, cui non vis; lassus ad stratum venias, ambulansq; dormites; & necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas Psalmum in Ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo:* Psallam spiritu, psallam & mente; & cantantes in cordibus vestris Domino. *Legerat enim esse præceptum*: Psallite sapienter. *Servias fratribus; hospitum laves pedes; passus injurias, taceas: præpositum monasterij* time-

(a) S. Hieron. Ep. 4.

timeas, ut dominum: diligas, ut parentem: credas tibi salutare, quidquid ille præceperit. Nec de majorum sententia judices, cujus officij est, obedire, & implere, quæ jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël, & tace. Quibus ita præscriptis, concludit deniqve: *Tantis negotijs occupatus, nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio transis ad aliud, opusq; succedit operi, illud solùm mente tenebis, quod agere compelleris.* Hucusqve S. Hieronymus egregium agit Religiosi didascalum. Cujus omnes sententiæ, & verba licèt ex una quidem parte maximè impugnēt otium; ex altera tamen huc præcipuè spectant, ut Religiosum à propria voluntate quàm longissimè avocent; dum ipsū ad Superioris, & Regulæ præscriptum in victu, in vestitu, in somno, in vigilia, & omni demùm opere jubet, quod ipse non vult, facere: sed id omninò, quod ex alterius arbitrio faciendum jubetur. Et in hoc universa religiosæ vitæ securitas est. Ab hac regula in voluntatem descivisse propriam, certum periculum, & ruina est.

3. Enimverò ut omittamus alia, quæ propriam voluntatem exitiosæ damnant perniciei, Sanctum Bernardum acerrimum propriæ voluntatis impugnatorem audiamus. Hic postquam ejus indolem graphicè depinxit, docuitqve: nihil aliud à Deo puniri magis, quàm hoc vitium, mox, ut ejus exponeret malignitatem, ad quatuor ejus præcipuas quasi proprietates explicandas in hunc sese modum expedit, dicitqve: (a) *Porrò voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant, & timeant servi propriæ voluntatis. Primùm subtrahit semetipsam, & subducit ejus dominatui, cui tamquam auctori servire debuerat.* Ex quibus verbis hoc elicitur; propriam voluntatem hanc condidicisse contumaciam ab avia sua superbia, accipere verò à dictatore simul & matre philautia; ut nulli, ne ipsi quidem Optimo Creatori velit subesse; nec aliud, nec aliter, quàm quod, & sicut, eligit ipsa, facere. Summa impietas, & pertinacia! quam nec regula mollit,

(a) *S. Bernard.*

nec

nec Superior frangit, sed in interitum præceps ruit. *Secundò* (prosequitur Claravallensium pater) *etiam, quod in se est, omnia, quæ Dei sunt, tollit, & diripit: dico fiducialiter.* Hìc notatur vis, & energia propriæ voluntatis; cujus malignitati non sufficit, facere mala; nisi & bona, quæ Dei sunt, & quæ ad Dei laudem, honorem, & gloriam pertinent, tollat; eaq; convertat in malum, & tamquam veneno imbuta, Deo reddat exosa; uti sunt jejunia, carnis afflictationes, orationes, & alia his similia bona opera.

4. Expostulant cum Domino Deo apud Evangelicum Vatem Judæi, quòd eorum jejunia, & aliæ corporis afflictationes aspiciantur minimè, nec in ullo penitùs habeantur censu: (a) *Quare jejunavimus,* inquiunt, *& non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescisti?* An ideò non aspiciuntur, nec sciuntur eorum jejunia; quia latrones, homicidæ, sicarii sunt? Non equidem. An quia superbi, arrogantes, elati sunt? Nequaquam. An quia gulosi, luxuriosi, avari sunt? Equidem hæc omnia contumax illa Judæorum gens, & Deo semper refractaria catenatim secum trahebat vitia; nec tamen ipsis hæc exprobrantur, tamquam ob ista non habeant ipsorum afflictationes in Dei conspectu locum. Sed quid? Audiamus responsum ad propositum. *Ecce,* inquit, *in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra* propria. Ideò non aspexi, nec scivi jejunia vestra: quia in his inventa est propria *Voluntas vestra.* Et paulò inferiùs idem ipsis exponitur disertiùs: (b) *Numquid tale est jejunium, quod elegi: per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput tuum, & saccum, & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino?* Non hoc, ô popule Judæorum, non. Sed *dissolve colligationes impietatis.* Nimirùm hoc est, quod jejunium vestrum, saccus, & cinis, apud Deum in nullo sunt censu. Quia voluntas vestra propria, quæ est quædam col-

(a) *Isa.* 58. 3.

(b) *v.* 5.

ligatio & catena omnis impietatis, sanctis adeò se intermiscet operibus; hæc suam in opera bona vestra tyrannidem exercet, ea conspurcat, obscurat, & in conspectu meo reddit abominanda.

5. Sed ad S. Bernardi sermonem redeo. *Tertiò*, inquit, *nemini, qui sit in propria voluntate, posset totus mundus sufficere.* Et hâc Sancti Patris sententiâ confirmatur, quod superiùs à me dictum est; immanem propriæ voluntatis in eo præcipuè tyrannidem exerceri; quòd vel inter ipsa solatia consolationem nec adferat, nec accipiat ullam: cruciet verò mentem assiduè, nunquam contenta, quieta nunquam, semper affligens, & semper afflicta. Inter hæc autem *Addit adhuc quartum* (prosequitur Doctor mellifluus) *& ipsum, quod in ipsa est, punit Deum*, (ò dictu horrendum!) *punit Deum voluntas propria. Omninò enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire.* Et potest hac major impietas, & malitia inveniri? Diabolus ipse jam in ignem æternum condemnatus, odio contra divinam justitiam continuo flagrans, majorem hac malignitatem vomere non potest. Undè concludit deniqve S. Bernardus, & propriæ voluntatis indolem ita denuò depingit: *Vult ergò eum non esse Deum. Crudelis sanè, & exsecranda malitia! quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam, perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. Hæc immundissima lepra animæ, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam.*

6. Jam ex hac Sancti Patris Oratione si non aliud notandum esset ad propriæ detestationem voluntatis, hæc duo certè maxima sunt: quòd usq; ad oppugnandam *Dei potentiam, justitiam, & sapientiam* se armet: & quòd etiam opera bona destruat, eaqve coram Deo faciat abominanda. Et illo quidem primo si non superat, certè tamen æquat malignitate diabolum: altero verò despoliat, & nudat animam omni

omni quantumvis sancto opere, ita, ut hominis religiosi vigilantia, jejunium, oratio, solitudo, carnis afflictatio, ciliciũ, & quidquid aliud exerceri boni operis ab ipso potest, si sit ex propria, & cum propria voluntate, nequaquam inter virtutes, & opera laudabilia, Deoqve accepta, censeri possit. Audet enim, ac dicit iterum S. Bernardus de Monachis propriæ voluntatis in hæc verba: (a) *Vereor, ne inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera Sponsus; eò quòd non redoleant lilia. Etenim si in die jejunij mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Sponsus; nec sapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de jejunio, sed & de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, idipsum sentio. minimè prorsùs observantias, etsi bonas, in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes, censuerim deputandas: sed audiet à Propheta, qui ejusmodi est: Numquid tale est obsequium, quod elegi? dicit Dominus. In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ. Grande malum propria voluntas. Quia fit; ut bona tua, tibi bona non sint.* Hucusq; S. Bernardus. Qui si de bonis operibus adeò severam, at justam, & sacræ Scripturæ consentaneam, tulit sententiam; ea videlicet per voluntatem propriam ex bonis fieri mala; quid dicturum fuisse putamus, aut quid etiam nunc diceret de operibus iis, quæ Religiosus audeat facere contra expressum Superioris, aut regulæ vetitum, tamquam ex proposito voluntatem Præpositi, vel regulæ præscriptum infringendo voluntariè. An pervicaciam ejusmodi non solùm ex voluntate propria, sed & ex malitia, non solùm S. Bernardus, sed quicunqve bonus alius Religiosus probâsset, vel probaret? De nostri sæculi Religiosis, quibus etsi virtus, & observantia regularis est cordi, non tamen ausim quidquam concludere. Jam enim passim locum suum habent certi

(a) S. Bernard. Serm. 71. in Cant.

certi respectus, si non etiam animi quædam abjectio, quam pusillanimitatem vocamus. At de S. Bernardo possum promittere; ipsum in omni contumaciæ casu, nullo prorsùs habito respectu, non tantùm acrioribus verbis, sed etiam rigidioribus pœnis, fuisse fulminaturum.

7. Jam verò mirum non est; propriam voluntatem in eam effrenari malitiam. Quia si Deum esse non vult; si potentiam, justitiam, & sapientiam Dei ferociẽs oppugnat; quomodo Superiorem, & regulam non contemnat? Voluntate propria Religiosus ebrius, assiduâ capitis quâdam laborat vertigine: bibit animi dulce venenum sine mensura; & bibit ideò: quia totus jam ebrius, quid agat, vel quid agere conveniat, non videt, ne ipsam quidem ipsius sui perniciem, & exitium. Quam in rem egregiè Balduinus: (a) *Amor*, inquit, *propriæ voluntatis, vinum est mentem inebrians, & omnes sensus ejus perturbans, ut puta auditum, ne audiat obedientiam; oculos discretionis, ne videant* * *vanitatem; cæterosq; sensus suis officijs destituit, in medio eorum miscens spiritum vertiginis. Vinum propriæ voluntatis eliquatum est, & expressum in torculari inobedientiæ, & uva acerrima, quam comederunt patres nostri, & dentes filiorum obstupuerunt.*

8. Sanctus autem Anselmus propriam voluntatem appellat venenum, pestem, (& est verissimum) imò vocat eam, ipsam mortem; sed quæ præ mentis insania non advertitur, quin potiùs amatur. Ipsius Sancti verba recito: (b) *Propria voluntas*, inquit, *cuidam herbæ venenosæ, atq; mortiferæ assimilatur: quam medicus peritissimus interdixit primis parentibus comminans: quia si ex ea comederent, leprosi effecti procul dubio perirent. At illi præceptis ejus obedire noluerunt; sed ex eadem herba comederunt, Vndè & leprosi effecti, leprosos quoq; filios genuerunt; atque ut medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filij licèt agnoverint, patres suos illâ herbâ infirmatos fuisse, & mortuos, seq; ipsos leprâ percussos, & morituros; eandem*

(a) *Balduin.* * *fortè legendum: veritatem.* (b) *S. Anselm. lib. de Similit. c.* 38.

tamen herbam super omnes alias diligunt, indèq; cibos universos suos condiunt; manè quoq; surgentes ex eadem quasi pro medicamento accipiunt. Hi igitur quàm sint dementes, omnis, qui audit, advertere potest. Sed nec minùs dementantur, qui propriâ voluntate utuntur. Ipsa est enim herba diaboli venenosâ suggestione venenata, & omnibus eâ utentibus pestifera. Hanc Deus, qui nostris medetur peccatis, primis humani generis parentibus interdixit, cùm eos comedere pomum sub mortis comminatione prohibuit. Quia præceptum ejus transgressi ex eo comederunt, mox peccatores effecti, & in anima mortui postquam alios peccatores genuerunt, & ipsi carne mortui sunt; homines tamen eandem voluntatem præ cæteris diligunt, & eam immiscent omnibus pœnè, quæ agunt. Nihil itaq; istis dementius, quàm quòd nihil utantur suâ morte libentiùs. Hucusqve S. Anselmus. Qui dum omnem Adæ posteritatem propriâ voluntate utentem maximè dementare asserit, profectò Religiosum hoc infectum pestifero veneno, multò minùs sapere asseverârit.

9. Huc etiam collineâsse, in eandemq; sententiam ivisse, certum est, Venerabilem Instituti nostri Patriarcham. Qui de obedientiæ voto regulam præscribens sic orditur: (a) *Dicente Christo Domino Servatore nostro: Non veni facere voluntatem meam, &c. genus maximæ stultitiæ videbitur, si quis in nostra Congregatione voluntatem propriam facere præsumpserit.* Et rectè inter alia vitia voluntatem propriam vocat *Genus maximæ stultitiæ.* Nam cæteris imbecillitatis humanæ miseriis, & ineptiis, in quas impingimus Religiosi, non est dubium, quin semper interveniat aliqua stultitia, animi videlicet à recto deviantis error. Sed obedientiæ voto stare nolle, Superiori Dei vice præcipienti, & regulæ repugnare; potestati, quæ nonnisi à Deo est, resistere; & ipsi Deo quodammodò contravenire, ac rebellem esse, suamq; propriam sequi voluntatem, & judicium, quod nullâ ratione potest divinam potentiam superare, verè stultitiam omnem aliam superat, & est

(a) *Constit. P. 2. c. 2.*

verè

verè *Genus maximæ stultitiæ.* Quia Spiritus Sanctus per Salomonem ait : (a) *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sed solus *Vir obediens loquetur victoriam*, protestatur idem Spiritus Sanctus. *Vir autem impius*, pertinax, & propriæ voluntatis, *procaciter obfirmat vultum suum*, ut Deo quidem rebellionem, Superiori verò solicitudinem, & anxietatem, sibi pœnam consciscat. Hinc rectè S. Augustinus: (b) *Sola*, inquit, *obedientia tenet palmam; sola inobedientia invenit pœnam.*

10. Propterea non sine causa magnus ille multorum in Christo Pater Monachorum S. Antonius (uti legitur in Vitis Patrum) monasticam vitam profitentibus hoc inculcabat: (c) *Si fieri potest; quantos passus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella, declaret Superioribus; ut à recto non deviet.* Ex quo Religiosus unusquisq; colligat; Nec hodie quidem, si viveret in terris, ab ipso tàm rigidam requireret disciplinam, ut singulos passus, quos ambulat, declararet Superiori; cùm hoc ad praxim deduci non possit; ideòqve Sanctus idem Magister Eremitarum non dixit absolutè, ut hoc fiat : sed, *si fieri potest*; id est. quantum positum est in boni Religiosi observantia, modis omnibus adnitatur, ne passum quidem unum facere sine Superioris scientia, & facultate. Quod tunc ritè fit; quando in cella sua honestè occupatus, adit neminem ad cum aliquo, (seclusâ necessitate) colloquendum; vel curiosiùs aliquid investigandum; vel ad aliquid accipiendum, & id genus alia. Sed sciat de passibus ejusmodi faciendis, & facultatem impertiat Superior; & tunc extra culpam, imò cum merito, fiet collocutio, nec cujuscunqve negotii, modò non culpabilis, agitatio imputabitur ad culpam.

11. Quo in genere obediendi, propriamqve voluntatem, ac judicinm suum, minimè sequendi, singulariter eminuit de primis nostris ex gente Polona Patribus, adhuc vivente Venerabili Patriar-

(a) *Prov.* 21. 30. 29. (b) *S. Aug. Serm. in Psal.* 70. (c) *S. Anton. in Vit. Patr.*

châ Noſtro, P. Caſimirus à Conceptione B. V. Mariæ. Hic Podolinii tunc agens circa annum Domini 1644, usq; ad annum 1650. ad prima Domûs Podolinienſis fundamenta juventuti noſtræ Religioſæ Præfectus, ſubindè mittebatur Lubloviam, vel ad vicinius oppidum Cniſna dictum, pedes; eò quòd temporibus illis nec equorum, nec vehiculorum ad unius, alteriusvé milliaris Germanici iter fuerit uſus Religioſis noſtris. Igitur contingebat, ut redux ab itinere benè feſſus, ac ſudans, inferioris Rusbach tranſiens villam, à loci Parocho Stanislao Snieſzkowic, in domum noſtram Podolinienſem beneficentiſſimo, ſtante præ foribus domûs Parochialis invitaretur ad divertendum, & ad vires ex itinere pedeſtri feſſas exiguo ſeu vini, ſeu cereviſiæ pocillo reficiendas. Offerebat ipſi charitatem hanc crebriùs ille Parochus: ſed nunquam hoc à bono Patre potuit impetrare, ut vel diverteret, vel aliquo cibo, ſeu potu vires inſtauraret, ſemper reſpondente: ſe facultatem ad id non habere: & ita obiter ſalutato viro humaniſſimo viam ſuam proſequebatur.

12. Contrà de quodam ex Religioſis noſtris in Italia; audivi jam tunc in Religione tyro: qualiter uno, vel altero ante Venerab. Patriarchæ noſtri Joſephi à Matre DEI obitum anno, miſſus ab eodē (ſi non fallor) in Siciliam, an Neapolim? præmonitusqve, imò prohibitus, ne ex via diverteret ad parentes ſuos, ſed rectâ navigaret ad præſtitutū ſibi locum; ſecùs fore, ut à piratis in mari capiatur: ſed ipſe neglectâ Patris admonitione, ſeu poſtpoſito mandato; fecit nihilominùs, quod propria voluntas, & judicium ſuggeſſit. Factum igitur eſt; ut captus à piratis ad Sarracenos in ſervitutem abduceretur. Pro quo poſteà redimendo fiebat per Provincias, & domos noſtras omnes contributio, me tunc in tyrocinio exiſtente, & epiſtolam in hac materia ſcriptam ad P. Joannem Dominicum à Cruce Podolinienſis noſtræ Domûs co-

tem-

tempore Miniſtrum publicè legi audiente. An autem redemptus fuerit, præſertim in illo Ordinis noſtri turbido ſub Innocentio Papa, X. & jam duobus poſt obitum Venerab. Patris noſtri Fundatoris annis, non mihi conſtat. Satis eſt, Patrem illum captivum in ſcopulum propriæ voluntatis impegiſſe graviter, non unum, ſed plurimos paſſus absqve Superioris facultate progreſſum. Factumq; eſt illi, quod ſuperiùs ex S. Auguſtino dictum eſt; quòd *ſola inobedientia invenit pœnam.* Sed ego ad S. Antonii redeo monitum.

13. Quod dixit Sanctus ille Pater: *Quot calices aquæ bibit in cella ſua Monachus, declaret Superioribus, ut à recto non deviet*; equidem priſcis illis temporibus non erat ullius ſcrupuli, in cella ſua paratam aquam habere ad bibendum, cùm opus fuerat; præſertim quòd diſtinctis, & procul ab invicem diſtantibus habitarent Monachi cellis in eremo; nihilominùs facturos fuiſſe perfectiùs; ſi ad ſingulorum calicum uſum aquæ Superioribus ſuis id declaràſſent, ne deviarent à recto. Jam ſi Religioſus hodie pro libito ſuo ſive in cella, ſive alibi, domi, vel extra domum, ſine facultate Superioris non jam aquam, ſed vinum, & quidem primæ notæ (quomodo acquiſitum, novit ipſe meliùs) ſed liquorem alium pretioſum, ſed ipſum etiam cerealem (qui communis omnibus eſt in patria noſtra) potum in cella ſibi ſervet occultum: hìc, vel etiam alibi, propriâ voluntate bibat contumaciter judicio ſuo nixus, an non à recto deviat? Permultum equidem: & jam propriæ voluntatis ebrius liquore peſtifero, ſequitur errorem non facilè corrigendum. Qvia toxicum hoc propinante diabolo hauſtum profundas agit veneni ſui radices, non niſi divinæ miſerationis, & gratiæ peculiaris prodigio propellendum, egerendumqve.

14. Quàm autem hujusmodi proprietarii gratum præſtent obſequium ſtygio veteratori, Beatus Dorotheus ad hoc

hoc propositum narrat: Monachum quendam à diabolo dilectum singulariter fuisse, ab eoq; cæteris antelatum, eò quòd nollet à Superiore gubernari. Cui quidem exemplo mox subdit Sanctus ille Pater, ac dicit: (a) *Tales diligit*, diabolus, *atq; his maximè delectatur, qui sine duce sunt; non his, qui se summittunt ei, qui post Deum auxilium præstare potens est, & manum dare. Neq; enim diabolus ille cunctos adeundi potestatem habuit, cùm illum Sanctus Pater reperit tot potiunculas, & pigmenta, tot alabastra circumferentem, non omnibus propinavit.* &c. &c. *Infelicem illum unum invenit, qui seipsum regeret, & instrueret; qui nullum haberet coadjutorem; quemqve, ut voluit, ludo habuit; discedensq; soli gratias egit, cæteros omnes detestatus.* Ita B. Dorotheus. Undè liquet; Religiosos, qui excusso sanctæ obedientiæ jugo, quoniam nec Deo, nec Superiori voluntatem suam volunt summittere, in cibo, in potu, & in cæteris ad corporis commoditatem pertinentibus sibi prospiciendo, dominum, & patronum habere cacodæmonem, quotidie novas artes, quibus Superiores, & regulæ præscriptum possint eludere, suggerentem. Nec possunt jam aliter sustentare vitam hi, quos vinctos propria voluntas attinet, quàm clandestinis, & subdolis artibus, ut commodis suis prospiciant, cuticulamq; curent, & quotidie culpis, ex quibus impostor Stygius oblectamentum habet, se intricent. (b) *Est enim pessima* (Galfridus ait) *mater, voluntas propria: cujus sunt duæ filiæ non degeneres, iniquitas, & voluptas. Hæc animam inquinat, illa contrahit, & quodammodò rugat.*

15. Sed parùm sit dictum; animam propriæ voluntatis, inquinari voluptate, iniquitate verò contrahi, & quodammodò rugari. Plus est, eam aveneno pestifero (sicut jam alibi dictum est) infici; pestem exitiosam bibere; mortem sibi per exsecrandam dulcedinem adferre; &, quod exsecrabilius est, ebriam propriæ voluntatis insaniâ sine gubernatore se navigationi committere; in ipso pelagi sævi-

(a) *B. Dorotheus doctr.* 5.

(b) *Galfridus.*

entis alto ad ſcopulum miſerabiliter allidi; naufragium facere, interire. Quod horrendum animæ diſcrimen, etſi plerumqve ſoleant incurrere illi Religioſi, quos aut ſcientia inflat; aut arrogantia ſupra meritum extollit; aut diuturnitas inter emeritos numerat; aut conſvetudo mala contumaces efficit; aut hominum adulatio cæteris anteſert; aut alia, neſcio quæ, præſumendi ratio privos habere quærit; juvenibus tamen, & tyronibus hoc ſaxum præcipuè vitandum eſt: aliàs haud dubiè, miſerè perituris; niſi Superiori ſuo totos ſe credant, & in ejus manum voluntatem ſuam tanquam lembunculum in hujus vitæ ſalo meliùs à nemine, quàm ab hoc nauclero gubernandũ per omnia tradant.

16. Ideoq; pro Capitis hujus coronide vellem quidem eo ſpiritu, quo Sanctiſſimus olim Claravallenſium Pater Divus Bernardus tyrones ſuos ad propriæ voluntatis adhortatus eſt deteſtationem; vellem, inquam, eodem vivo & efficaci ſpiritu compellare Tyrones, ac juvenes noſtros omnes: Sed quia procul abſum à tanti Patris indole, virtute, & vivo perfectionis, ac diſciplinæ religioſæ, quo ille prælucebat, exemplo; verba ſaltem illius pro imbecillitate mea ſubſtituo. Loquantur illa, vel potiùs loquatur per illa vobis, ô juvenes, ad cor Spiritus Sanctus; Vos audite: (a) *Obſecro vos, novellæ plantationes Dei, qui nondum exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni, & mali: nolite ſequi cordis veſtri judicium; nolite abundare in ſenſu veſtro; ne vos tanquam rudes adhuc verſutus ille venator decipiat, Nam ſilveſtribus illis, & omninò beſtialibus beſtijs (ſæculares homines loquor) apertos ſatis expandit laqueos, utpotè, quos facilè capiendos eſſe non dubitat. Vobis autem, qui tanquàm prudentiores cervi ſerpentes necatis, & deſideratis ad fontem vivum, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit. Vndè obſecro vos; humiliamini ſub potenti manu Dei paſtoris veſtri, & acquieſcite eorum conſilijs, qui meliùs nôrunt venatoris illius verſutias, edocti diutur-*

(a) *S. Bern. Serm.* 3. *in Pſalm. Qui habitat in adiut.*

no longi temporis exercitio. & crebris experimentis tàm in se, quàm in multis.

CAPUT X.

§. I.

Pecunia religiosi spiritûs, & vocationis, est fur.

1. Quæ superiore Capite de Superbia, de amore sui, & de propria voluntate dicta sunt, ac demonstrata, quàm vehementer faciant ad religiosæ vocationis eversionem; ad ea videtur etiam pertinere pecuniæ pro corporis commoditatibus assectandis conquisitio: ideòqve satis erat eidem Capiti de pecunia paragraphum addidisse; eò quòd sinè pecunia vix aliquid haberi possit ad philautiæ, voluntatiq; propriæ obsequendum. Qvia tamen commoditatum ejusmodi procurandarũ nervus pecunia, peculiarem, amplioremq; requirit considerationem, quàm possit uno concludi paragrapho: ideò super hac materia Caput à Superiore distinctum hìc visum est instituere. Igitur pecunia sicut omnium vitiorum, de quibus egimus, hucusqve, nervus est certissimus; ita spiritum, vocationemqve religiosam ipsa suffuratur adeò, ut, cùm ejus clandestinæ possessioni vel modicum adhæserit Religiosus, citiùs se jam captum, illaqueatumq; miser experiatur, quàm ad ejus aliquam notabilem pervenerit quantitatem, omni spiritu, desiderioq; sincerè Deo serviendi destitutus, in claustro corpore tantùm & habitu; sed spiritu, moribusqve totus alius, & alibi, non tàm cum sæcularibus professione, quàm cum ganeonibus, & perditis, ad quorum consortium aspirat, helluonibus.

2. Nec enim alium finem (uti paulò pòst dicetur) habet ista pecuniæ tàm avida collectio sibi propositum, quàm aut in claustro perditè vivere, aut eo deserto pessimum vitæ genus, homine Christiano, nedum Religioso, prorsùs indignum sectari. Quidquid sit de aliis, quæ sibi svadente malo dæmone præstituit, peculator iste,

iste, propositis. CæterùmCassianus eam pecuniæ collectionem appellat philargyriam; quasi dicas, ex Græco videlicet, amorem argenti, famem, & aviditatem. Et quod nos auri famem Latinè pro omnis pecuniæ cupiditate accipim9; hoc Græci philargyriam vocant: sicut etiam apud Latinos omnis pecuniæ species, æris nomine communiter vocatur; ut cùm dicimus: est potens ære; ære obstrictus alieno; cujuscunq; pecuniæ speciem, sivè auream, sivè argenteam, sivè æneam, intelligimus; sic apud Græcos argentum obtinet. Philargyriam autem nos Religiosi communiter proprietatem dicimus, vitium paupertatis voto è diametro repugnans, & gravibus pœnis obnoxium.

3. Sed ad propositum ut redeam; pecuniæ fulgor habet, nescio quid fascini, hominum corda rapientis in amorem sui, ut propterea Sancti illi primi Patres, & cultores Eremi, atq; ascetæ, semper eam spreverint, detestatiqve sint; discipulis autem suis cane pejus, & angve fugiendam inculcaverint, nec tangendam permiserint, nisi uni, cui necessaria providere claustro incumbebat; non ignari, quanta sit pecuniæ vis ad deturbandos animos religiosos à studio perfectionis. Hinc betus Barlaam roganti Principi Josaphat, ut pro se aliquid pecuniæ in victum, & vestitum impendendæ acciperet, qui Sodalibus Eremitis nihil acceperat, renuit, ac respodit: (a) *Si pecuniarum possessio bona esset; illis certè antè meas impertijssem. Quoniam autem exitiosam earum possessionem esse scio; nec illos, nec me hujusmodi laqueis implicabo.*

4. Quàm verò noxia sit Dei servis hæc, de qua nunc agimus, philargyria, seu amor pecuniæ, & aviditas, nemo perspexit meliùs, neq; efficaciùs, quàm incarnata Dei Sapientia Christus ipse; qui propterea, dum ad prædicandum Evangelium suos expediret Discipulos, ipsos omni pecuniæ possessione penitùs interdixit: (b) *Nolite*, inquiens, *possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis* in marsupiis,

(a) *Barlaam citat. à Cornel. Com. in Matth. c. 10. v. 8.* (b) *Matth. 10. 9.*

aut crumenis, *vestris*; jam tunc innuere volens, tàm Apostolos, quàm omnes eorum postea sequaces, uti fuerunt deinceps, hodieq; sunt Religiosi voto paupertatis obstricti, non esse debere pecuniæ cupidos, multò minùs etiam clandestinos, instar Judæ Ischariotæ possessores; eò quòd sciret perfectissimè; quàm venenosa, & illaqueandis, atq; captivandis hominum animis apta sit pecunia. Quare S. Franciscus Ordinis Seraphici Patriarcha, religiosæ verò paupertatis vivum exemplar, dicere (teste (a) S. Bonaventura) solebat: *Pecunia servis Dei nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.* Et est verissimũ. Ut enim diabolus per certas illecebras, & serpens venenosus, instar furis insinuat se, & inficit, hic quidem corpus, at ille animum; ita pecunia Dei servorum mentibus sese inserit, eas inquinat, suffuratur, & subtrahit Deo Creatori; tàmqve tyrannicè cor eorum possidet; ut ex ejus servitute vel difficilè, vel nunquam, possint liberari.

5. Undè præclarè S. Cyprianus in Sermone quodam, & patheticè perorat, docetqve; quanta sit pecuniæ vis ad cor illaqveandum, & à recto tramite in servitutem transversam miserrimè pertrahendum; & ubi se putat animus possidere pecuniam; ibi tyrannicè obsidetur, & possidetur à pecunia. Dicit igitur: (b) *Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebræ, & recedente indè lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda avaritiæ caligo cæcavit. Pecuniæ tuæ captivus, & servus es; catenis cupiditatis, & vinculis alligatus es; & quem jam solverat Christus, denuò vinctus es.* Quæ Sancti Patris verba planè conveniunt Religioso, quem postquam Christus ex sæculi vinculis expeditum solverat, & ad Dei suavem allectum servitutem, in libertatem filiorũ Dei asseruit, ipse pecuniæ cupiditate victus, commodis suis ut prospiciat, iterum vinculis antiquis se miser inserit, & ut nummorum sibi copiam corroget, non ducit sibi Religioni vel de patrimonio,

(a) S. Bonav. in vita S. Francisci c. 7.

(b) S. Cypr. Ser. 1. de Eleem. ante med.

vel aliundè suffurari; vel à parentibus, consangvineis, aliisqve beneficis impetratam pecuniam, aut etiam ultrò sibi oblatam in clandestinos reponere loculos, apud sæculares amicos depositam servare; sed in perniciem suam, ut rectè Sanctus idem Præsul prosequens orationem suam ait: *Servas pecuniam, quæ te servata non servat. Patrimonium cumulas*, (addamus nos: argentum, & aurum, quâ fraude, arte, & furto, conquesitum, tu nôsti meliùs, congregas) *quod te pondere suo onerat*, conscientiam premit, animam perimit.

6. Itaq; miser philargyrus eam pecuniæ collectionem malo suo cumulat, & servat; & qui paupertatem vovit, dives opinione suâ, & habendi cupiditate, fur, & sacrilegus, cuticulam curare, corpusqve servare pergit; intereà tàm corpus, (uti contingit sæpiùs) quàm animam pecuniâ ligatam perdit. Cui meritò singulis momentis occlamitat iterum S. Cyprianus: (a) *Quid facit in domo fidei perfidum pectus?* Quid facit in domo religiosa tàm impium, & tàm enorme sacrilegium? *Pecuniæ tuæ captivus, & servus es; catenis, & vinculis alligatus es. Quem jam solverat Christus à* sæculi vanitatibus, & cupiditatibus, *denuò vinctus es*.

(a) Idem ibidem.

7. Hunc cordium, & mentium humanarum fascinum, etiam religiosarum, fascem durissimum Majores nostri, Instituti Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, tanquàm primi lapides fundamenti ut à se amoverent, pecuniam, excepto Superiore, vel domûs Oeconomo, vix aspicere, nedum manu contingere volebant. Sed necessitas sicubi fuit aliqua, stylo quopiam, aut cultello, quo pennæ scriptoriæ temperantur, pro opportunitate versabant. Quod non tantùm observabam etiamdum adolescens in sæculo; sed quodam tempore dum Pater Joannes Dominicus à Cruce Minister (hoc nomine, ante Bullam Alexandri Papæ VII., vocabantur Superiores nostri) forsitan in mei experimentum pecuniam à se numeratam mihi tunc

Novitio porrexerat ferendam pro certa re persolvenda ad portam; ego manum protendens nudam ut accipere volui, statim ab ipso retrudente mihi manum acriter fui reprehensus; quòd non vererer pecuniam attingere; jussumqve me Sudariolum ex manica producere, ac porrigere, docuit, qualiter oporteret jam numeratam ab ipso, tradere venditori. Nec reprehendi, vel rideri debet ea boni Patris animadversio. Sciebat enim optimè, quam habeat in capiendis, viciendisqve, licèt Religiosorum, cordibus energiam pecunia. Fascinat aspectu, contactuq; sui, vincula inijcit, ligat, & trahit in perditionem captivos animos: uti sapienter in historiam Job Commentator ait Corderius: (a) *Est vis pecuniæ mirabilis ad sui amorem excitandum, & incendendum hominum voluntatem.* Et post pauca: *Vidisti*, inquit, *argentum; concupisti; captus es: per oculos lubrica veneni vis introijt. Si ad aurum luminum aciem converteris; non metallum, sed amatorium philtrum experiris, quod tibi cor eripiet. Subitò insanit, & furit cupiditas.* Sapientissimè dictum, & planè ad propositum nostrum. Re namq; verâ furatur, & eripit cor, animum, pecunia, & spiritum omnem, quem Religiosus habuit ad Instituti observantiam, ad virtutis, & perfectionis studium, ad indefessum in obseqvio Dei laborem; & qui paupertatis obstrictus voto bonum agere conabatur Dei servum; jam pecuniæ servus, & mancipium, ad omne bonum miserabiliter elanguescit, spiritu religioso jam destitutus, brevì etiam vocatione destituendus.

(a) Corder. in Job. c. 31. 34.

§. II.

In Religioso nunquam bonum habet finem philargyria.

1. Fieri quidem potest in aliquo Sæculari, sicut deprehenditur subindè, quòd corrogata pecunia non malum habeat præstitutum finem. Solent enim hi plerumq; cumulatam in opus aliquod bonū; puta, vel in animæ suæ suffragium,

gium, vel in aliqnam piam fundationem pro pauperibus, aut in opus aliquod sanctum, ad Dei gloriam, erigendum; vel in domûs, & familiæ suæ non pœnitendum convertere emolumentum, ita, ut, cùm non possint statim aggredi, quod proposuerunt in animo, postmodum cumulatâ jam pecuniâ præter omnium expectationem incipiant moliri, feliciterqve proficiant, quod dudum constituerunt. Neq; jure possunt reprehendi, si propterea vel frugaliùs vivant; vel avidiùs congregent; uel tenaciùs servent. Docet posteà finis, quem homines ignorârunt; & tunc primùm probant, quod anteà mordicùs improbabant, etiam exprobrabant. Sed in Religioso, cùm omnis ejusmodi cesset finis, auri, argenti, vel cujuscunq; pecuniæ, cupiditas, amor, & avida, clandestinaqve collectio finem bonum habere non potest. Nec enim ad Religiosum, qui jam Deo tàm corpus, quàm animam in holocaustum obtulit, spectat aliqua privata sui cura; nec aliquid eorum, quæ Sæculares in suos sibi præstituunt fines, ad ipsum pertinet; utpotè, qui totus jam renuntiavit mundo, & in Dei hæreditatem admissus aliud cogitare non debet, quàm Deum, & hunc ex toto corde diligere, Christi Servatoris vestigia sequi; fideliter eidem servire; virtuti, perfectioniq; studere; animæ suæ salutem curare; institutum, quod profitetur, sedulò exercere; Dei gloriam in omnibus quærere, curare, desiderare. Cætera verò omnia Deo, Superioriqve suo tàm circa se, quàm circâ alia ad communẽ æquè, ac privatum domûs, & religiosæ familiæ pertinentia statum permittere; nec animum, curamqve suam extra hæc plus extendere; nisi quantum Superior ipsi curandum commendaverit.

2. Quod cùm ita sit, & omninò sic esse debeat extra omnem controversiam; philargyrus, & clandestinus pecuniæ quæsitor certè propositũ aliud non habet, quàm aut per corruptelam quærere promotionem sui, quæ ambitio, & inor-

inordinatus honoris appetitus illicitus est, & est mortale peccatum, ut docet (a) S. Thomas secundâ secundæ quæst. 131. art. 1. in Corpore: aut commoditatibus suis privatis prospicere; quod voto paupertatis, imò & obedientiæ repugnat; aut ad genium suum luxuriosè vivere: & jam contravenitur etiam voto castitatis; aut, quod magis impium est, institutum deserere, & est machinatio contra Religionem. Quæ singula cùm sint ex fine suo peccata mortalia, non possunt Religiosum spiritum non extinguere, & non evertere vocationem. Et dato, quòd nihil aliud proponat mali philargyrus, quàm solius pecuniæ possessionem, (quæ tamen aliquo non potest carere fine) nihilominùs hoc solo peccat mortaliter; quòd contraveniendo paupertatis voto, sibi dominium usurpet rei, cujus ipse capax non est; & quamdiu sic agit, semper est in statu malo cum onerata conscientia.

3. Cæterùm quidquid sit de propositis aliis, in philargyro hæc duo præcipua sunt; aut luxuriosè vivere; aut institutum deserere. Utrumq; hoc celebris ille monasticæ vitæ didascalus Cassianus innuit, ubi docet: (b) Monachum habito inconstantiæ suæ commeatu pecuniâ, cujus præsidium quasi quasdam alas ad volandum, ac divagandum adaptatas gerit, paratum ad abeundum, omnia ferociter agere, tamdiu, donec abeundi propositum expleat. Nonnullos (c) autem ejusmodi philargyros de sublimi prolapsos, sine remedio ruere cæco impetu ad mortem, scilicet animæ neqve contentos; quòd ipsi pecuniam habeant; sed cum mulieribus etiam, apud quas asservare pecuniam solent, familiaritatem habere; & ita perniciosis, pestiferisq; se implicare negotiis, & operibus; ut ad infernum usqve præcipites agantur; idq; verè cæco quodam impetu. Cùm enim pecunia sit voluptatis incitamentum, & materia luxûs, ex hoc deindè patentissimus ad commercium cum mulieribus habendum aditus, inter

(a) S. Thom. 2, 2. q. 131. a. 1. in C.

(b) Caßian. l. 7. c. 9. (c) c. 11.

inter ipſa verſantes animæ, vocationisq; ſuæ pericula, præ ſenſuum voluptatibus immerſorum hebetudine, ac cæcitate periculum non advertunt; & ita voluptati per omnes carnis illecebras in perditionem animæ devolvuntur.

4. Adhuc meliùs hoc tetigiſſe videtur S. Ambroſius; quando pecuniam dixit irreqvietam eſſe, poſſeſſoresqve ſuos in ſcopulum ad naufragium allidentem. Do Sancti Pontificis verba, pecuniæ indolem ſic deſcribentis: (a) *Pecunia nunquam quieſcit: labitur velut ſcopulo alliſa: mergit naufragos; exponit nudos, veſtitos exuit; inſepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium ſuſcipis. Hinc Charybdis circumſtrepit; hinc Sirenæ, quæ voluptatis ſpecie, & canoræ dulcedinis ſuavitate in vada deductos cæcâ repetendæ domûs (ut ferunt fabulæ) ſpe, & cupiditate fraudant.* Quibus verbis indigetat Sanctus Doctor, quænam Charybdis nummoſum circumſtrepat Religioſum; & quæ Sirenes canorâ dulcedine in vada cæca deducant. Jam ubi ſacrilegus, etiam in licentiam effuſus plusquàm ſæcularem, largè profundit nummos; hem, quantam mox ad voluptatis incentiva nactus eſt turbam! Audiamus enim adhuc Mediolanenſem Oratorem: (b) *Statim*, inquit, *venditores ungventi, & diverſarum ſpecierum irruunt, velut quidam canes ſagaci prædæ vagantis odore perſtricti, venatores, aucupes, caupones quoq; miſcentes mero aquam, qui nobilitatem vetuſti generis, & patriæ, & natalem diem vini circumferunt. Circumſtantes repentè paraſiti, quem antè ſolebant ſpernere, ſalutant, deducunt, ad lætitiam provocant; ad ſumptum incitant, dicentes:* (c) *Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt; & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter; vino pretioſo, & ungventis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant; nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: ubiqve relinquamus ſigna lætitiæ.* Ita Divus Ambroſius ex Sapientia Salomonis.

5. Sed en habet pecuniæ

(a) *S. Ambr. lib. de Tob. c. 5.*

(b) *ibid.* (c) *Sap. 2. 6.*

ſuæ fructum, & finem philargyrus. Quem in clauſtro nullum circumſtabat famulitium; nullus in habitu religioſo noverat; pauperem deſpicatui mundus habebat; cujus in vultu pallor ad horrorem livebat; cujus marcidam à jejunio faciem aſpectu dignabatur nemo; jam magno paraſitorum ſtipatus incedit comitatu: *Quem anteà ſolebant ſpernere; ſalutant, deducunt, ad lætitiam provocant.* Salutant, inquam, ſed quem? Sacrilegum peculatorem. Deducunt, ſed quò? ad infernum. Ad lætitiam provocant: ſed qualem? æternùm deplorandam. *Nummum petiſti miſer; & naufragiū ſuſcepiſti.* Verè vel ipſa, cui pecuniam ſuffuratus es, pauper Religio clamat adversùm te: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Huc perducit nummorum amor, & avida, clandeſtinaqve pecuniæ philargyria. Idcircò ſententiâ ſuâ Spiritus Sanctus pridem per Eccleſiaſticum definivit; quòd (a) *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.* Jam de omni cujuscunq; ſtatûs, & conditionis homine ſi hoc in genere dicitur; de Religioſo, quem votum paupertatis ad pecuniæ contemptum obligat, quàm longè planiùs dicendū, in eo *nihil eſſe iniquius, quàm amare pecuniam?* Sæcularis ſi pecuniam amet; titulum aliquem habet honeſtum. Pecuniam corrogat; ut ſibi, domui, familiæ, honori, poſteritati proſpiciat: & tamen eo *nihil iniquius, quàm* ſi nummos amet. Religioſus, qui ſibi, qui domui, qui familiæ, honori, qui deniq; toti mundo mortuus eſt, & nihilominùs amat pecuniam, & eſſe quærit pecunioſus; cujus iniquitatis reus agitur? Eſt reus iniquitatis, quæ dari poteſt in mundo maxima.

6. Iniqvus eſt in Clauſtrum, quod inhabitat. Qvia patrimonium ejus, vel potiùs ipſius Chriſti ſuffuratur. Iniqvus eſt in profeſſionem ſuam. Qvia ſub pallio paupertatis, divitias malè partas occultat. Iniqvus eſt in animam ſuam. Qvia retrahit ipſam ab ultimo fine beatitudinis æternæ, & tradit eam Orco ſuppliciis æternis

(a) Eccli. 10. 10.

ternis cruciandam. Iniqvus est in naturam. Qvia animæ ad imaginem Dei creatæ ex vi creationis est respectus ad beatitudinem sempiternam, ad fruendum bono, quod est increatum, immutabile, æternum, immensum, infinitum, inenarrabile, incomprehensum, & hoc est ipse Deus: intereà tàm excellentem naturæ ordinem (qui tamen veriùs est ordo, seu donum gratiæ supernaturalis) inter Deum, & animam divini participii, consortiiq; capacem, turbat; animam hâc gratiâ privat; & cum desertoribus angelis ad tenebras damnat exteriores. Iniqvus est deniq; & in ipsum Deum. Qvia quam mentem ad gloriam suam Creator Optimus formatam voluit, & vult, in lumine suo sinè fine beatam vivere; ipse perniciosâ pecuniæ contagione fœdatam, Deo, quantum in se est, vi quâdam eripit tanquam pretiosam margaritam, & eam tradit Dei inimico diabolo in rapinam.

7. Et ne magis ad exaggerationem, quàm ad genuinam rei veritatem hæc dicta videantur, Occurrit temerariæ, quâ laborare quis possit, opinioni Spiritus Sanctus, & energiam, quam habet amor pecuniæ, disertiùs explicat. Postquam enim nihil esse dixit *iniquius, quàm amare pecuniam*, mox etiam subdidit rationem, dicens: *Hic enim & animam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua.* Cujus sententiæ primam partem paraphrasticè sic exponit Cornelius: (a) *Animam suam venalem facit: quia pro auro vendit animam suam diabolo.* Sicut fecit Judas; qui propter argenti cupiditatem *vendendo Christum vendidit animam suam dæmoni.* Igitur Religiosus auri, argenti, & cujuscunq; pecuniæ cupidus, verè *in vita sua projecit intima sua*, id est, animam suam, quâ nihil habet in hac mortali vita magis intimum; vel (quod videtur meliùs congruere) Christum Deum, qui verè animæ intima vita est, projecit, & ad infernum usq; vivus semetipsum præcipitem egit. Exclamat ergò S. Augustinus: (b) *Quæ*

(a) Cornel. hic. (b) S. August. Serm. 25. de Verbis Domini.

est ista aviditas concupiscentiæ? Cùm ipsæ belluæ habeant modum; tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Inexplebilis est sola divitum avaritia; semper rapit, & nunquam satiatur. Nec timet Deum; nec hominem reveretur. Non parcit patri; non matrem agnoscit; non fratri obtemperat; nec amico fidem servat.

8. Quæ verba licèt de avaro divite sæculari dixerit Sanctus hic Doctor; aptissimè tamen quadrant etiam Religioso philargyro. Hic enim incipiens corrogare pecuniam, & sectari proprietatem, nunquam satiatur eo, quod conquisivit. Ampliùs semper; & ampliùs concupiscit; verè quoq; *semper rapit*, furatur, sacrilegè surripit; per mendacium emendicat, cumulat, & implet loculos; & tamen nunquam satiatur. *Nec timet Deum*, cui paupertatem vovit, & in cujus conspectu votum infringit. *Nec hominem reveretur*, id est, Superiorem; in cujus manu vota nuncupavit. *Non parcit patri*, qui ipsū in Christo genuit; sed eum calumniatur, tanquam necessitatibus minimè providenté. *Non matrem agnoscit* Religionem; sed obtrectat, & detrahit illi, tanquam Novercæ, quasi filio non suo necessaria neganti; quin etiam de bonis ipsius, id est, de patrimonio Christi, quo cæteros alat filios mater Religio, furatur, ac diripit. *Non fratri obtemperat*: qvia benè monentibus aliis, impudenter obstrepit, eosq; persequitur odio. *Nec amico fidem servat*: qvia frangit Sacramentum, quod Christo dixit; non ejus Crucem, sed vexillum inimici diaboli secutus. Concludit propterea Hipponensium Præsul: *Quæ est ista, rogo, animarum insania! amittere vitam, appetere mortem; acquirere aurum, perdere Cœlum?*

9. Profectò dari major insania non potest, quàm in Religioso furtivè pecuniam cumulante. Dico *furtivè*. Cùm enim Religiosus, quidquid acquirit, non sibi, sed Religioni acquirit, & nihilominùs acquisita servat, & occultat in proprios usus, ac privatos, in luxum, & in ália privata commoda,

moda, & abuſus; hoc ipſo fur eſt ſacrilegus; inſaniens autem maximè, quòd hâc ratione amittat vitam, appetat mortem, acquirat aurum, & perdat Cœlum.

10. Sanctus Ambroſius expendens illam pueri Gieſi, qui ſerviebat Eliſæo Prophetæ, temeritatem; quòd ductus argenti cupiditate contra Prophetæ mentem cucurrerit poſt Naaman Syrum, & mentitus ſit coram ipſo; ſe miſſum ab Eliſæo, qui pro duobus adoleſcentibus de monte Ephraim filiis Prophetarum nunc advenis, peteret (a) *Talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.* Craſſum mendacium; craſsior fraus; craſsiſſimum ſacrilegium; quòd pro ſanitatis impertitæ principi myſterio cùm nihil accipere Propheta vellet; ipſe nihilominùs acceperit ex liberalitate Naamani fraudem minimè ſuſpicantis (b) *duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & repoſuit in domo;* clam videlicet Eliſæo; quem tamen ſacrilegium latere non potuit. Expendens, inquam, eam temeritatem, argentiqve cupiditatem S. Ambroſius, obſervat duo præcipua. *Primum*, quòd ea pecunia tàm corpus, quàm animam pueri inquinârit. *Alterum*, quòd aliæ culpæ veniam apud Deum conſequantur: at ſacrilega myſterii merces duriorem ſubierit, & in unoquoqve ſubeat, ſententiam; id eſt; quòd ſibi conſciſcat ſempiternam pœnam.

11. Dicit igitur Sanctus Pontifex: (c) *Citò turpem ſequitur lepra mercedem; & pecunia corpus animumqve, malè quæſita commaculat.* Hoc dicto mox allegat Prophetæ contra Gieſi oraculum: Et, (d) *Accepiſti*, inquit, *pecuniam, & poſſidebis ex ea agrum, & vineas, & oliveta, & greges: & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tur uſqve in æternum. Vides*, (proſequitur Sanctus) *quia facto auctoris, ſucceſſio damnatur hæredis. Inexpiabilis eſt enim venditi culpa myſterij, & gratiæ vindicta cœleſtis tranſit ad poſteros. Deniq; Moabitæ, & cæteri, non intrabant Eccleſiam uſq; ad tertiam, & quartam generationem,*

(a) 4. Reg. 5. 22. (b) v. 23. (c) S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4. (d) 4. Reg. 5. v. 26.

nem, tamdiù videlicet, (ut simpliciter interpretemur) donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cùm illi, qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse multati, profectò durior esse videtur sententia; quâ Giesi semen usq; in æternum pro cupiditate habendi (notetur hoc benè) *Propheticâ auctoritate damnatur.* Et post pauca concludit: *Ergò omnes cupidi, omnes avari, Giesi lepram cum divitijs suis possident, & malè quæsitâ mercede non tàm patrimonium facultatum, quàm thesaurum criminum congregârunt, æterno supplicio, & brevi fructu. Nam cùm divitiæ sint caducæ, pœna perpetua est.*

12. Cæterùm divinus hic Præsul æternam pœnam ominatur ex Sacræ Scripturæ testimoniis omni avaro, qui per facultatum aggregationem, thesaurum criminum potiùs congregârunt, quàm pecuniæ. Jam de Religioso multò magis inferri potest; quòd per argenti, auri, & cujuscunqve pecuniæ, vel rei pecuniâ æstimandæ, clandestinam collectionem, thesaurum criminũ sibi congregat. Qvia per eadem mendacia, per quæ Giesi, totidem admittit sacrilegia, quot, & quoties furti quantitatem peccato mortali adæquantem ex malè acquisitis, aut potiùs ex Christi patrimonio surreptis congregat, non ut agros, vineas, & oliveta possideat; sed ut perditè, & in luxu vivat; ut demùm abjecto Religioso habitu nuncupata Domino Deo vota conculcet. O impietatem! ô, non unum, sed millena sacrilegia prorsùs æterno supplicio, nisi resipiscat, punienda! Quotquot enim aliquando Religiosi vel professioni reclamârunt, vel reclamare tentârunt, vel parùm religiosè vixerunt; mulierum familiaritati nimiùm implicati; vel deniqve per ignominiosam fugam Religionem deseruerunt, quorũ aliquot ipse noveram, semper deprehensum est per certa vestigia, ipsos clandestinè conquisivisse, & habuisse pecuniam; apud extraneos etiam deposita sua servâsse; quin & equos, aliaq; his similia, foris habu-

habuisse; quæ clàm divendita in privatos suos convertebant usus, abligueriebant in luxum, & abusionem, aut deniq; in fugam, & apostasiam.

13. Nimirùm hi philargyri traditi sunt *à desiderio suo peccatori.* (a) Ubi S. Hieronymus per peccatorem intelligit diabolum. Dicit enim in memorata Psalmi verba: (b) *Ne de concupiscentia mea tradas me diabolo.* Igitur pecuniæ concupiscentia Religiosum pecuniæ possessorem adeò tenet alligatum, ut ipsum captivum ducat, imò trahat diabolus in infernum. & dum totum se huic ingurgitat desiderio, perpetuis etiam scatet criminibus, & sacrilegiis; & aliud nec cogitare, nec meditari, nec operari solet, quàm quod depravatum ejus cor concupiscit. (c) *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum,* (regius ait Vates alibi) *transierunt in affectum cordis. Id est,* (Sanctus Hieronymus (d) ait) *in pinguedine divitiarum,* & in concupiscentia pecuniarum, *oblitâ justitia, iniquitas processit ab eis, ut suam, & non Dei, facerent voluntatem.* Cùm enim *Voluntas Dei* sit secundùm Apostolum. *Sanctificatio* nostra, ipsi pro sanctificatione quærunt exsecrandam malitiam, impietatem, diabolicam apostasiam, æternam cum spiritibus illis, seu angelis desertoribus damnationem. Et hic est finis præcipuus philargyri, sive proprietarii. Qui scopus etsi fortassè non sit apud ipsum in intentione, nisi penitùs omnia desperet: qvia tamen principale medium, quod apud ipsũ vim obtinet finis ducentis, etiam nolentem, ad perditionem, tenet mordicùs; ideò, nisi revocet animum ad pœnitentiam, consequetur invitus, quod cæco impetu quæsivit.

(a) Psalm. 139. 9. (b) S. Hier. hic. (c) Psalm. 72. 7. (d) S. Hier. hic.

§. III.

Religiosus philargyrus, minùs veniâ dignus est, quàm Castitatis voti violator.

1. Præfixus titulus, huic proposito nostro videri potest minimè congruens; tùm quòd Castitatis votum nihil

habe

habeat cum avida philargyria commune; tùm quòd non sit hujus fori, causam ad decernendæ sententiæ, adferre tribunal. Qvia tamen anima Religiosi semel Deo Christo Domino Sponso dicata per trium votorũ nuncupationem, semper jure dici potest, & est, adultera; quoties aliquod eorũ votorum transgreditur; ideò non abs re fuerit, quod ex S. JoannisChrysostomi sententia deducetur inferiùs, hoc ipsũ paucis perstringere. Nam si juxta S. Jacobum Apostolum is, (a) *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*, multò magis Religiosus, qui puritate corporis elucere probatur, sed cupiditate pecuniæ laborat plurimùm, eamq; clandestinè congregat, reus constituitur etiam violati voti continentiæ, factus adulter non corporum, sed pecuniarum; victus non formâ alicujus corporis vivi, sed inanimi concupiscentiâ metalli. Cujus etsi vis ea sit, ut ad omnia cætera vitia spatiosam aperiat viam, sitqve pecunia vehementissimũ, præsertim ad sectandam luxuriam, incentivum, miserumq; Religiosum in turpitudinis cænum, in eo tanquam fœdam belluam volutandum, propè sine spe ex tàm infami cænosæ miseriæ labyrintho ampliùs eluctandi: solet tamen etiam (rarissimè quidem) hoc in philargyro quopiam deprehendi; quòd soli tantùm intentus aggregandæ pecuniæ, minùs à luxuria tentetur.

2. Et hic esse potest diaboli quidam insignis astus; quòd initio philargyriæ, quam suggerit inimicus, non statim ad vitium carnis incendat, imò quendam ejus horrorem indat; ut ita, quod machinatur insusurrandum posteà, suum solidius stabiliat fundamentũ; intereà verò tanquam honestatis amantem ad aurum, argentumq; securiùs inflammet, faciatqve copiam majore cumulo pecuniam corrogandi; quam aliàs, si statim in carnis illecebras exardesceret, non facilè posset cumulare, exhauriente semper loculos illâ turbâ, cujus copia sine pecunia difficilè comparatur. Et propterea

(a) Jac. 2. 10.

pterea Religioso non tàm vires formidandæ sunt diaboli, quàm fraudes ejus, & astutia. Ideòqve S. Bernardus, cujus sententiam alibi quoqve jam recitavimus, dum Sermonem ad Religiosos suos haberet, idipsum, videlicet à versutiis Satanæ, formidare se confessus est, non autem à viribus illius, per Christum jam enervatis: (a) *Non est*, inquit mellifluus Pater, *quod vobis timeam à viribus Satanæ, fratres mei, & satellitium ejus; cùm noverim illius fortitudinem traductam per vulnera Redemptoris, & deductam ad nihilum. A versutijs & astutijs ejus timeo vobis.*

3. Itaq; versutissimus insidiator ut illaqveet, capiatqve religiosam animam, non statim eam aperto certamine adoritur per prava ad carnis illecebras invitamenta. Qvia sic nequitiâ suâ statim ad initium, crasso nimis, & rustico certandi modo cœptâ, & à colluctatore deprehensâ, facillimè frustraretur. Incipit à subtiliore filo telam suam texere, quod vix etiam à perspicacissimo mentis oculo deprehendi possit. Philargyriam titulo necessariæ provisionis insusurrat. Intereà philargyrus ab honestate, tanquam ejus amantissimus, commendabilis agit securiùs, quod propositum habet: scilicet pecuniæ captus amore non dividit affectum; ne deprehensus in cupiditate carnis, quæ tota cæca impingit, & in publicum erumpit facillimè, præclusum sibi patiatur aditū ad corrogandam pecuniam, dæmonium occultissimum. Et dum ita totus inhiat æris augendi copiæ, multum à se fieri arbitratus, si non violet votum illud, quod Angelicam puritatem in carne humana imitatur, ignarus autem, se hinc quidem ab invalidiore, vilioriq; turpissimè vinci inimìco; illinc ad eandem, quæ vehementior est, carnis illecebram sibi jamjam aperiri, sterniq; spatiosissimam viam, turpium voluptatum fœditatibus instratam: quam ingressus procertò, cùm primùm sibi miserè per sensuum, & mundi vanitates peregrinaturo commeatum comparaverit;

(a) S. Bernardus.

verit: dum, inquam, ita totus inhiat æris augendi copiæ, quantumcunq; videatur colere honestatem; nihilominùs in amoris inordinati, concupiscentiæq; scopulum impingit; & quidem in scopulum talem, qui ipsum in omne deinceps peccati genus elidet præcipitem.

4. Id quod Divus Paulus Apostolus ad Timotheum suum egregiè descripsit. Qui postquam præmisit sanctum illum de frugalitate non solùm Episcopis, (horum enim statum instruit præcipuè) sed etiam Religiosis, & quidem his multò magis, convenientе, aphorismum, (a) *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*, hujus dicti sui mox subdit rationem, ac dicit: (b) *Nam, qui volunt divites fieri*, id est: qui auri, argenti, pecuniæq; cupiditate ducti, congregant nummos, ut iis abundent, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva: quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.* Ecce quorsùm collineat diabolus, etiamsi cætera præterire videatur omnia; nec ad ullam carnis illecebram animum stimulet, & accendat; dum suggerit philargyriam, eamq; persvadet Religioso. Sufficit pessimo tentatori nunc pecuniæ desiderium, & amorem instillâsse: jam hoc laqueo mentem irretitam, ubi cumulata fuerit pecunia, pòst in alia, non in unum, sed *in desideria multa, & nociva*, veluti, numellâ collo injectâ, canem trahet, quocunqve volet, demergetq; miseram animam *in interitum, & perditionem.*

(a) 1. Tim. 6. 8. (b) v. 9.

5. Jam ex hac Apostoli sententia non laboro scire; Num Religiosus philargyrus velit fieri dives: hoc enim illi intra claustri parietes hærenti est ferè) sic ut dicam) impossibile. Qvia divitiarum splendor non habet in Cœnobio campum exserendi fulgorem suum in magnifico apparatu, in vestitu splendido, in conclavis ornatu, in conducendo comitatu famulantium; sicut in divitibus illis, quos mundus in publicũ ad ostentationem, etiam ad æmulationem,

nem, in vanitatis suæ theatro spectandos exponit. Satis est; in animo illius habere locum pecuniæ cupiditatem, amorem, ac desiderium acquirendi, vel abundandi continuum, quo flagrat; nec alimentis, & quibus tegatur, contentus, habere vult, & habet, supra commune plus, quàm alii: & dum clandestinè congregat vel ex patrimonio suo, quod perperam præsumit; vel à parentibus, vel à consanguineis, vel ab amicis, vel ab aliis oblata, fortassis etiam per importunitatem emendicata, vel per imposturam aliquam acquisita, vitio philargyriæ jam circumventus incidit *id tentationem* furandi, rapiendiqve; & jam injectum habet sibi *laqueum diaboli* conscientiam irretientis; & postquam cumulavit pecuniam, tunc primùm procedit in *alia desideria multa inutilia, & nociva*, ambitionis, superbiæ, fraudationis, otii, vagationis, lasciviæ, luxûs, luxuriæ, & id genus alia; quæ caro fœdæ voluptatis inescatâ dulcedine concupiscit; undè progreditur ultrà ad illicitam, & indignam Religioso vitam.

6. Quoniam verò non potest in claustro desideria sua pro libito explere, incipit sibi foris amicitias conciliare; machinari vel crebrum è domo religiosa, etiam furtivum nocturno tempore, egressum; vel tentare coram judicio professionis infirmationem; vel deniq; molitur, & patrat, apostasiam. Et hæc deniqve *desideria nociva* miseram ejus animam *mergunt in interitum, & perditionem*. Quod totum habet originem suam ex eo; qvia nihilominùs voluit fieri dives; id est; concupivit, & adamavit argentū, & aurum, ut ad explenda sua desideria uteretur eâdem commoditate, & facilitate, quâ divites hujus mundi, ut esset locuples in pravis, ex occasione pecuniæ possessæ, per dæmonem excitatis cupiditatibus; eo planè modo, quo navis jactari cœpta ventorum adversis flatibus non jam ad littus, quò dirigebatur, appellit, sed semper in altum ampliùs propulsa, deniq; vel ad scopulum allisa

lisa naufragio perit; vel procellarum fluctibus ab omni parte sævientibus obruta, debet tandem submergi. Sic Religiosum in pravorum desideriorum tempestatem impulsum, eadem sua *desideria multa inutilia, & nociva mergunt in interitum, & perditionem.*

7. Et qvia non statim incipit à carne, cujus concupiscentia propter objectum suum multò vehementior est, & fortior, quàm pecuniæ, quæ tanquam objectum inanimum non habet eam vim insinuandi se, & inflammandi mentem, sicut illud, quod carnem stimulat, ac incendit, estq; multò infirmior; ideò turpiter victus à philargyria, quæ posteà passionum omnium sævissimam excitavit tempestatem, minorem meretur commiserationem, & veniam, quàm ille, qui priùs ab hoste validissimo, quæ caro est, impugnatus, & victus cecidit: tùm quòd æquè adulteretur in metallo, sicut ille miser in aliquo corpore; tùm quòd pecunia sit vilior, & infirmior omni corporum pulchritudine. Quæ utraq; fundamentum suum habent in Sacra Scriptura.

8. *Primum* enim, quod attinet pecuniæ concupiscentiam, non solùm anima dicitur adultera, si castitatis infringat votum, sed etiam in quodcunqve peccatum si incidat, uti fit in materia philargyriæ, semper est adultera. Qvia à Deo, & Christo Sponso suo, cui semel per baptismum, vel etiam per vota religiosa cessit in sanctum, castumq; connubium, quin & in holocaustũ, quà Religiosus, recedit, & transfert affectum, amoremq; suum ad metallum, quod est adulterium spirituale. Hinc divinus Psaltes ait: (a) *Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt.* Et mox idipsum aliâ pergit exponere phrasi, dicitqve: *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Quæ verba Divus Ambrosius expendens, interrogat: (b) *Quid est; abs te fornicantur?* Et respondet sibi: *Qui turpitudinis suæ ludibrijs te relinqvunt, & à te recedunt, & à præceptis tuis devij sunt.* Quæ Sancti Doctoris verba satis indicant; eam a-

(a) *Psalm.* 72. 27. (b) *S. Ambr. Tom.* 4. *Enarr. in Psalm.* 43.

animæ

nimæ turpitudinem, per quam à Deo recedit, & fit adultera, non intelligi de sola violatione voti castitatis, aut Sexti Præcepti; sed de omni, per quodcunq; pecctum, alienatione à DEO, seu de omni prævaricatione. Ideoq; cùm dicit: *Turpitudinis suæ ludibrijs te relinqvunt*, omnem accipit peccati mortalis maculam, & inquinationem. Qui sensum suum clariùs ut exponeret, addit planiùs, *Et à præceptis tuis devij sunt*, non ab uno tantùm Sexto Decalogi Præcepto, sed *à præceptis tuis* quibuscunqve. Et concludit deniqve: *Ergò qui se à Domino separat*, (puta, per quodcunq; mortale peccatum) *ipse à Domino separatur*; *& qui non cognoscit Dominum, à Domino non cognoscitur*; tanquam sponsa facta sponso suo perfida, alii viro, videlicet rei creatæ, tanquam adultera mulier, adhærens, jam jure merito contempta.

9. *Alterum*, quod pertinet ad pecuniæ vilitatem, & propriè spectat ad propositum nostrum, quod nimirùm ponderat S. Joannes Chrysostomus ex illa Christi Domini parabola (a) de quinqve Virginibus fatuis, ituris obviam Sponso, & sponsæ, paratis quidem cum lampadibus, sed non instructis oleo in vasis suis, disertè docet: fatuas illas virgines ideò non fuisse dignas in domum nuptiarum admitti; quòd certamen forte cùm habuerint, & sustituerint, cū inimico validiore, qualis est caro, forma item, & pulchritudo corporum, ac strenuè vicerint, à viliori tamen, & debiliore, nimirùm à pecunia, quæ res inanima non habet tantam vim ad persvadendū, & alliciendum ad se, quantam habent objecta viva, multò acriùs, & efficaciùs animam, & cor impugnantia, fuerint turpiter victæ, ac prostratæ; id quod eorum tantò majori militat ignominiæ, minùsqve commiseratione, veniâqve dignas arguit. Do Sanctissimi Præsulis ipsa verba, qui dicit: (b) *Quoniam igitur & magna res erat* virginitas, *ac de ea apud multos magna erat existimatio, ne quis eâ perfectâ se totum perfecisse putaret, ac cætera*

(a) *Matth.* 25. (b) *S. Joan. Chrysost. Homil.* 79. *in Matth.*

negligeret, hanc parabolam posuit: ut ostenderet; virginitatem, quamvis cætera habeat, si misericordiæ operibus caruerit, parcendo scilicet pecuniæ, eamqve tantùm in usus, & privata commoda sua convertendo, affectum & amorem suum ad eam conferendo; *Cum fornicatoribus ejici.* Et paucis interjectis annectit causam: *Fornicator enim corporum; istæ verò pecuniarum cupiditate vincuntur. Non est autem corporum, & pecuniæ par cupiditas: sed acrior multò, atq; vehementior illa corporum est.* Hinc jam continuò concludit: *Quantò igitur cum imbecilliore luctantur; tantò minùs veniâ dignæ sunt, si vincantur;* id est à pecunia. *Idcircò etiam fatuas appellavit. Quoniam majore certamine superato, in faciliore totum perdiderunt.*

10. Ecce Religiosi philargyri, quantumlibet casti, miseriam. Sustinuit initio cum carne sua fortissimum, ac difficillimum certamen; luctatus est cum potentissimo, carnis illecebris undiq; circumstrepente, & verè fortiter armato inimico. Vicit, & prostravit acerrimum illius oppugnantis satellitium. Interim nè triumphum caneret insolentior Thraso, à debiliore parte ipsū aggressus hostis, ipse debilior, evanidum pecuniæ fulgorem objecit ipsi. Objecit autem? imò laqueum injecit; cæpit, captivum duxit. Et ita miser palæstrita, potentissimum inimicum, licèt principio multum depugnârit in certamine contra luxuriam, etsi vicerit, deniq; tamen auri, argentiq; cupiditate victus, cum fornicatoribus eijcitur; id est: indignus auxilio divino judicatus ad alia superanda certamina, traditur in desideria carnis *inutilia, & nociva*; & ita nuper quidem *majori certamine superato*, jam nunc *in faciliore*, & à debiliore pecunia victus succubuit, & perdidit totum, mersus à desideriis suis *in interitum, & perditionem*, indignus veniâ magis, quàm ille miser victus in pugna carnis validissima.

11. Sed assertionem istam magis ipse Christus Dominus illustravit doctrinâ suâ. Descendens olim ex Oliveti mon-

monte post orationem, diluculo venit in templum, docebatq; populum: *Sedens docebat eos*, ait S. Joannes Evangelii Scriptor, Cùm ecce (a) *adducunt Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; & statuerunt in medio*, atq; ad judicium Cœlestis ipsius Magistri appellant, quidnam super infami flagitio mulieris ipse decerneret? Stante, quòd lex juberet ejusmodi lapidare: *Educes* (ait ad populū in Deuteronomio suo Moyses) *utrumque ad portam civitatis, & lapidibus obruentur.* (b) Consultus, aut veriùs tentatus Dominus à Scribis, & Pharisæis, tanquam quæstionem ad se minimè pertinentem habuit neglectui; silentio solvit; vel tanquam non audiret interrogationem *Inclinans se deorsùm, digito scribebat in terra.* (c) Non refert hìc narrare plura; solùm hoc præteriri non debet: postquam tentatores nullam à Domino potuerunt impetrare sententiam adversùs adulteram, dilapsis uno post unum (ut sacra loquitur historia) incipiendo à senioribus, *Remansit solus Iesus, & mulier in medio stans*, & Dominus ad mulierem: *Nemo te condemnavit?* Illâ respondente, quòd *Nemo*; clementissimus etiam Judex: *Nec ego te condemnabo*, inquit: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Abivit absoluta mulier ab omni pœna; modò jam in posterùm non peccaret: *Ampliùs noli peccare.* Alio verò tampore (describit idem S. Joannes) ingressus in templum Dominus, non jam habuit adductam adulterii ream mulierem; sed ipse incidit in homines, eosq; multos, & reos. Cujus autem criminis reos? Non magni certè: tantùm *invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedences.* (d) Graviter nihilominùs offensus eâ vendentiū, & nummulariorum negotiatione, nec accusatorem aliquem præstolatus, nec consultus ab ullo, quidnam negotiatoribus faciendum esset; nec ab aliquo stimulatus, ipse magnam judicis assumens auctoritatem sine sententia lata, acri verbere multavit reos, ex templo

(a) Joan. 8. 2. (b) Deut. 22. v. 24. (c) Joan. 8. 6. (d) Joan. 2. 14.

protinùs ejecit: (a) *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis*, (ait sacer Historicus) *omnes ejecit de templo: oves quoqve, & boves; & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Zelo videlicet ductus honoris divini fecit tantum in templo tumultũ, & confusionem, negotiatores, nummularios, nummos, & mensas, illos flagello, istas manibus, diverberando, dissipando, disijciendo, & eijciendo; ut Judæi manserint prorsùs attoniti, vix ausi expostulare: *Quod signum ostendis; quia hæc facis?* At Christus Dominus, sicut in causa mulieris Scribæ & Pharisæi ad legem appellârunt, sic & ipse in negotiatoribus castigatis ad Scripturam appellavit; *Scriptum est*: (b) *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quasi diceret: ideò hæc facio; ideò reos castigo: qvia contraveniunt Scripturæ pronuntianti: *Domus mea, domus orationis vocabitur*; vos autem ex domo orationis, domum facitis negotiationis, fraudationũ tabernã; furum, & latronũ speluncam.

(a) *v.* 15. (b) *Isa.* 56. 7.

12. Jam quærat hìc aliquis, Quare Christus judex æquissimus ibi mulierem in adulterio deprehensam, lege Mosaicâ convictam, & condemnandam, non statim etiam cum adulteris obruendam lapidibus juxta legem decrevit? Adsunt actores; adsunt testes; factum non negat adultera; lex clamat: *Lapidibus obruentur.* Hìc autem, non examinatâ causâ, ipse Dominus & actor, & judex, ad sententiam, & ad exsecutionem subitò descendit, solo Isaiæ Prophetæ contentus testimonio? Cur ibi ad sententiam, & pœnam nullus; hìc tàm severus, ac subitaneus in pœnam efferbuit? Ibi legem dissimulat; hìc violari Scripturam non permittit? Quæstionem propositam solvant, ut volunt, alii; unusquisqve pro ingenii sagacitate. Mihi respondendum videtur sic: Mulier illa cum hoste validissimo venerat in certamen; cum carne, inquam, sua: cui vires addiderit elegans alicujus, & spectata forma. Non igitur erat tanti, ut vinceret; cessit

cessit misera; victa est; cecidit, à fortiore se superata. His autem negotiatoribus, & nummulariis, quos aliàs collybistas vocant, nulla similis, imò multò cum infirmiore, qualis est pecunia, adversario fuit lucta. Certamen ipsis erat cum ære, cum auro, cum argento, vim nullam adferentibus: sed quò manibus attrectata proijciebantur, eò se volvebant, sine loquela, sine affectu, sine vi; Commutabant monetam; (a) *Vt pro auro darent argentum; pro majore* pecunia *minorem; pro peregrina domesticam*, (ait ex Jansenio, aliisq; Cornelius) augebant, & lucrabantur multum, atq; pecuniam hi philargyri cumulabant. Igitur isti campsores abrepti avaritiâ, & cupiditate lucrandi pecuniam, meritò castigati sunt, ejecti, & confusi, sine misericordia, indigni veniâ existimati; quòd à re tàm vili; inanima, imbecilla, & uno tantùm nutu, non multo certamine, fuganda, permiserint se superari. Quantò cum infirmiore luctabantur, tantò minùs veniâ impertiendi, Sed abrumpo discursum; & cum S. Hieronymo super hunc Evangelii locum commentante concludo: (b) *Latro est, & templum DEI in latronum convertit speluncam; qui lucra de Religione sectatur.* Ita dico: Religiosus victus à philargyria, *Latro est, & templum Dei*, quod esse debet ipsius anima, *in latronum convertit speluncam, qui de Religione*, de Christi patrimonio, de quo religiosa familia vivit, ipse *lucra sectatur*; dives esse quærit; pecuniam ut fur surripit; congregat, ut latro, & prædo sacrilegus, mergendus *in interitum, & perditionem*,

(a) *Cornel. in Matth. c. 21.*

(b) *S. Hier. hic.*

CAPVT XI.

§. I.

Vltronea, nimisque libera cum sæcularibus conversatio, religiosi spiritûs, & vocationis est ruina.

1. Etsi multa jam hucusqve dicta sint, præsertim Parte I. Cap. 15. per totum, quibus

adſtruebatur veritas eorum, quæ religioſum ſpiritum, & vocationem vehementer enervant, ac deniq; proturbant in ruinam; tamen qvia fugam ibi converſationis præcisè cum parentibus, & conſangvineis ſuaſimus, & oſtendimus eſſe converſationem ejusmodi valdè noxiam: ideò ſit operæ pretium hìc magis attingere temeritatem eorum, qui ultrò ſe ingerunt in eam converſandi conſuetudinem, præſertim cùm plurimæ, ſicut ad bonum, ſic & ad malum, & ad vitia, ſint viæ. Sed hæc cum ſæcularibus agendi libertas eſt præcipua ducens ad religioſi ſpiritûs, & vocationis ruinam, adeò, ut, cùm pleriqve id contemnant, tanquam rem penſi non habendam, deprehendant ſe tandem ceu viſco adhærentes aviculas, & ab inſidiatore diabolo captos. Et hæc eſt. (ut propoſita res ſit luculentior) ultronea, nimisqve libera cum ſæcularibus converſatio. Dico, *ultronea.* Qvia dum Superioris urget obedientia, proq; domûs, aut Religionis exigente neceſſitate Religioſum adhibet ad cum ſæcularibus agendum; ſit, ut eo caſu Deus etiam ipſe gratiâ ſuâ, ſimpliciter, ac promptè obedienti aſſiſtat; eumq; intra ſtatûs, & profeſſionis ſuæ limites conſervet, non quærentem, quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei, quæ JESU Chriſti, quæ Religionis, & boni communis. Addo etiam, *nimis libera*: Et ab hac nimiùm libera converſatione cum ſæcularibus caveat ſibi Religioſus etiam ille, quem ad agenda negotia cum ipſis exponit obedientia.

2. Qui verò citra Superioris mentem ultrò ſe ingerit, non tàm ad res aut domûs, aut Religionis neceſſarias expediendas, & curandas; quàm ad occupationes ingenio ſuo, non autem ſtatui, congruas, & gratas aucupandas; & ex induſtria, ceu venator quidam, veſtigandas, ut ita rebus, & tempori, quæ ipſum ad exercitationes inſtituto ſuo conſuetas obligant, ſe ſubducat, & egregiè ſpiritum religioſum in ſe diſſipet, ſenſimqve vocationem objiciat periculo

culo vacillandi, dum in conversando non ut Religiosus, sed veluti nunquam religiosā professionem extremis saltem delibâsset labiis, in omnem loquendi, agendi, conversandiqve licentiam effusus, effutit temerè, blaterat liberè; agit, & tentat, quidquid non tàm rei, personæ, vel temporis fert, & offert necessitas; quàm quod inconsiderata mentis levitas obtrudit, & intrudit buccæ, sensibusqve, non aliter quàm indomito si quis insideat equo, eiqve frenum liberè permittat, per avia, invia, plana, salebrosa, præruptaq; vectus; hic aliud non expectet, quàm periculum, perditionemq; tàm sui, quàm belluæ: sic iste genii sui nimiùm licentiosi, linguam, os, oculos, & totam corporis habitudinem permittens insano ductui, tamdiù temerè, & (quod usitatum est temeritati) nimis confidenter, effusèq; diffluit in conversationem, sicut & in mores sæculares cum sæcularibus, donec & ipse neq; bonus Religiosus, neqve bonus sæcularis, sed quædam sæculi sui (quod jam & alibi dictum est) Chimera sit futurus. Cui benè quadrat illud S. Basilii sic alicubi disserentis: (a) *Qui in Angelicæ jam dignitatis ordinē transivit; is, si humanis posteà affectionibus sese contaminet, pardi similis efficitur pelli; cujus setæ neq; ex toto albæ sunt, neq; ex toto nigræ. Sed cùm sint dissimilium colorum mistiones variegatæ, & interpunctæ, nec in albis numerantur, nec in nigris.* Adeò nimirùm religioso spiritu, probisqve moribus destituitur ille, qui cum sæcularibus, & in sæcularia, nimis effunditur; ut non modò (quantum ad mores) in eo distingui minimè possit; Religiosusné sit, an sæcularis; sed & sola tantùm vestis (utinam & hæc ad simplicem Instituti formam!) ipsum à sæcularibus discernat. Undè Sanctùs idem Basilius sapienter ait: *Monachus rebus adhuc sæcularibus intentus, est veluti statua, quæ solam Monachi figuram circumferat; nimirùm quæ nusquam virtutibus est animata.*

3. Potest etiam ea nimiùm libera cum sæcularibus con-

(a) *S. Basil. Serm. 1. de Instit. Monach.*

versatio aptè comparari Echenidi (vulgò remora dicitur) pisciculo satis exiguo, similiq; limaci: qui navim quantumvis oneratam vel in maximo sistit cursu, teste Plinio (a) sic scribente: *Ruant venti licèt, & sæviant procellæ; imperat furori, viresq; tantas compescit, & cogit stare navigia.* Ita Religiôsus, quantumlibet graves in hoc humanæ vitæ pelago vehat virtutum, & gratiarum cœlestium merces, provehaturqve vehementissimo spiritûs in altum perfectionis cursu; sistet ipsum, ubi adhæserit & libera cum sæcularibus conversatio, & tanquam remora currendi vehementiam impediet; nec solùm progredi non permittet, dum intereà velificant, & ad portum feliciter appellunt alii, sed etiam retinebit, ac remorabitur tamdiù, donec veluti deficiente commeatu nautico, fame, siti, & omni spiritualium rerum penuriâ miserè pereundum erit: (b) *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Quis velificationem prosperrimam vel in ipso currendi impetu sat vehementi moratus est? Remora, cùm sæcularibus nimiùm libera conversatio, ista vos impedivit; ista religiosum spiritum exhausit; utinam & vocationem non extinguat! Adeò nimirum periculosa res est, permittere se nimiæ sæcularium conversationi, turbis, & affectibus, ac negotiis eorum implicari.

4. Et quidem humani generis inimicus aliter vocationem alicujus si nequeat evertere; si deprehendat in cæteris observantem, & observantiæ tenacem; si votorum custodiendorum puritati addictum, ad profectum in spiritu ferventem; non multum in his evertendis initiò arietabit: permittet prosperis ventis in altum provehi perfectionis; sublimem virtutum, quin & sanctitatis patietur ædificari turrim. Sed benè veterator advigilabit, ut occasionem captet, commercium cum sæcularibus insinuandi; cum viris æquè, ac mulieribus indistinctè communicandi; mox in eorum negotia sese liberiùs ingerendi; mores, affectus, & gestus

(a) Plin. l. 32. c. 1. Naturl. Hist. (b) Gal. 5. 7.

gestus eorum imitandi; illorum familiam, domum, & omnia curandi, non aliter, quàm (ad ipsos ubi venerit) præfectus, herus, magister, frater natu major, aut filius, & omnia sit ipse. Et ita demùm professionis, & vocationis suæ penitùs oblitus, non jam Religiosum agit; sed nec in hoc, nec in illo commendabilem; dum sæcularium tricarum laqueis impeditus, non habet tempus, aut modũ, sed neq; animum, sese expediendi.

5. Hoc ipsum Magnus Ecclesiæ Romanæ Pontifex Divus Gregorius expendens, etsi de Clericis ad animarum in sæculo ministerium destinatis locutus; attamen Religiosorum quoq; professioni, sæcularibus autem curis sese implicantium conveniens, sicut egregiè tetigit, ita & graviter reprehendit temeritatem in hæc verba: (a) *Curis sæcularibus intenti, tantò insensibiliores intùs efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Vsu quippè terrenæ curæ à cœlesti desiderio obsurdescit animus, &* *dum ipso usu durus efficitur, per actionem sæculi ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.* Vult nimirùm hoc indicare Sanctissimus Pontifex: omnem spiritualem tàm in sæculo Sacerdotem, quàm Religiosum in Claustro, quòd crebro, multoq; usu *per actionem sæculi*, id est, per mores, & affectus, actionesqve, sicut & per negotia, magis homini sæculari Laico, quàm Clerico, Sacerdoti, vel Religioso convenientia se ingerat, fieri durum, & intractabilem ad ea, quæ suùm decent statum, & vocationem; & ita deserto studii perfectionis culmine, ruere demùm in omnium vitiorum præcipitium à diabolo etiam specie charitatis ad initium deceptum; puta, per spiritualem doctrinam, per divini verbi prædicationem, per assiduam cum sæcularibus de rebus ad animarum eorum statum pertinentibus (sensim autem intentione transversâ) communicationẽ, & conversationem.

6. Idipsum etiam præclarè docet S. Laurentius Justinianus,

(a) *S. Greg. Homil. 17. in Evang.*

nus, ubi magnæ perfectionis viros diaboli fraude circumventos hâc viâ de gradu suo corruisse demonstrans, ita prosequitur: (a) *Hortatur etiam* (diabolus) *ad prædicationes, ad sæcularium conversationem, & ad virorum, mulierumq; indistinctam collocutionem, illud Apostoli commemorans,* Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. *In his omnibus latent fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur, qui carent prudentiâ, & habent elatum cor. O quot, qui jam inter astra nidos suos collocâsse credebantur, occasione fraternæ charitatis in lutum carnalis concupiscentiæ turpiter corruerunt! Quot temporibus nostris fuerunt, & sunt! qui tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti sæcularium conversatione, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt. Quàm multos quotidiè intueri possumus! qui donec in humili statu, & suæ obedientiæ disciplina perstiterunt, in mentis puritate, cordis celsitudine, & virtutis perfectione, se custodierunt. Sed post adeptam dignitatem, post assumptum pastorale officium, propter insvetos honores, & nimias occupationes, obliti, quales fuerant, ad ima miserabiliter descenderunt.* Hucusqve Venetus Patriarcha. Et hic est crebræ conversationis, ac nimiùm liberæ, cum sæcularibus, finis: non solùm de sublimi dignitatis, ad quam ob virtutum, ac laborum exantlatorum, merita (fortassis etiam ob sæcularium instantiam) promotus est Religiosus; sed etiam de virtutis, & perfectionis altissimo gradu deorsùm ad infima ruere; spiritum religiosum, & fervorem ex corde proscribere; tandem & vocationem ipsam discrimini certo exponere; quis scit, an non & perdere?

7. Quod quidem facilè contingere potest, & solet; sicut liquet ex S. Laurentii Patriarchæ asertione. Cùm enim animus in sæculariũ tàm conversationem, quàm mores effunditur; eò deniqve, processu temporis, ferocit audaciæ; ut cum sæcularibus etiam ipse sæcularis (quantum

(a) S. Laur. Just. lib. de discipl. & perfect. Monast. c. 12.

ad

ad mores) effectus non ducat sibi scrupulo post multas leviores culpas etiam in graves, ac mortales, exorbitare; Dei timorem relinquere; exercitationes Instituti sui deserere. Jam in peccatum aliquod grave prolabi, quodq; pejus est, illud frequentare; usu peccati durum fieri; charitatem Dei relinquere, quid aliud est, quàm Deo rebellare? ipsum sibi hostem constituere; omni gratiâ cœlesti destitui; diabolo in prædam, & in direptionem relinqui? S. Bernardus eam Religiosorum cum sæcularibus conversationem nimis liberam gravissimè perstringens ita persequitur: (a) *Tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ: paulatim refrigescit charitas; abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu cœperamus. Indè enim est, ut minùs ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, indevoti pariter, & ingrati. Timorem Domini relinquimus; religiosam omittimus solitudinem; verbosi, curiosi facti, etiam detractores, & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ: quoties sine nota id licet, quasi verò confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur?* Ita S. Bernardus.

8. Non mirum sit ergò; Religiosum excidere Dei gratiâ; repulsam in omnibus apud Deum postulationibus experiri; dignitate, simul & gradu perfectionis, quam auxiliante divinâ gratiâ adeptus est, deturbari. Quia conversatione sæculariũ ad nimium frequentatâ non tantùm intepuit, fervoremq; religiosi spiritûs ex animo proscripsit, sed etiam divinorum factus ingratus beneficiorum, in pristinos, aut etiam in pejores pristinis, relapsus mores, in peccatum ex peccato ruit, & instar immundæ belluæ in vitiorum volutatur cæno. Videtur autem cum Religioso conformante se per assiduam conversationem sæcularibus, & moribus eorum, idem fieri, quod cum Dina Jacobi filia. Hæc quamdiu domi paternæ mansit, nusquam evagata foràs, integram tenuit virginitatem. Sed simul atq; ducta cupiditate,

(a) *S. Bernard. Serm. 3. de Annunt.*

tate, videre, noſſe, & condiſcere voluit mulierum alienigenarum habitum, & mores; ipſa magis, ac priùs à Sichem principe terræ cognita, virginitatis excidit theſauro. Hinc S. Gregorius hiſtoriam iſtam religioſæ menti tropologicè applicans ita philoſophatur: (a) *Dina, ut mulieres videat extraneæ regionis, egreditur; quando unaquæq; mens ſua ſtudia negligens, alienas actiones curans extra habitum, atq; extra ordinem proprium evagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit; quia unitam ſibi per iniquitatem reſpicit.* Quâ ſententiâ docet luculenter Sanctiſſimus Pontifex; diabolum hoc efficere, quòd animam Religioſi extra diſciplinam, habitum, & ordinem ſuum evagantis uniat ſibi, & unam quodammodò ſecum efficiat per iniquitatem, per vitia, & peccata, quæ contrahit, illiſq; conſveſcit per aſſiduum, nimiumqve cum ſæcularibus converſandi ſtudium, ſeq; moribus eorum conformandi.

(a) *S. Greg. 3. Paſtor. c. 3.*

§. II.

Spes, & gratia, quam ſibi Religioſus ex ſæcularium converſatione promittit, fallax.

1. Solet ex nimia cum ſæcularibus converſatione religioſa mens adeò dementire, diabolo videlicet incendente, materiamqve ſemper ampliorem ſuggerente; ut non tàm Religioni, quàm ſibi, magnum indè comparatum iri ſperet emolumentum. Et qvia ſenſim enervatur, & emoritur in ipſa ſpiritus ad Deo fideliter ſerviendum; ſuccedit autem fervoris, quem principio ſuſcepti inſtituti conceperat, langvor, tædium, & quædam nauſea vitæ ſpiritualis; ideò folium incipit vertere; modos, & rationes inveſtigare, quibus honeſto titulo; vel, ſi titulus iſte ſucceſſum non habeat, turpi receſſu (ne dicam etiam fugâ) magna ſibi ſæcularium, cum quibus inſignem notitiam, & commercium habuit, promittere patrocinia;

ea magno studio quærere; majore diligentiâ comparare. Sed ipsi verè contingit, quod Æsopico illi cani, qui bonam alicubi nactus offam, ore prehensam dum fluvium natando traijceret, umbram ejus in flumine conspicatus, alteram arbitratus offam esse, hiante rictu voluit eam apprehendere; cùm interim & hanc, quam habuit, in profundum elapsam, amisit. Ita prorsùs & iste. Magna sibi videntur, & certa; quorum umbram tantùm, non ipsam rem, objectam habet. Promittit sibi & hìc beatam quandam extra claustrum, & extra instituti professionem, vitam in terris; & facilem pariter ad Cœlum viam. Sed totus fallitur, & errat toto Cœlo; dum spem suam non in Deo, sed in hominum gratia fundat. Cujus spes inanes ad vivum adumbravit Propheta Jeremias, cùm ait: (a) *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit, cùm venerit, bonum. Sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* In quæ verba Cornelius à Lapide commentans, quinqve recenset damna recedenti à Deo, confidenti autem in homine, certissimè eventura. Et talis est omnis, qui Religionem ingressus, aut professus, posteà sæcularium ex conversatione blanditiis, & promissis illectus aliò mentis oculos, & propositum vertit, non ad Deum, & ad in Religione perseverandum.

(a) Jerem. 17. 4.

2. *Primum* igitur damnum hoc consequitur: quòd nullũ habeat bonum successum. Verissimum est enim, quod dicitur apud divinum Psaltem: (b) *Iter impiorum peribit.* Et alibi: *Dominus vias peccatorum disperdet.* Nimirum etsi vertat se, quò vult, boni propositi desertor, & instituti; quærat pacem, quietem, & voluptatem, ubi vult; & jam in sæculo magis, quàm in Religione Monachus; *Dominus vias ejus disperdet.* Aspiret ad dignitatis aliquem in sæculo gradum, & grande quodpiam beneficium; ad magna fami-

(b) Psalm. 1. 6. & 145. 9.

liæ ſuæ, ſeu domûs ſuſtentandæ commoda. Non proſperabitur via, non; qvia *Dominus eam diſperdet*, nec deſertori, nec alii profecturam. *Alterum* damnum inconſtantis, & in homine confidentis animi eſt: quòd nullum faciat fructum, nec in ſe, nec in aliis. Eſt enim arbor mala, corrupta, & degener, ex bono vitæ religioſæ terreno, translata in ſolum hujus mundi ſterile; in quo manet quaſi myrica *in deſerto, in ſiccitate, in terra ſalſuginis*; arbor, inquam, mala, corrupta; (a) *Nec poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Sicut enim omnis optimi corruptio peſſima; ſic Religioſus, ubi corruptus fuerit, & factus ex bono malus, quò melior erat, & profeſſionis ſuæ ſtudioſior, eò fiet pejor; ſicut jam ſuperiùs ex S. Auguſtino monſtratum eſt, & docet experientia.

3. *Tertium* damnum eſt; quòd gratiæ cœleſtis, & ſapientiæ pluviâ deſtituatur. Scriptum eſt enim: (b) *Pluviam voluntariam ſegregabis*, Deus, *hæreditati tuæ*: ut intelligatur; gratiâ, ſapientiâqve cœleſti illum tantùm irrigari, qui manet in Domini Dei hæreditate; vel qui ſemetipſum exhibet Deo hæreditatem: non autem illum; qui ſuave Domini jugum, quod eſt religioſa profeſſio, excutit, & ſe ſummittit ſervituti mundi, tyrannidi diaboli. *Quartum* damnũ ejus, qui relicto Deo, & ſanctis ejus conſiliis, fiduciam quærit, & ponit in homine, eſt; (c) *quòd ſolus erit; à Deo, & ab hominibus derelictus.* Et quidem derelictionis à Deo cauſa eſt à priori. Qvia ſcriptum eſt: (d) *Domine; omnes, qui te derelinqvunt, confundentur; recedentes à te, in terra ſcribentur.* Videlicet hoc ipſo, qvia Deum dereliquit miſer, etiam Deus ipſum certè derelinquit. Derelictionis autem ab hominibus à poſteriori eſt cauſa. Quamdiu enim Religioſum in ſua vocatione vident conſtantem, ipſum venerantur, & magni æſtimant. Sed ubi levitatem ipſius ex Religioſo bono jam in alium mutati conſiderant, & ponderant inconſtantiam; deſperant illam, quam ex ipſo ſibi promittebant,

(a) Matth. 7. 18. (b) Pſalm. 67. 10.

(c) Cornel. in Jer. c. 17. (d) Jer. 17. 10.

bant, utilitatem; & veriti, nè facultates, & subsidia requirat ipsorum ad sui promotionē, mavult unusquisq; suo parcere marsupio, & egentem alterius relinquere curæ; & ita desertus undiq; vagus, & incertus oberrat, nusquam consolationem aliquam consecutus. Et impletur in ipso planè, quod S. Ambrosius ait: (a) *Qui temporalia sequuntur, & non sequuntur æterna; & hìc infatuantur à stultitia sua; & futurorũ gratiam habere non possunt.*

4. *Quintum* deniq; damnũ, quod est ultimum, & ex omni parte pœnè jam desperatum, hoc sequitur: quòd dæmoni, & tyrannis hominibus humanitatem omnem exuentibus objicitur. Sicut contigit Regi Sedeciæ; qui recessit à Deo, (b) *& fecit malum coram Domino.* Et cùm esset tributarius, ac beneficiarius Regis Babyloniæ, recessit etiam ab illo. Quo postmodum obsidente civitatem Jerusalem, cùm esset in angustiis, consuleretq; Jeremiam Prophetam, quid sibi faciendum esset; audiret autem sibi Dei nomine præcipientis à Propheta dici; ut egressus ad Principes Chaldæorum, traderet se Regi Babyloniæ, noluit obedire voci Domini, sed confidens obsessorũ viribus obsidionem pertinaciter sustinebat. (c) Tandem captâ civitate Rex fugiens nocte (d) *per viam ducentem ad campestria solitudinis*, ab insequente Chaldæorum exercitu captus, ductus est ad Regem Babylonis, desertus à suis, *qui dispersi sunt*, (sacer ait historicus) *& reliquerunt eum.* (e) Hic ergò, quem Deo suadente per Jeremiam patronum habere noluit Deum, expertus est hominem tyrannum adeò crudelem, filios suos ut primò trucidari coram se cogeretur aspicere; tandem & ipse effossis oculis vinctus catenis in Babylonem est abductus. Deploranda Regis historia figuram præfert Religioso vocationem suam deserenti. Qui tanquam alter Sedecias à Deo recedit, & ab ejus sancto obsequio, multa sibi promittens in spatiis imaginariis, in amicorum fortunis, in patronorum divitiis, in

(a) S. Ambr. Enarr. in Psal. 43. (b) 4. Reg. 24. (c) Jer. 38, 17. (d) 4. Reg. 24. 4. (e) v. 5.

magnis adulantium promissis, in sui ingenii qualitatibus, in prudentia, in scientia, in sedulitate, & industria: nec interea ponderat gravissimam istam Prophetæ comminationem: *Maledictus homo, qui confidit in homine; & ponit carnem brachium suum.*

5. Jam qui maledictus est, quid ipsum sequetur aliud, quàm maledictio? Non potest sequi benedictio illum, qui Deum deseruit, & in Deo pacem quærere noluit. Non potest etiam successum habere bonum, suffragium hominum; quem Dei calculus non juvat. Qvia sicut Deus hominum corda movet ad bono Religioso faciendum benè; sic è contra confundit, & avertit hominum animos, & corda, ab illo; qui recedit à Deo, in quo solo pax est, & requies solida; bonum, & voluptas stabilis; non autem in rebus caducis, momentaneis, & evanidis. Clamat idcircò S. Augustinus: (a) *Quò vobis adhuc, & adhuc, ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite, quod quæritis; sed ibi non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis.* Et ita certè fit cum anima Religiosi vocatione suâ minimè contenti. Quærit requiem in mundo, & majorem invenit tumultum: quærit pacem, & invenit turbationem; quærit consolationem, & incidit in ærumnam; quærit vitam beatam, & ipsum apprehendit misera mors, aut vita morte miserior. Qvia quærit vitam in mortis regione; auxilium in homine infirmo, brachium in carne imbecilla, potentiam in arundine fragili, spem in evanido, salutem in perdito: atq; re verâ nihil invenit; nisi dolorem, calamitatem, miseriam. *Væ animæ audaci*, (rursùm in Confessionibus suis clamat (b) Augustinus) *Væ animæ audaci; quæ speravit, si à te recesserit, se aliquid meliùs habituram. Versa, & reversa, in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia.* Dura sunt, inquam, aspera, & desperata omnia; ita, ut, ubi maximè spem suam fixit à Deo, & à sua vocatione rece-

(a) S. Aug. lib. 4. Confess.

(b) Confess. lib. 6.

dentis

dentis animus, ibi nihil, & nihil reperiat; nihil, nisi fraudem, fallaciam, desperationem, & tandem in desperatione interitum. Hunc finem habet in imaginariis, ex sæcularium conversatione sibi conciliatorum bonis & gratia, fundata spes.

6. Horrendum ad hujus rei comprobationem (ut alia omittam plura) narrat exemplum R. P. Daniel Pawłowski Soc. JESU, [a] in suo Exercitiorum spiritualium libello, cui titulus: *Locutio DEI ad cor Religiosi.* Fuisse videlicet quendam in Polona Provincia in eorum Societate Religiosum, cujus ille nomini parcit, Anno Domini 1630. Qui „cùm coram Generali exercituum Duce Koniecpolski „(genuina sunt Auctoris verba) concionatus esset, hanc „ab eo laudem tulit: *Egregius „esset Prælatus, si Religioni non „esset obligatus.* Hoc encomio „audito, Religionem deserere decrevit, allegans inopiam parentum, ad quam sublevandam jure naturæ teneretur. Sed Collegiū Cracoviense in eorum sustentationem sexcentos florenos obtulit. Reperit ille alium prætextum; asserens se ante ingressum Societatis, fuisse Monachum. Atq; ita dimissus, rectà Barum ad Koniecpolski Ducem discessit. Ad quem non admissus, id solùm responsi retulit: Se Patrem N. N. nosse, & illum amare; alterum verò non nosse. Sic miser deceptus, ab Episcopo Camenecensi Piasecki exiguũ beneficium impetravit. Deinde P. Rectorem Camenecensem adiit, usurus ejus operâ in iterata admissione ad Societatem. Re tantisper dilatâ, in desperationem incidit, & quâdam die, ablegató famulo, cultrum arripuit, decemq; vicibus cùm pectus sauciasset, animam efflavit; extra locum sacrum sepultus, qui terram sanctam, Societatem, Prælaturæ causâ deseruerat. " Hucusq; memoratus Auctor.

7. Jam hinc satis est pronum intelligere; *Primò*, Patrem illum in Societate non illau-

[a] *P. Daniel Pawłowski lib. Exercit. Spirit. Med. 1. doctr. pract.*

illaudabiliter vixisse. Siquidem ad eum retinendum in sua vocatione Collegium Cracoviense sexcentos offerebat florenos, illo tempore, quo res ad tantum pretium, in quanto sunt hodie, non ascenderant, ita, ut quod decem florenis, & ampliùs, emas hodiè, tunc unum, alterumvé dedisses, ad honestam sustentationem sufficientes in diem: & quando regnum Poloniæ pace altâ, argento, auro, pecuniâ, rerum omnium magnâ florebat abundantiâ. *Deinde*, eum Prælaturæ desiderio, non tàm parentum sustentationem quæsivisse, (siquidem istam offerebat Societas) quàm cum sæcularibus conversationem, sanctæq; professionis concepisse tædium, ac fastidium: quando monasticæ vitæ, quam olim fuerat professus obtentu, tàm laudabili instituto, quod in Societate profitebatur, renuntiavit. *Postremò*, quod diligenter observes; Quem Jesuitam & novit, & laudavit, & amavit magnus in Republ. tunc florentissima vir, Exercituum dux; jam sæcularibus involutum nugis, & sæculari indutum habitu, non novit; illaudatum, nec ampliùs amatum, in conspectum suum admittere noluit. Ita fit communiter cum Religioso à laudabili professionis suæ statu desciscente. Despicitur, corruit, & miserandum in modū perit; ut hominibus ejusmodi non incongruè quadret illud divini Psaltæ: (a) *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Vel alterum illud: (b) *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

§. III.

Nimia cum sæcularibus conversatio tàm Religioso conversanti, quàm toti Domui, totiq; Religioni plerumque noxia.

1. Una inter alias, in nimiam conversationem effusi Religiosi, fallacias, quibus eluditur, etiam hæc est non postrema; quòd putet, se non tantùm sibi privato, sed etiam toti, in qua manet, domui, Collegio, seu Conventui, quin & toti

(a) *Psalm.* 9. 7. (b) *Psalm.* 68. 29.

toti Ordini, cujus institutum profitetur, magnum adferre emolumentum, adeò quidem, ut audeat etiam jactare se, plurimùm ex sua tantùm conversatione commodi accedere claustro. Cui, quæ conferuntur à patronis beneficia, ea nonnisi suæ tribui debere industriæ, curæ, & dexteritati, hominum animos, & corda gnaviter ad benefaciendum pertrahenti. Si contingat etiam ipsum fungi Superioris officio; vel aliquam saltem administrationem Oeconomiæ sustinere; tantò magis in vana de se concepta confirmatur opinione; ut nihil DEO, corda hominum ad beneficentiam moventi; nihil aliis in domûs utilitatem allaborantibus; sed omnia sibi tantùm, prudentæ suæ, & cum hominibus conversationi, quâ benevolentiam, animos, & corda trahere noverit, adscribat. Audietur ideò dicere sæpè sæpiùs: Ego hunc Altarium, templi, sacelli, apparatũ comparavi: Ego sacros calices, pyxides, phialas, urceolos, procuravi: Ego murum, ambulacrum, cellas, ædificavi, & ampliavi: Ego communitatem benè semper habui; ab angustiis in summa rerum penuria vindicavi, abundè alui; domum, & familiam necessariis omnibus instruxi; Me Superiore, me Oeconomo, Procuratore, me pro domo desudante, res nostræ quodammodò caput sustulerunt: Ego nisi fuissem, laborâssem. &c. &c.

2. Hæ, & his similes audiuntur illius arrogantissimæ voces. Sed quàm insulsè, & quàm insipienter prolatæ, non considerat; tùm quòd hoc ipso plurimum deroget (sicut dictum jam alibi) Deo, ejusqve divinæ providentiæ, danti pullis corvorum escam, & eos à rapacium volucrum rapina defendenti tunc, cùm implumes adhuc à parentibus deseruntur, nutritium, & tutorem alium non habent; quantò magis autem pauperũ Religiosorum in optimi Patris Cœlestis providentia cogitatum, & curam suam jactantium, necessitatibus prospicienti? tùm quòd omnium cæterorum contubernaliũ laborem,

borem, ſudorem, omnemqve curam ſuam in commune conferentium obſcuret, contemnat, & infra ſe ponat. Cui benè poſſet domeſticorum aliquis cum irriſione reponere, quod Æſopus olim Socrati mancipium ſibi empturo; quærenti verò ex ipſo: Quidnam ſciret? reſpondit: *Nihil.* Interrogatus autem; Cur nihil ſciret? repoſuit: *Quia iſte* (mancipium pone ſtans innuit) *ſcit omnia*; confutans, & riſu explodens alterius adſtantis, inſolens reſponſum; quòd interrogatus antè, quidnam ſciret? reſponderit; ſe, ſcire omnia. Nec tamen hunc omnia ſcientem emit Socrates; ſed Æſopum, nihil ſcire ſe reſpondentem, qui apud ſapientiſſimum Philoſophum æſtimatione ſcientem omnia ſuperavit, videlicet æſtimari meritus ob prudentiam; ille contemni propter arrogantiam. Ita Religioſus arrogans, equidem maneat penes opinionem ſuam, quòd ipſe fecerit omnia: Sed intereà noverit; ſe tantùm exponi riſui, & contemptui; ac per eam converſationem nimiam, quâ putat, ſe beneficia plurima, & omnia, in domum religioſam derivare, non ſolùm ſibi, ſed etiam toti in qua manet, domui, totiqve Ordini, plus adferre damni, quàm emolumenti.

3. Privatam quod attinet perſonam ſuam; hanc inſigni proſtituit vilitati. Cùm certum ſit illud vulgare: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Nec etiam exiſtimare debet; ſe numeris omnibus abſolutam religioſæ perfectionis aſſecutum eſſe formam. Cùm enim multi adjaceant unicuiqve fragilitatis humanæ vel ridendi, vel etiam graviter reprehendendi nævi; certè neqve ipſe ſe jam inter Angelos, aut viros ſummos numeret; qui cæcus in pervidendis imperfectis ſuis talpa, totus immerſus ſæcularium converſationi, (& ob hanc tantò contemptibilior) multa negligit in ſe emendanda; quæ magis inter converſandum ex temeraria confidentia ſolent erumpere; & eos, cum quibus agit, offendere; ſicqve

vilem,

vilem, & contemptibilem in oculis, & animis eorum fieri. Quòd autem offensionem, & contemptũ dissimulent; dandum est hoc, non Religiosi conversantis auctoritati, vel gratiæ, quâ se putat apud sæculares valere: sed gratiæ Religionis, quæ inter alia etiam hoc habet à Deo peculiare, quòd homines ipsam æstiment, honorent, revereantur, & ament. Qui si sciret intereà; quanta posteà loquantur de se absente; quàm derideant levitatem ipsius; hunc, aut illum, defectum in ipsó carpant; non posset, nisi vehementer erubescere; seq; omni studio, eorum conversationi subducere.

4. Et hoc illud est, quod pauci consideramus, legimus autem omnes, quod religiosissimus ille vir, Thomas à Kempis in hac materia scribens, ait: (a) *Putamus aliquando alijs placere ex conjunctione nostra; & incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.* Quæ tantò majorem in sæcularibus excitat considerationem, & admirationem; quantò confidentiùs Religiosus affectus, & passiones suas coram ipsis effundit. Non sine causa Spiritus Sanctus admonet apud Ecclesiasticum: (b) *Non omni homini cor tuum manifestes; ne fortè inferat tibi gratiam falsam, & convicietur tibi.* Id est: non coram unoquoq; cum affectibus, & passionibus in corde tuo ceu quodam in nido residentibus & bullientibus, erumpas; & consequenter etiam ex nimia confidentia, quam tibi parit crebra conversatio, animi tui effutias arcana. Qvia qui parùm cautus in consortio cum sæcularibus omnia quæ coquis in corde, communicas; sint illi noti quantumcunqve, suamq; contestentur amicitiam, affectum, & sinceritatem; sunt nihilominùs sæculares, non Religiosi, multò minùs Instituti tui; & inter multos incides in aliquem unum, & fortassis non in unum solùm; qui falsam, & fictam inferet tibi gratiam; probabit, & quidem cum applausu tua laudabit dicta, & facta; sed mox, ut abieris, egregiè conviciabitur

(a) *Thom. à Kemp. de Imit. Chr. lib. 1. c. 8. num. 2.* (b) *Eccli. 8. 22.*

tur tibi, dicetq; suo, vel suis confidentibus: Hem, quàm inconsideratus hic Religiosus est! quàm parùm linguæ temperans! quàm levis, & temerarius. Dicit, effutit, facit; quæ sæcularis ego minimè facerem; vel saltem in quibus ego cautior essem. Et ita pro reverentia lucratus es gratiam falsam, & fictam: ut in posterùm non ex animo sincero, sed tantùm per cæremoniam, & (uti dicimus) pro forma te revereatur; pro bona, quam tibi imaginaris opinione convicium, risum, & cachinnum reportes: aversationem pro gratia. Hanc illi posthac, ubi redis ad ipsos, simulant; illam dissimulant.

5. Sed non satis est, ex nimia conversatione sibi conscivisse damnum. Serpit indè malum etiam in totam Domũ; serpit in totum, quem temerarius hic profitetur, Ordinẽ. Cui propter unius inconsiderati levitatem idem, quod in ipso conviciantur, cæteris omnibus institutum hoc profitentibus, vitium facilè appingunt. Neq; jam dicent: v. g. Hic Pater, aut ille (sicut dicendi mos inter sæculares invaluit) Magister, hoc dixit, fecit, ausus est. Sed: etiam hoc claustrum, Collegium, institutum, habet homines audaces, loquaces, temerarios. Vel, quod jam usitatius est: Etiam isti Religiosi v. g. Scholarum Piarum, sunt temerarii, subdoli, superbi, ambitiosi, honoris appetentes, rixosi, loquaces, cuticulæ suæ curatores: & quidquid demùm non probant in uno, in ipsorum opinione mala, vapulat tota Communitas; tota Religio. Fuit enim, & est, hæc infelicitas semper, quòd, sicut citiùs malum de quopiam creditur, quàm bonum; ita vitium unius adscribitur faciliùs omnibus, ex quorum communitate peccat unus; quàm ipsi uni, qui cæcus vitio suo blanditur & delinquit.

6. Sic olim Monachus quidam juvenis ex Ordine, & Cœnobio, cui recens à se excitato S. Augustinus præfuit, cùm in luxuriæ peccatum lapsus esset, ob id dedecus toti Monasterio calumniam vulgus

gus intulit, tanquam essent tales omnes illi Monachi, qualis unus iste dæmonis deceptus fraude juvenis est repertus. Quam calumniam ipse S. Augustinus (a) Epistolâ quâdam vindicare coactus est; docens: Non omnes metiendos esse ex uno. Et ita quidem ex observato vitio, seu vitiis unius incautè conversantis, emergit toti Communitati detrimentum, & ignominia. Jam si tàm sit temerarius, & incautus, ut ea, quæ aguntur domi, ad sæculares extra Claustrum, aut etiam in Claustrum venientes, efferat, referatqve: consilia cum ipsis communicet, prodat, ab ipsis accipiat. Hic Domûs, & Religionis, non filius; sed hostis, & parricida est. Qvia tot conflat inimicitias, inimicos, & odia; quot amicos suos (si tamen amici dicendi sunt) negotiorum participes facit domesticorum. Hinc posteà contra religiosam domum, & contra totum ejus Ordinem, inter sæculares oriuntur obtrectationes, exprobrationes, irrisiones. Uno verbo: ad consessus, & ad mensas eorũ, Religiosi sunt loquendi materia, fabula, sunt bellaria. Hi sunt fructus, & commoda, quæ domibus religiosis adfert nimia, & crebra conversatio.

(a) S. Aug. Ep. 137.

CAPVT XII.

§. I.

Persuasio; posse salvari etiam extra Religionem, & in Ecclesia Dei majorem fructum facere, quàm in Religione, insignis est impostura, & certissima ruina Vocationis.

1. Ad propositum hoc examinandum, provocat duplex hominum in Religione genus. Primum est Novitiorum. Qui postquam spiritûs delicias, & Instituti religiosi aliquam experti sunt praxim, diabolo semper eorum insidiante vocationi, atq; modis omnibus eos à cœpto dimovere conante, quotidianam illam, & irrequietam disciplinam, exercitationem, & studium, incipiunt vel nauseare; vel pro-

pter assiduitatem exercitiorū sensim ipsis fastidiosam, non experiri gustum, quem Deus initiò solet ad alliciendum impertiri; vel obducto quodam ad duriora ferenda callo contemnere, nec æstimare tanti, quanti ad initium, eum vitæ tenorem, & asperitatem; definiuntqve secum ipsi; minùs hæc ad salutem esse necessaria: sed methodo faciliore consequi se posse beatitudinem æternam, absqve tantis Instituti religiosi difficultatibus, & asperitatib9; & (quod rei caput est, summæq; difficultatis) absq; propriæ voluntatis abnegatione. Posse nimirùm in sæculo sui juris esse, & nihilominùs devotè, sanctèq; Deo servire, imò fortassè meliùs: dum in Religione non oro, quantum, & quando volo; non exerceo corpus inediâ, flagris, chamevniâ, aliisqve mortificationibus, nisi ex arbitrio, & ad præscriptum vel Regulæ, vel Superioris. Quæ omnia liberiùs extra Religionem, si mihi visum fuerit, licebit exercere. Hæc quidem esse solet tentatio Neoptolemorum à principe tenebrarum in lucis angelū transformante se excitata.

2. At verò cæteris, qui jam religiosa nuncupârunt vota, juvenibus, subindè etiam in ætate media constitutis, jam, Dei gratiâ, literis & scientiis, atqve aliis qualitatibus ad Instituti commendabilem promotionem instructis, sed fortassè virtutem aut parùm amantibus, ideòqve nec in ea seriò exercitatis, aut ejus exercitium pertæsis, aut si virtute aliquâ eminent, invidus inimicus dæmon, ut Religiosum à suo deturbet statu, callidè suggerit, qualitatum, quæ tunc magis in exercitium, & in lucem veniunt, magnam æstimationem: tùm stimulum ad superbiam subdit; maximè verò, si per visitationes parentum, consanguineorum, aliorumq; ad se venientium, sive in domos suas ipsum crebriùs invitantium, ac recipientium, incipiat pristinas commoditates, & alia sive paternæ domûs, sive mundi irritamenta degustare, & in animum admittere: vel si parentum, fratris,

tris, ſororis, aut conſobrini aliquas ærumnas inſpicere cogatur; anguſtias, & miſerias eorum ſentire; querelas, & lamentationes audire. Tunc, bulliente ſanguine, hinc quidem mundi, carnis, aut domûs aliqua majora, quàm in Clauſtro, dæmon proponit commoda: indè, quoniam natura non exuit ſanguinis amorem, eorum miſeriis ſubveniendi ſtimulos addit ingenium; facilitatem juvandi inſuſurrat habilitas; charitatem inordinatam accendit naturæ jus; ſuper hæc omnia diabolus incenſor mentem inflammat, & vanitatum fumis offuſcat; naturam concitat; animum impellit; religionis aſperitates exaggerat; religioſæ vitæ fructum extenuat; ſuſceptam profeſſionem vituperat; faciliorem modum animam ſalvandi ſvadet: utriqve tàm Deo, quàm ſibi, quàm ſuis in ſæculo ſerviri poſſe verſutiſſimus inculcat. His, & aliis arietatus inſultibus haud difficilè cedit, præſertim in ſpiritu parùm fundatus: & jam incipiet meditari, machinariqve: quomodo mandet exſecutioni, quod concepit.

3. Cæterùm validiſſimi ſunt hi duo, quibus humani generis inimicus æquè tyronem, ac profeſſum pulſat, arietes: Nempè ſalvari poſſum etiam extra Religionem; &, in ſæculo majorem, vel ſaltem æqualem, poſſum in Eccleſia Dei facere fructum, quàm manens in Religione. Primus hic aries enervat, & tollit, ad exercitiorum quæ ſpiritum religioſum fovent, frequentationem, animum. Alter fiduciam addit ad deſerendam profeſſionem. Ille charitatem ſenſim minuit, tantùm etiam non extinguit, quò ſummoperè ſemper, ut vincat, collineat hoſtis: iſte facilitatem ad ampliandam Dei gloriam inſuſurrat. Quid enim? Si, ut S. Hieronymus ait, (a) *æqualiter patet aula Cœleſtis*; quò mihi tàm anxia ſolicitudo, quâ poſſim animam ſalvare meam? Tàm ſæculari, quàm Religioſo; tàm diviti, quàm pauperi, Cœleſtis aulæ via patet ad Deum. Poſſum frui bonis, & commodis; & tamen Chriſti-

(a) *S. Hieron.*

anæ perfectionis officium non oblivisci; possum frequentare Sacramenta; bonum agere Christianum; perfectum etiam, quantum humana fert imbecillitas, agere Sacerdotem; & per opera bona lucrari Cœlum quis impediet? Tàm sæculari mihi, quàm Religioso Cœlestem beatitudinem non negat Deus; *Æqualiter patet aula Cœlestis.* Hæc, & his similia plura, cum bona spe sibi promittit, & ratiocinatur in partem sui sensûs sive tyro, sive professus; quem impetus animi ad mutandum statum, vocationemq; deserendam temerè impellit.

4. Magis autem impugnat, & validissimè arietat ipsum altera persvasio. Quòd videlicet in sæculo majorem in Ecclesia Dei, majore quoqve facilitate, facturus sit fructum, quàm in Religione: in qua tàm spatiosum ad proferendas ad Dei gloriam qualitates, & dona, non habeat campum; præsertim cùm omnis ad eminendum in aliqua dignitate Ecclesiastica, in qua plurimùm proficiunt alii, præcludatur hìc aditus: quam dignitatem consequi potest extra Religionem; cujus professio, statusqve non habet aliud, quàm in obscuro semper hærere, nec pro qualitatibus ingenii, animiqve, doctrinam aliis etiam communicare, in eosq; bona spiritualia, quæ sicut verè bona volunt esse communicabilia, conferre. Quòd si deniq; contingat, aliquem in Religione dignitatis adipisci gradum: is neq; diuturnus est, & vix ad triennium durat; neq; Dei Ecclesiæ quidquam videtur commodare: sed soli tantùm Claustro, in quo quis habitat, modicam adfert utilitatem, cum sexcentis interim competitorum, & expectantium invidiis, odiis, obtrectationibus, & machinationibus, quibus alterum è gradu quem adeptus est, honorifico deturbent, ita, ut, etiamsi velis aliquid pro Dei gloria, & Religionis incremento facere boni, nescias; quònam priùs operam, & studium convertas, an ad removenda, quæ bonũ commune vehementer impediunt, obstacula; an ad bonũ,

quod desideras, promovendum, vel saltem ad id, quod est, conservandum. Contrà in sæculo beneficium aliquod honorificum, ad quod invitat me patruus meus; parentum, & consanguineorum provocant opes; indoles, & qualitates meæ mihi viam aperiunt, ubi fuero consecutus, adeò nullum video fore dignitatis invidum, ut etiam non sint defuturi plurimi, qui mihi faveant, promoveant, omnibusqve bonis propositis meis cum omni libertate ad Dei gloriam, & Sanctæ Ecclesiæ utilitatem exsequendis, gratiâ, votis, consiliis, & auxiliis adstipulentur. Et major gradus aliquis si non obtingat mihi, saltem hoc consolationi futurum est; quòd beneficium, & dignitas, in totam mihi mansura sint vitam; nec ullus, qui jam ex Canonicatu, ex Prælatura, ex pingui Præbenda, possit exturbare me, reperietur.

5. Hoc igitur paralogismo, & imaginatione, vel potiùs imaginariâ persvasione plenus, in spiritu religioso jam tepidus, ad disciplinám, ad alia religiosæ vitæ exercitia langvidus; ad exsequendam obedientiam piger, aut nullus; ad pristinæ sæcularis vitæ repetenda vestigia totus inclinatus, quid jam machinabitur aliud, quàm ut cogitatum suum expleat? Nec aliam habebit inconstantiæ suæ rationem, quàm quòd nolit perseverare. Superior laboret, aut Magister, aut Pater spiritualis, quantùm potest, & vult; omnes vires, & consilia huc convertat, ut ipsum retineat in sua vocatione: frustrà tentantur omnia: qvia perseverare non vult. Qui si Novitius est: equidem post adhibita omnia media, ad continendũ illum, si nolit acquiescere, nec ullâ ratione perseverare; vadat cum bono Deo, quæsiturus magnam, quam sibi promittit in àére, fortunam. Major est difficultas, & miseria cum professo; quamvis id rarissimum sit, attamen major, imò summa cum isto calamitas est. Qui factus jam audax & impudens domesticis quidem scandalum, externis admiratio,

miratio, sibi sine fronte propudium, audet, & tentat omnia, quæ sua sibi svadet vesania. Clam domo prodire, etiam profugere; Jurisperitos ad infirmandam professionem consulere; parentes, & consanguineos, ad extorquendam ab ipsis pecuniam, dementare; ad Proceris alicujus, aut magni Præsulis patrocinium, & protectionem confugere; sexcentis mendaciis causam suam colorare, non ducit sibi Religioni. Superiores, & Religionem calumniari, tanquam olim munusculis, & popysmatibus illectus adolescens, seductusqve, & ad professionem faciendam persvasus fuerit: aut quòd non eam, quam sperabat, inveniat charitatem, & regularem observantiam; aut ad professionem se penitùs invitum, contra mentem suam, solo metu, respectu, reverentiâq; parentum, vel consanguineorum accessisse: aut etiam nunc permotum inopiâ parentum, ad quam sublevandam (sicut asseruerat ille) jure naturæ sit obligatus, exire cogi. Has, & similes hisce rationes alias, in capite suo conglomerat inconstans, & temerarius; intereà verò sibimet ipse egregiè imponit, dum sibi promittit; quæ nunquam est habiturus; religiosum autem spiritum extinguit; vocationem infirmat; &, ut Deus ipsum cœlesti lumine illustret; Superiores auxilio, consilioq; juvent ad alacriter prosequendũ obsequium Dei, ponit impedimenta.

6. Etenim Cœleste lumen, illustrationes, & gratiam quod attinet; etsi Deus hanc semper dare paratus sit; tamen in hoc oportet diligenter advertere, quod dicitur in quodam Psalmo: (a) *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum; omnibus invocantibus eum in veritate.* Jam quid est *invocantibus eum in veritate*; nimirùm lumen, & gratiam ut infundat, sitqve propitius homini oranti, & invocanti? Ut proposita promoveat, desideria impleat, & assiduè sit promptus ad impertiendum, gratiam implorantibus? Respondet Hugo Cardinalis, ac dicit: (b) *Omnibus*

(a) *Psalm.* 144. 18. (b) *Hugo de S. Charo hic.*

invo-

invocantibus eum in veritate, id est: non ſecundùm vana deſideria, quæ aliud quærunt, quàm ipſum Deum. Deſideria igitur Religioſi tranſire ad ſæculum machinantis certè non ſunt, niſi vana; ſunt, quærere non Chriſtum pauperem in ſtabuli præſepio algentem, vel in Cruce nudum pendentem: ſed ſunt, quærere ſemetipſum inter commoda carnis, inter opes, & voluptates; ſunt, relicto Chriſto, mundum, & diabolum ſequi. Et ideò non eſt propè; ſed quàm longiſſimè, Dominus ejuſmodi Religioſo invocanti eum. Non enim invocat *in veritate*: ſed in mendacio, & vanitate, confingens innumera mendacia, & faciens impoſturas; quibus inſtitutum, quod deſerere molitur, eludat; hominibus imponat; ſemetipſum de bono ſtatu detrudat in malum. Superiores etiam, & ij, cum quibus idem inſtitutum profitetur, etſi juvare conſilio ſemper velint, & parati ſint, non tamen poſſunt ob refractarii contumacem animum. Undè fit, ut animos eorum alienet à ſe; & orationes, quas ad Deum fundunt pro contumacis illuminatione, ſint irritæ. Qvia iſti quidem orant, quod non eſt alienum à ſalute machinatoris; ſed ipſe petit, & molitur aliud, quod non eſt pro ſalute ſua: videlicet, ut non maneat in Chriſto; ſeq; tanquam inutilem palmitem ſeparet à vite vera, quæ Chriſtus eſt, nolens ſequi voluntatem illius, qui vocaverat ipsũ ad Religionem.

7. Indè jam conſequitur; Religioſum in ſuſcepto ſemel Inſtituto minimè conſtantem; illum, inquam, qui deſerere molitur, vocationem ſuam, & quidem ex contemptu, præterquam quòd in ſe ſpiritum extinguat, fiatq; ad proſequenda Religionis exercitia languidus, & piger, ac negligens, etiam coronam, quæ ſibi parata fuit, amittere. Nam poſthac vel perſeverat in Religione, vel non. Si perſeverat, niſi majore cum fervore, quàm antè, moliminis ſui pœnitens, vocationem proſequatur, coronam accipiet electionis primæ, per quam conſenſit

sensit vocanti Deo ad Religionem; sed non in ea plenitudine, in qua contulisset Deus, si constanter in primo proposito perseverâsset semper; tùm qvia per eam ingressûs, aut etiam professionis, retractionem, & per alia, quæ intervenerant imperfecta, si non etiam absurda, gravesq; culpæ, bonum opus (ut dicitur) mortificavit; tùm qvia non se subtraxit ab iis, quæ ipsum impediebant, & retrahebant ab obsequio divino. Siquidem (a) *ad statum Religionis* (ut docet Theologorum Angelus) *requiritur subtractio eorum, per quæ homo impeditur, nè feratur totaliter in Dei servitium*; tùm qvia multa Religionis exercitia per id tempus, virtutes, & opera bona prætermisit, penitusq; neglexit, quæ coronam augere debuerant, vel potiùs firmare. Sicut enim dominus servo conducto in annum integrum justè subtrahit de mercede pacta, nisi compenset notabile tempus intermissum, & impensum alteri: ita Religiosus, qui se per notabile tempus subtrahit ab observantia votorum, puta, obedientiæ, paupertatis, continentiam quoqve manifesto exponit periculo, si non etiam infringit; idq; totum facit titulo non perseverandi; quærendo interim modos, & media, deserendi Vocationem; & bonam voluntatem, cum qua Religionem ingressus est, retractando, in eaq; retractatione perseverando, minuit sibi mercedem, & accidentalis gloriæ coronam.

8. Idcircò potest huc optimè quadrare, ad quod hortatur Ecclesiasticus: (b) *Bono animo redde gloriam Deo; & non minuas primitias manuum tuarum.* Scilicet vult Spiritus Sanctus eam, quam habet Deus ex Religioso mundum contemnente, & ex vocatione heroicè suscepta, non segniter, & remissè reddi sibi gloriam; sed animo bono, alacri, & sincero: non autem per retractationem oblationis illius, quam fecit primis adolescentiæ, seu juventutis, annis, & laudabiles obtulit Deo primitias, ut minuat, & coronæ suæ detrahat aliquid. Hoc enim nihil esset

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 4. in c.*

(b) *Eccli. 35. 10.*

essetaliud; quàm esse quidem Dei servum; sed primam reliquisse cum Angelo Ephesi charitatem: videlicet; habere divinæ gloriæ zelũ aliquem, tanquam majori in Ecclesia Dei futurum utilitati, si Religionem deserat, & in sæculo navare velit operam suam pro Deo. Sed impingit gravissimè; dum primam Vocationis, & electionis suæ relinquit charitatem. Qui nisi memor sit, undè exciderit; & seriam agat machinationis suæ pœnitentiam, atq; prima faciat suæ vocationis opera, veniet Dominus, & movebit candelabrum ipsius de loco suo, nè lucere possit in domo Dei. (a) Sed obscurus, & sine Religionis ulteriore fructu moriatur: cui sufficiat, si Deus ipsum non reprobet, nec removeat à consortio salvatorum, seu salvandorum. Si verò sequatur alterum: id est; si non perseveret; coronam Vocationis per omnia perdit. Et hic jam, præterquam quòd præsentem vitam semper toleret miserabilem, sicut docet experientia, difficillimè etiam salvatur (id quod jam demonstrabitur) propter illa, quæ recessum à Religione consequuntur.

(a) *Apoc. 2. 5.*

§. II.

Animæ salutem exponit manifesto periculo, transiens ad sæculum è Religione.

1. Quoniam totum negotium migrandi ex Religione ad sæculum in duabus (uti dictum superiùs) præcipuè fundatur maximis; videlicet: *Salvari possum etiam extra Religionem in sæculo*; Et; *Fructum in Ecclesia Dei majorem possum facere, quàm in Religione*: ideò necesse est; imbutum tali persuasione, falli maximè: & in principiis, quæ pro statûs sui mutatione constituit, gravissimè errare; salutemqve suam exponere manifesto periculo; si consilium hoc exsequatur. In primis enim Ordinem perturbat, & filum quodammodò præcidit prædestinationis, tollens illud medium principale, quod ipse Deus ex infinita misericordia sua, & gratia, porrigit sufficientissimum

ad salvandam animam, & ad consequendum finem ultimū beatitudinis æternæ: quod medium non erat aliud; quàm electio, & professio statûs religiosi. Nam certum est, illud esse à Spiritu Sancto, quod magis est consentaneum æternæ beatitudini consequendæ. Cùm autem vitæ religiosæ status multò magis, quàm sæcularis, imò maximè consentaneus sit ad respondendum Ordinationi divinæ prædestinanti tàm ad gratiam, quàm ad gloriam: non est dubium, quin à statu religioso deficere, & migrare ad sæculum repugnet prædestinationi, vel saltem divertat ab illa; cujus effectus, & exsecutio sicut dependet à proportionatis suo fini mediis, poniturq; in prædestinato passivè, ad hoc, ut voluntas ejus de se libera, & indifferens, modo itidem libero sibi convenienti potiùs inclinetur ad operandum perfectius, quàm ut admittat aliquid contrarium, quod prædestinationis effectum possit impedire, faciatq; secundùm illud, quod in Epistola sua Canonica scribit S. Apostolus Petrus: (a) *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: sic etiam ad ipsum pertinet prædestinatum, per opera magis huic effectui consentanea prædestinationis effectum operari; non verò per minùs convenientia.

2. Jam autem mutatio religiosi statûs in sæcularem etiamsi videatur simpliciter non esse peccatum, præsertim si Novitius eum deserat, (aliud dicendum de professo variis machinationib9 professionem suam improbare conante, vel per fugam, & apostasiam deficiente) non tamen est tutus in conscientia; tùm quòd Deo vocanti, prædestinantiq; contraveniat, & à medio per Spiritum Sanctum ad consequendam æternam vitam ordinatissimo sibi porrecto deficiat, velitq; prudentior esse, quàm illa suprema sapientia, quæ (b) *attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*; tùm quòd statum tendentem ad perfectionem mutet in statum obnoxium omni imperfectioni, periculo

(a) 2. Petr. 1. (b) Sap. 8. 1.

caden-

cadendi, Denmq; graviter ad omnẽ ferè passum offendendi.

3. Nec enim valet illud, in quo fundatur, principium: *Salvari possum extra Religionem etiam in sæculo*, præsertim cùm faveat, vel saltem favere sibi videatur illa Divi Hieronymi superiùs recitata sententia: *Æqualiter patet aula Cœlestis.* Nam in primis S. Hieronymus non in hoc accipiendus est sensu, quòd ex perfectiore statu judicaverit migrandum ad minùs perfectum: sed quòd ex omni statu etiam imperfectissimo detur via ad perfectirem, & ex hoc demùm ad aulam Cœlestem. Secùs non cum tanto zelo scripsisset Heliodoro juveni, eum ad Eremum revocare conatus; qui relictâ solitudine ad paternæ domûs rediit commoda; cui suadebat, ut relicto Mundo per calcatos patrem, & matrem ad Christi vexillum properaret: sed reliquisset illum securè manere in sæculo, ibique parare sibi viam ad Cœlestem aulam. Tùm etiam in hoc sensu dixerit S. Hieronymus, *æqualiter patere aulam Cœlestem*: quòd Deus ex omni statu vocet, eligat, & prædestinet ad vitam æternam; nemini præcludendo viam salvari volenti, nec impedimentum aliquod ponenti.

4. Deinde quod dicitur, *Etiam extra Religionem in sæculo salvari posse*: Certum est, illum, qui nunquam habuit vocationem ad Religionem, salvari posse; cui Deus alia salvandi media porrexit; modò etiam ipse homo prædestinationis effectum, pendentem à libero prædestinati arbitrio, per peccatum non impediat ita, ut Deus ipsum non permittat mori in peccato mortali sine pœnitentia. Non autem verum est; salvandum etiam illum, qui jam hoc ipso, quòd sciens prudens ex statu meliori migret ad pejorem, ponit obicem prædestinationis effectui; qui cùm juvari debuit constanti in vocatione perseverantià, orationibus, bonis operibus, & exercitationibus Instituti, quod profitebatur, & aliis supererogatoriis, interim per inconstantiam, & declinationem liberi arbi-

trii à ſtatu bono in ſtatum imperfectum, ſexcentis autem peccandi periculis obnoxium, impeditur.

5. Undè quantumcunqve ſibi quis perſuadeat: *ſalvari poſſum etiam in ſæculari ſtatu extra Religionem*: verum quidem eſt; quòd potes ſalvari: ſed non, aut vix, ſalvaberis; qvia fortaſsè divinæ prædeſtinationis effectum implendum in te impedis, tollis, & abijcis. Nec enim Deus obligatus eſt, ut faciat voluntatem tuam: ſed tu ex fine creationis tuæ obligaris ad hoc, & plurimis titulis adſtringeris, ut facias voluntatem Dei; cui per ſummam contumaciam, & mentis inſaniam repugnas, & refractarius es. Deus viam tibi pandit, & ultrò occaſionem miſericordiſſimè obtulit faciendi benè; vocando te, trahendo te, ſuaviter invitando: & tu ingratiſſimus inſtar unius ex illis, qui invitati ad nuptias filii Regis noluerunt venire; imò jam ingreſſi nuptiarum domum, paratam menſam, & convivium conſpicati, pedem retraxerunt; etiam qui deguſtatâ jam nobiliſſimi convivii cænâ, tanquam alter traditur Judas acceptâ buccellâ, cum eadem diabolum in cor tuum traijcis, & abis foràs è Collegio Chriſti Diſcipulorum, non ut meliùs aliquid, quàm cæteri Diſcipuli, facias, ſicut tibi promittis; ut in Eccleſia Dei fructum facias majorem: ſed ut deſideria tuæ carnis expleas; ut ſæcularis in Eccleſia Dei ſcandala, fortaſſis & ſacrilegia (quamvis iſta nunc minimè cogites) admittas.

6. Huc enim perſuaſione ſuâ ſpectat diabolus: non ut meliorem, & utiliorem Eccleſiæ Dei te faciat; hoc enim eſſet contra veteratoris intentionem; ſed ut ad omne flagitium pro libito ſuo te ſtimulatum pejorem efficiat; tu verò deſertus à Dei gratia nec modum, aut finem operandi malè ſtatuens Eccleſiæ majorem adferes utilitatem? Quonam id efficies modo, qui omnis boni radicem, quæ Dei voluntas eſt, exſcindis, & evellis? Hæreat firmiter in mente monitū illud Apoſtoli ſcri-

scribentis ad Galatas: (a) *Nolite errare: Deus non irridetur.* Qui non patietur inultam injuriam suam præterire: nec corridebit, aut colludet tibi; cùm inconstans mutaveris vocationem tuam. Sed quid? Equidem ridebit: Sed audi, quomodo, & cum qua recedentium ab ipso consolatione: (b) *Quia vocavi*, inquit, *& renuistis: despexistis omne consilium meum. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit; quando veniet super vos tribulatio, & angustia.*

7. Ecce quantùm aberrat à recto; quisquis inconstans animi, vel potiùs carnis suæ secutus sensum, desertâ Religione, salvari constituit in sæculo, majoremq; facere fructum in Ecclesia DEI. Qvia enim mutato statu risit, & irrisit vocationem, per quam Deus ipsum in tuto salutis consequendæ posuit; erravit idcircò turpiter in ipso salvandi sui principio; quod erat in Religione constanter custodire vocationem: ipse verò DEI voluntatem aliter, & aliò torquere vult, quàm ordinavit Deus, hoc ipso non salutem sibi, neq; in Ecclesia Dei fructum aliquem majorem, paraturus; sed pœnam, ruinam, damnationem; Ecclesiæ quoqve Dei damnum illaturus; tùm quòd se subtrahat ab obsequio divino, ex quo Dei Ecclesia suum habuit subsidium, & ornamentum; tùm quòd non ampliùs habeat assistentē sibi Dei gratiam, cujus auxilio poterat sine dubio fructus in Ecclesiam redundare major. Id quod utrumqve tàm quantùm ad consciitam sibi pœnā; quàm etiam quantùm ad fructum minimè faciendum post desertam ex contumacia Religionem, S. Augustinus egregiè comprehendens, ait: (c) *Illa est pœna peccati justissima; ut amittat unusquisq; illud, quo benè uti noluit: ut, qui sciens rectè non facit, omittat scire, quod rectum est.* Nimirùm, Institutum Religionis, ad quam vocaverat Deus, est instrumentum, & medium convenientissimum, quo debuit uti benè ad animæ suæ salutem: qualitates etiam, qui-

(a) Gal. 6, 7. (b) Prov. 1, 24.

(c) S. August.

quibus in Religione per DEI gratiam auctus est, erant totidem animæ decora, quibus in Ecclesia sua voluit Deus ipsũ ad aliorum exemplum, doctrinam, & eruditionem effulgere. Sed qvia noluit his uti benè; nec eo modo, nec in eo gradu perfectionis, in quo Deus ipsum constituit: ideò justo Dei judicio, inconstans, & miser desertor amittit sensim eas qualitates; & immersus sæcularium desideriorum, studiorum, actionumq; negotiis, *omittit* etiam *scire, quod rectum est*: nec ampliùs, ut sciat, est sollicitus. Hic est status, animam salvare volentis extra Religionem.

§. III.

Desertor Religionis vel rarus, vel nullus, tàm in vita, quàm in morte prosperatur.

1. Non sine causa gravissimè comminatur Deus apud Oseam illis, qui recedunt ab ejus obsequio; gravissimis etiam verbis exaggerat eorum inconstantiam, & perfidiam. Postquam enim erudivit illos, & Cœlestibus illustrationib9, & gratiis illustravit; ipsi grave quoddam interpretati jugum obsequii divini, quod ex omni parte suavissimum est, excusserunt illud; & in sæculo sibi libertatem, licentiamqve, nè servitutem, quæ vera, & tota spiritûs est libertas, in Religione servirent. Dicit igitur: (a) *Væ eis; quoniam recesserunt à me. Vastabuntur: quia prævaricati sunt in me. Ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me. Et non clamaverunt ad me in corde suo; sed ululabant in cubilibus suis. Super triticum, & vinum ruminabant. Recesserunt à me. Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum. Et in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt, ut essent absq; jugo. Facti sunt quasi arcus dolosus.* Quæ omnes, ac singulæ per Prophetam pronuntiatæ sententiæ sunt quasi totidem oracula; quibus describitur & pœna desertorum; & Dei erga ipsos exprobrantur beneficia, & ipsorum exaggeratur malitia, quâ contra Deum, & Religionem, ad quam per gratiam fuerant vocati, pugnant.

(a) Ose. 7. 13. & seq.

2. Pœnam

2. Pœnam desertorum illa comprehendunt verba: *Væ eis.* Et: *Vastabuntur.* Ubi per vocabulum *Væ*, omnes Sacri Codicis Interpretes semper gravissimam intelligunt pœnam; quin etiam, nisi pœniteant, id quod impiis, & apostatis, est difficillimum, æternam. Temporanea desertorũ pœna hæc est: quòd *vastabuntur. Primò*; qvia destituentur omni gratiâ, & auxilio divino ad resurgendum, & ad profectum aliquem faciendum in iis, quæ pertinent ad sincerum Dei cultum; pòstquam spreverunt vocationem, & gratiam Religionis, quâ poterant sedulò juvare prædestinationẽ suam, quantùm ad effectum. Fit illis in pœnam, (sicut jam ex S. Augustino dictum est) ut amittant, & auferantur ab ipsis, dona, & qualitates à Deo sibi liberalissimè concessæ; & obliviscantur beneficiorũ Dei, atq; ex oblivione omittant *scire, quod rectum est.* Deindè, *vastabuntur* etiam omni prudenti consilio, quo possint animæ suæ saluti seriò consulere. *Vastabuntur* & hominum gratiâ, quorum subsidio sperabant se magnam adepturos fortunam; & ita ab omni parte inopes consilii, miseri, & miserabiles, pro frusto panis vera facti mancipia, vagabuntur; & locum quietis nec corpori, nec animæ poterunt stabilem invenire, dicturi, lamentaturiq; cum Magistro gentium Divo Paulo, non jam propter fidem, & justitiam, sicut Apostoli; sed propter iniquitatem, & perfidiam lamentabili, prorsùs ad commiserationem, voce: (a) *Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.*

3. Beneficia verò, quibus DEUS ipsas liberalissimè cumulavit, & qualitates, ac dona, quibus adornavit eorum animas, exprobrantur, ibi: *Ego redemi eos; & ego erudivi eos; & confortavi brachium eorum.* In quibus hæc tria potissimùm notantur. *Primum*; quòd Deus in primis quidem per Filii sui pretiosissimũ sanguinem redemerit eos à servitute, jugoq; gravissimo diabo-

(a) 1. Cor. 4. 11.

li, & peccati. Pro quo ſolo redemptionis beneficio nunquam, etſi in mille, & iterùm mille converterentur linguas, ſatis agere non poſſent gratias: in mille quoqve, & iterùm mille identicas (ut dicam ita) ſi multiplicarentur perſonas, & omnes in DEI ſervitium impenderent; nunquam æqualem gratitudinem Optimo Deo præſtarent: ſed omnem, quæ divinæ Majeſtati debetur, gratiarum actionem, & gratitudinis omne debitum, ſupplent infinita Chriſti Domini merita. *Alterum*, cùm dicit: *Et ego erudivi eos:* complectitur gratias, illuſtrationes, & dona Cœleſtia; ingenii qualitates; ut eſt Eruditio, facultates humaniorum æquè literarum, ac ſcientiarum; prudentia, ſapientia, cæteræqve virtutes, dotes, & dona tàm gratiæ, quàm naturæ. Quæ omnia cumulatim à Domino Deo in animam Religioſi conferuntur peculiari quâdam prærogativâ: in ſtatu verò ſæculari quamdiu manſerat, ante vocationem ea forſan nec habuit; nec, ſi manſiſſet, habere potuerat. *Tertium* eſt: *Et confortavi brachium eorū.* Quo ſignificatur gratia; quâ Deus ipſos in Religione promovit, opinionem, æſtimationem ipſis apud homines conciliavit; quàm in ſæculo nunquam aſſecuti fuiſſent: ſpiritui, eruditioni, doctrinæ, verbis, & ſententiis, vim, & energiam indidit; ut facilè, quod pro Dei gloria, & animarum ſalute proficeret, vel utilitati, neceſſitatiq; proximi prodeſſet, perſuaderent: ut in conſiliis, in factis, & dictis auctoritate præſtarent. Quod totum eſt, gratia Dei (quamdiu ſic operantur, & conſtanter agunt in Religione) *brachium*, id eſt, vires, & animos eorum ad operandum heroicè confortantis; ut planè conveniat ipſis illa *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorū: Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltavit me; dextera fecit virtutem.* (a)

4. Deniq; malitia, quâ contra Deum, & Religionem, in qua manebant, eamqve deſeruerunt, exponitur verbis illis: *Et ipſi locuti ſunt contra me.* Quomodo autem, & quid locuti

(a) *Pſalm.* 117. 15.

cuti sunt? Multa quidem tàm verbis, quàm factis, improbè locuti sunt. Nam & murmurare sæpiùs audiebantur: Ego stultus fui, quòd me permiserim ad Claustrum pertrahi, quòd Religionem fuerim ingressus; non rectum judiciū, sed juvenilem impetum animi secutus. Malè feci: quòd desertâ paternâ domo, commodis, & amicorum consortio me submoverim. Poteram æquè in sæculo salvare animā meam absqve tantis, quas in Religione tolero, carnificinis. Hìc instar mancipii voluntati alterius alligatus meam indolem perdo, nec possum facere fructum in Ecclesia DEI pro ingenii mei qualitate, & animi desiderio. Totus ab arbitrio, pondere, & mensura pendeo Superioris; semper in cella; semper intra Claustri parietes; semper domesticis occupat9 negotiis. Nunquam foràs eundum; nunquam hominum, & amicorum aliquo fruendum consortio. Verbo: totus Monachum, & Eremitam ago. Hæc, & his similia locuti verbis, consilium Dei, quo ipsos ad Religionem peramanter vocaverat; in Religione paternè foverat, & promoverat, tàm ore improbare auditi sunt; quàm corde, & in corde loqui, intellecti: videlicet juxta Regium Psaltem: (a) *In corde, & corde locuti sunt:* id est; improbitatem, & malitiam ad improbandum DEI consilium in corde, & intra semetipsos machinabantur, & fovebant, & ita secum perverso corde tanquam venenosâ lingvâ locuti sunt, ruminando vocationem suam, eamq; diris omnibus impudentissimè devovendo: Verè *in corde & corde locuti sunt* contra Deum.

5. Jam quid dicam de perversis operibus eorum, quib9 tanquam totidem locutionibus adversùs Deum, & Religionem detonant? Excutiunt obedientiam; de industria Regulam infringunt; omnia, quæ religiosam decent professionem, contraria faciunt; ad consanguineos clàm è Claustro transfugiunt; jam tunc apostatæ, quamvis habitu nondum abjecto; faciunt ex proposito scandala, ut oc-

(a) *Psalm.* 11. 3.

casionem habeat Religio tanquam inutiles, & scandalosos eijciendi. Et ita miseri verbis *confitentur, se nôsse Deum, factis autem negant.* (a) id est: non jam solùm murmurant contra Religionem; sed etiam lingvas suas exacuunt contra Deum, qui vocaverat ipsos ad Religionem, & factis suis improbant eam vocationem.

6. Alteram istorum desertorum malitiam Deus exprobrat, cùm ait: *Et non clamaverunt ad me in corde suo; sed ululabant in cubilibus suis:* id est; cùm ipsos aliqua pulsabat tentatio, non clamaverunt ad me, nec imploraverunt auxilium meum contra tentationes, & ærumnas in Claustro tolerandas necessarium; non orârunt in corde suo, ut sincerè divinam implorarent opem ad vincendos impetus inimici, & passiones impugnantes: sed tanquam bubones in cavernis, sic isti in cubilibus suis ululabant, murmurabant, & impatientiam suam evomebant adversùs Deum, adversùs Religionem, & adversùs professionem suam; quòd non potuerint id, ad quod ex inordinato impellebantur affectu, perpetrare; nec ullam habere copiam ejus perpetrandi. *Tertia* fuit eorum nequitia; quòd *super triticum, & vinum ruminabant*: hoc est; otiosi, nec ullâ bonâ exercitatione occupati nihil cogitabāt aliud, quàm satiare ventrem: & quemadmodum bestiæ ruminant escam jam ex ore in ventrem, jam rursùm ex stomacho in os traijciendo; sic isti continuè mente *ruminabāt triticum, & vinum*, aliud non meditati, quàm ut os & ventrem infarcirent cibo. Nam, ut rectè Cassianus ait; (b) *Mens otiosi nihil aliud novit cogitare; quàm de escis, & ventre.*

7. *Quarta* fuit eorum nequitia: quòd in Deum, & ejus sanctam vocationem *cogitaverunt malitiam*; ut & gratiam vocationis contemnerent, & ipsam vocationem abijcerent: *Reversi sunt* ad sæculum, sine suavi Christi jugo licentiosè victuri: *ut essent absq; jugo.* Itaq; non ipsis agebatur de salute animæ extra Religionem in sæculo faciliore methodo

(a) *Tit. 1. 16.*

(b) *Cassianus.*

consequenda; non de majori in Ecclesia Dei fructu, & utilitate facienda: sed ut ex arbitrio suo viverent; ut obedientiam, quæ in Religione debet esse perfecta, excuterent; ut sine disciplina peccare possent: *ut essent absq; jugo. Quinta* describitur eorum malitia; quæ simul & in ipsorum redundat pœnam; cùm dicitur: *Facti sunt, quasi arcus dolosus.* Quæ sententia potest dupliciter accipi.

8. *Primò*; quòd illam ipsam gratiam vocationis, eruditionem, qualitates ingenii, DEI beneficia, dona tûm gratiæ, quàm naturæ, quibus tanquam arcu fortissimo pugnare debuerant contra debellandam diaboli potestatem, & quasdam quasi sagittas adversùs omnes Dei hostes, quales sunt hæretici, licentiosi Catholici, impii divinam providentiam negantes athei, vibrare; ipsi è contra converterunt eam vocationis gratiam, & Dei beneficia, ad Dei gloriam minuendam: (a) *Conversi sunt* (ut Ruffinus ait) *in Dei contumeliam, & contemptum*, facti jam inimici Dei; ex Christi militibus, satellites diaboli; ex domesticis, & amicis Dei, traditores Christi; ex Dei hæredibus, & filiis, degeneres, spurii, & abortivi. *Secundò*; *Facti sunt, quasi arcus dolosus*: id est; sicut in arcu solet subindè contingere; quòd sagittarium fallat, & vel sagittam in ipsum retorqueat sagittantem, vel quocunq; modo lædat alio; vel contra sagittarii mentem sagitta feratur in vulnus alterius; quod nihilominùs in grave sagittarii vertitur damnum; sic ista Dei bona, & beneficia, quòd ipsis abutatur, in detrimentum beneficiarii convertuntur. Undè S. Hieronymus in hunc Oseæ locum commentans ait: (b) *Arcus dolosus est, qui percutit dirigentem, & vulnerat dominum.* Et hoc verè fit illi, qui vocationis gratiam vertit in suam damnationem.

9. Jam igitur ex hac tota ratiocinatione concluditur deniqve; Religionis desertorem vel raró, vel nunquam tàm in vita, quàm in morte prosperari; quod ipsa docet expe-

(a) *Ruffinus.*

(b) *S. Hieron. Comm. in Os. c. 7.*

experientia, & inferiùs exemplis aliquot demonstrabitur; præsertim cùm ex innumeris ad sæculum ex Religione reversis, & apostatis, hucusqve nullum viderimus prosperam duxisse vitam: nullum etiam morte vix naturali, vel saltem quietâ, decessisse: sed vel immaturâ, vel repentinâ, subitaneâqve, vel violentâ, quam sibi suis ipsi manibus consciscebant; vel aliundè prorsùs miserabili, & homine cordato indignâ interiisse. Permittit autem Deus ejusmodi vitam, & mortem, vel in pœnam temporaneam, quod ipsũ est infinita Dei misericordia, nè puniat æternùm: vel etiam in desperationem acti, sempiterni supplicii præludium quoddam ut experiantur. Et expletur in plerisq; terribilis illa Dei comminatio: (a) *Quia vocavi, & renuistis: despexistis omne consilium meum: Ego quoqve in interitu vestro ridebo, & subsannabo.*

(a) *Prov.* 1. 24.

§. IV.

Inconstantia perseverandi, plerumq; suam habet originem ab admisso voluntariè mortali quopiam peccato.

1. Inter alia surgentis Ecclesiæ Christianæ præclara lumina post Apostolos non postremum habuit vera fides Catholica Magistrum Origenem, circa Annum Domini 250. Hic doctrinæ Christi tàm zelosus assertor fuit; ut, dum juvenis adhuc (b) *non solùm viris*, (ait Nicephorus Callistus) *sed etiam mulieribus, docendo, salutare prædicaret verbum, volens calumniam omnem fœdæ suspicionis præcidere, & simpliciùs dicto illo Salvatoris intellecto*, sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum, *adimplere id re ipsâ in animo habens, seipsum castrârit*; Multas hæreses doctrinâ suâ confutârit, & extinxerit; innumeros Christianos adhortationibus suis ad martyrium fortiter subeundum permoverit, eodem teste Nicepho-

(b) *Niceph. Callist. to.* 1. *l.* 5. *c.* 8.

ro, cùm ait: (a) *Paßim plurimi martyres cohortatorijs Origenis orationibus viriliter agones pertulerunt.* Tantus igitur in Ecclesia Christi vir, & ipse quoq; desiderio flagrans martyrii, (ad quod Leonidem etiam patrem suum fortiter subeundum hortatus fuerat in hæc per Epistolam verba: (b) *Sustine; & nè quid alterius sententiæ, aut consilij, nostrâ causâ capias, vide)* adeò, inquam, ipse quoq; desiderio flagrans erat martyrii; ut mater omnem ejus juvenis vestem coacta sit recondere; eiq; necessitatem manendi domi imponere: deniqve tamen in persecutione Deciana postquam carcerem, & plurima tormenta pro Christo fortissimè pertulit, fidem abjuravit: (c) *Atq; indè à divina sententia, & gratia delapsus.* (iterum Nicephorus ait) *alienas opiniones, Satanâ instigante, induxit.*

2. Jam quòd in tàm fædam prolapsus apostasiam, non tantùm à monastica, quam profitebatur, vita; sed etiam à fide, tàm fædas, absurdas, & blasphemas opiniones, scripto contra Christianam veritatem, & Catholicam, sparserit, quæ fuit causa? Addit quidam in historiam Nicephori Scholiastes: *Origeni industria, & curiositas causa, ut fœdè laberetur, & multis præterea offendiculum, exitijq; occasio, fuit.* Sit autem ita, quòd curiositas, quæ plerumqve peccatum est, causa fuerit, ut tantus ille Pater, & Doctor fædè prolaberetur. Sed quòd non contentus hoc apostasiæ fædo lapsu, progressus insuper sit eò amentiæ, ut fædissimis deinceps erroribus, & erroneis opinionibus sese involverit; fidem Christianam, ipse patre Christiano, & posteà Martyre, genitus, acerrimè quà vitæ probitate, quà virtutum heroicarum exemplo, doctrinæ puritate, carceris, & tormentorum constanti tolerantiâ propugnatam, posteà Platonicis figmentis, aliisq; absurdissimis, & blasphemis dogmatibus impugnârit, quam causam huic ulteriori lapsui, & tàm crassæ hæresi tribuemus? Non aliam profectò, quàm lapsum illum horrendum, quo ex delibe-

(a) Id. ibid. c.31. (b) ibid. c.3. (c) c.32.

liberato fidem abjurare maluit, quàm sordes aliquas ab impudico, obscænoq; Æthiope, qui collocatus ante ipsum ad aram fuerat, in corpore suo excipere. Adeò nimirum potens est aries ad expugnandam vocationis constantiam, & ad inducendam, atq; firmandam instabilitatem, ad ipsam usq; apostasiam, lapsus deliberat9.

3. Itaq; sicut Origeni summo quondam fidei propugnatori, sicut aliis innumeris Religiosis inconstantiam invexit peccatum aliquod voluntarium: sic hodieq; in omni Religioso vel professionem suam irritare, & ad sæculum migrare adnitente; vel in Religione deinceps, etiamsi perseveret, minimè quieto, sanctamqve observantiam conculcante; vel fugâ vocationem suam deserente, non alia meliùs assignari potest causa; potestq; quasi extra controversiam affirmari: quàm ipsum peccatū aliquod mortale ex destinato admissum. Tamdiù videlicet laboravit diabolus ad persuadendum ipsi peccatum, donec victus, aut (dicam potiùs) inescatus aliquâ momentaneâ voluptate, in culpam mortalem animo deliberato consensit, eâq; commissâ conscientiam commaculavit. Quâ demùm admissâ trahitur anim9, ad ejusdem deliberatam iterationem culpæ: hinc ad sæculum, ut liberiùs obsequatur sensui carnis, repetendum instanter exstimulatus, aliud quid jam cogitare potest, quàm objectam sibi vitam sæcularem? Itaq; modos inquirit, & tentat omnes, ut professionem aut eludat, si professus jam est; aut deserat, per fugam: nec ampliùs actum aliquem heroicum exercere potest; quo tentationes ingruentes superet; virtutem, & disciplinam exerceat; se in sua vocatione constanter, auxiliante Deo, firmet. Cujus ratio non est alia, quàm quòd peccatum aliquod admiserit voluntarium. Hinc Propheta Threnicus omnem Hierosolymæ inconstantiam, quòd jam Deum coleret, jam ad idola conversa sit, assiduèq; inter veri Dei cultum, & idololatriam fluctuârit; inter pœnitentiam,

tiam, & nova denuò peccata alternârit, uni tribuit peccato priùs admiſſo voluntariè: (a) *Peccatum*, ait, *peccavit Ieruſalem; propterea inſtabilis facta eſt.* Ita Religioſus aut ſuperbiæ, aut luxuriæ, aut alio peccato voluntariè contaminatus, ſubitò pulſatur inconſtantiæ tentatione, & tanquam mare, vel Euripus aſſiduè fluctuans ex uno pravo deſiderio in aliud, ex una mortali culpa in aliam jactatus huc, & illuc volutatur: cui jactationi non quærit, nec quærere vult refugium, & remedium aliud, quàm ut reverſus ad ſæculum in omnium vitiorum cænum, in eo volutandus aſſiduè, præcipitetur.

4. Et quidem id juſto Dei judicio fieri non eſt dubium: ut recedens à Deo, jam deſertus à gratia, non reperiat quietem, & eam ibi quærat, ubi tempeſtas inter vitiorum procellas eſt aſſidua. Id quod Vates Evangelicus expreſſit graphicè, cùm dixit: (b) *Impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt; & redundant fluctus ejus, in conculcationem, & lutum.* Quâ ſententiæ phraſi Propheta videtur alludere ad naturam maris, quod in aſſidua fluctuum redundatione ſemper, & eijcit, & relinquit aliquas ſordes, præſertim autem in canalibus, aut locis aliis, minùs profundis, relinquit locum lutoſum, inſtar inſulæ; quem homines ingreſſi poſt aquæ receſſum (uti fit in Adriatico mari præcipuè) calcant, calcandoq; colligunt oſtrea, limaces, & his ſimilia. Sic inconſtans, & inquietus poſt admiſſam mortalem culpam Religioſus, aſſiduè meditando ſæculum, & carnem, deniq; cedit in conculcationem, & in lutum, contemptui tàm domeſticorum, quàm poſteà ſæcularium expoſitus; verè factus etiam cacodæmoni quidam ludus, & ludibriũ, de peccato poſthac in peccatum inſtar pilæ jactatus, uti rectè Divus Gregorius ait: (c) *Ludus eſt dæmonum; cùm vagas, & inſtabiles animas de vitio jactant in vitium.* Religioſum autem ex vitiis iteratis ad ſæculum; ex ſæculo, in quo ſalvari conſtituerat, in ruinam, & perditionem.

(a) Thren. 1. 8. (b) Iſa. 57. 20.

(c) S. Greg. lib. 38. moral. c. 2.

CAPVT XIII.

§. I.

Remiſſio primi fervoris, ſpiritum religioſum, & vocatinem, trahit in ruinam.

1. Sicut accidit plerumqve; à parva ſcintilla magnum ſatis excitari incendium; ita prorsùs habet res in vita religioſa. Non magni videtur res eſſe momenti, vel in ipſo dum quis agit tyrocinio, mentem, & affectum ab ardore, deſiderioq; proficiendi, quod habuit initio; vel exacto tyrocinio ſpiritum, & amorem erga ſpirituales inſtituti exercitationes olim conceptum, remiſſioni permittere: v. g. Ab orationis, & meditationis ſtudio ſenſim remittere; non cum ea, quâ par eſt, & antè conſuevit, attentione, diligentiâ, & intentione* tàm mentalem, quàm vocalem orationem peragere; aſpirationes inter meditandum, quin & intra cæteras occupationes indifferentes, & ordinarias, ad Deum, ad amabiliſſimum JESUM, ad B. V. MARIAM, ad Sanctos Patronos, & totam illam beatarum in Cœlo mentium curiam facere: preces aliquas breves præter ordinariũ precandi munus etiam alias, devotionis gratiâ ſupererogatoriè fundere; vel aliud pium aliquod exercitium virtutis, etiamſi minimum ſit exhibere; uti v. g. dum ſolus es in cubiculo, certo tempore in memoriam quinqve vulnerum Chriſti quinquies; aut in memoriam ſeptem dolorũ B. V. MARIÆ, ſepties humillimè terram deoſculari; actum aliquem interiorem humilitatis, gratitudinis, & gratiarum actionis pro beneficiis, (ac præcipuè pro beneficio vocationis ad Religionẽ) à liberaliſſima Dei manu acceptis elicere; præſerttm etiam, ſi diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum hodie ſumpſiſti, vel (ſi Sacerdos ſis) Miſſam celebrâſti, memor inenarrabilis hujus beneficii, quo in præſenti vita majus, & excellentius haberi non poteſt, ſumma cum reverentia gratias agere, breviſſimâ quâpiam ad

ad Deum aſpiratione factâ: idqve ſaltem bis, aut ter (& pudet hìc tàm parùm requiri) in die.

2. Item ſi ſcribas, legas, aut pronunties Sanctum, & terribile Dei, vel amabiliſſimi JESU, aut MARIÆ dulciſſimũ nomen, Sanctiſſimi Sacramenti; ad hæc, inquam, detectũ caput humiliter inclinare. Prætereà conſiderando Sancti, vel Sanctæ, cujus eâ die celebratur memoria, virtutem aliquam heroicam, ad imitationem excitare te, ſicut in tyrocinio conſueviſti, ſic etiam nunc ab ejusmodi privatis incitamentis non ceſſare. Deniqve multæ ſunt viæ, modi, & methodi, quibus animus in Novitiatu, vel etiam poſt exactum tyrocinium trahitur, aut potiùs ſuaviter ducitur ad cũ Deo amabiliter converſandũ. A quibus exercitiis ſi deindè remiſſior factus, & in aliquam actus indulgentiam, vel modicum ceſſes, & intermittere, licèt exigua ſint, audeas; vel etiam perfunctoriè, ſicut hæc privata, ſic & communia Religionis exercitia ſpiritualia; puta, meditationem, Orationem vocalem, Roſarium, ut vocamus, examinationẽ conſcientiæ, & id genus alia, ſenſim conſueſcas, ſolùm pro forma peragere: jam certus ſis; ab hac te remiſſione ad notabilem (ut dicam ſic) intepeſcentiam, ad ſupinũ aliquem neglectum; hinc deniqve ad religioſi ſpiritûs, utinam non & ad vocationis ruinam! deturbandum.

3. Eſt enim remiſſionis hujus, & intepeſcentiæ par ratio; quæ intervenit levium, exiguarum, venialiumq; culparum neglectui. Dum videlicet Religioſus contemnit parvas, ac veniales noxas, & in eas voluntariè ſine ſcrupulo prolabitur. Nam ſicut peccata venialia crebriùs admiſſa charitatem minuunt, & diſponunt ad peccatum mortale: ſic etiam remiſſio primi fervoris, & intepeſcentia, quæ & ipſa venialis eſt quædam noxa, diſponit ad inducendum in animũ ſpiritualium exercitationum, & diſciplinæ contemptum; ad beneficii, & gratiæ vocationis oblivionem; ad erga libera-

 liſſimum

lissimum Deum, cui præter prorsùs innumera beneficia, sola Vocatio, & gratia Relionis obstringit plurimum, ingratitudinem; quæ certè peccatum est mortale.

4. Jam verò non hìc accipio Spiritum illum, quo tàm in tyrocinio, quàm post Novitiatum deberet semper magis, ac magis ardere, & in charitatis ardore proficere Religiosus, sic ut totus in quoddam incendium exardescat. Sed primitias ipsas intelligo Spiritûs, in quo, & cum quo religiosum suscepit habitum, non quærens aliud, quàm Deo Creatori suo servire, placere; mundum, & omnem ejus honorem contemnere; cum Deo, & cum Sanctis ejus sine reprehensione, cum sinceritate versari; promptus ad simpliciter obediendum Superioribus sine judicii proprii, seu propriæ voluntatis interventu; ad integram regulæ observantiam; ut secundùm Apostolum scribentem ad Titum, (a) *Abnegans impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivat in hoc sæculo.* Dico breviùs: Ut bonum agat Religiosum. Nam primum illud, quod dixi de profectu charitatis, & Spiritûs ardore, majori ex parte pendet à peculiari gratia Dei, mentem, ac voluntatem hominis accendente; sicut oramus in illo divini Spiritûs implorante gratiam Hymno:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus.

5. Qui quidem ardor, cùm semper esse debeat animæ fideli in desiderio, non tamen esse potest in effectu continuo propter naturæ humanæ imbecillitatem ita, ut faciliùs sit, aliquem sæcularem converti ad bonum, quàm Religiosum quotidie proficere in melius. Undè S. Bonaventura: (b) *Vidi multos*, inquit, *qui à sæculo transeuntes ad Religionem profecerint, vitamq; mutârint. Vix vidi, qui in Religione post Novitiatum ferventiores, & perfectiores evaserint.* Et dixit verissimũ Doctor Seraphic9. Non quòd Religiosum nolit fervere quotidiè majore spiritu, & charitate in Deum, erga Dei cultum, erga varia Religionis ad majo-

(a) Tit. 2.

(b) S. Bonaventura.

majorem ſemper profectum exercitia: Sed quòd inſpiciendo religioſi ſtatûs ordinarium curſum, in paucis obſervârit majorem ſpiritûs fervorem poſt tyrocinium, quàm dum in ipſo verſarentur Novitiatu.

6. Ejusdem ſensûs ante S. Bonaventuram S. Bernardus fuit, eadem ferè pronuntiando verba, cùm ait: (a) *Multò faciliùs reperias multos ſæculares converti ad bonum; quàm unum quempiam de Religioſis tranſire ad melius.* In cauſas hujus difficultatis non inquiro. Unum dico; peculiarem eſſe DEI gratiam, quotidie perfectiorem, meliorem, & ferventiorem fieri Religioſum. Non tamen ipſum ideò debere langveſcere, & conceptum in tyrocinio ſpiritum infringere. Igitur quando Magiſtri ſpiritûs inculcant primum ſpiritũ; intelligunt, ab illa ſpiritualium exercitiorum prima frequentatione non deſciſcere; eadem exercitia ſpiritualia, ſtudium orationis, ac meditationis, item operam mortificandis impendendam paſſionibus, & id genus alia, cum eadem mentis attentione, ſenſuum collectione, voluntatis, & affectûs erga Deum inclinatione; imò, quantum fieri poteſt, etiam majore, frequentare.

7. Ab hoc diligenti ſtudio quàm primùm deſciſcit animus, & tanquam à minùs ad animæ ſalutem, ac profectum in religioſâ vita neceſſariis deficit, neq; ſtat firmiter in eodem ſaltem, ſi non in majori, exercitationum, ac deſiderii proficiendi gradu: ſed omnia tanquam ad ſolos incipientes, & Novitios pertinentia relinquit tyrocinio; ſilentium, oculorum modeſtiam, vultûs, & totius corporis habitudinẽ ad modeſtiam compoſiti; loquendi, cùm opus eſt, ſingulare temperamentũ; in oculis, in inceſſu, in corporis, animiq; motibus æquabilitatem religioſam, non ad ſe, ſed ad tyrones, exiſtimat ſpectare: paſſionum, & affectuum inordinatorum impetum non ſtudet refrænare: ſed audaci quâdam perſuaſione ductus, iſta nec inter imperfecta

(a) *S. Bernardus.*

reputat, penitùs ea negligit; nec quotidie in novam cum iisdem affectibus, & passionibus pugnam, non secùs, ac tyro, paratus est; & tanquam hodie primùm resumpto novo spiritu bonum agere incipit Religiosum: Non est dubium; quin iste magnam in religioso spiritu facturus sit jacturam; & sensim ad susceptæ vocationis fastidium, atqve tædium delapsurus.

8. Et non est mirum; in eam ipsam ex tepeditate miseriam devenire. Fit enim sexcentis tentationibus obnoxius dæmonum ad licentiam incitantium ipsum, ac pertrahentium, eò quòd careat igne divinæ charitatis; qui in meditatione, quam vel frigidè, vel cum ignavia facit, vel penitùs intermittit; in ejus corde non solet, nec potest, exardescere. Hinc Ruffinus in Vitis Patrum à quodam sene pulchrâ similitudine rem hanc illustratam scribit in hæc verba: (a) *Quidam senex dixit: sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident in ea, & faciunt vermes; ita & Monachum succensum igne divini amoris fugiunt dæmones; tepidum verò illudunt, & insequuntur.* Sed & magnus ille multorum Monachorum in Christo Pater, ac Magister Divus Antonius, cùm aliquot remedia contra dæmonum assultus recensuisset discipulis suis, illud addidit pro summo; videlicet non tepidum, sed ardentem erga Christum Dominum amorem. Ait enim: (b) *Mihi credite, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem; maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum.*

9. Jam sicut dæmones pertimescunt Religiosum, erga Christum Dominum charitate ardentem; ex cujus ardore procedit sedula religiosarum exercitationum frequentatio; & spiritûs in tyrocinio concepti continuatio: sic ex adverso non tantùm nihil timent, ubi deprehendunt cor amore divino vacuum, vel saltem tepidum, & spiritum ad exercitia spiritualia remis-

(a) *Ruffin. in Vit. Patr. num.* 204.

(b) *S. Anton. Magnus.*

sum;

ſum; ſed etiam ferociùs, crebriùs, & graviùs ipſum infeſtant, facillimè vincunt, proſternunt, & de ſtatu vocationis etiam exturbant, vitiis innumeris ob ſupinam ignaviam ex tepiditate ſcatentem. Graphicè Religioſi tepidi ſtatum Spiritus Sanctus apud Salomonem in hominis pigri parabola depinxit, oſtenditqve; quàm miſerabiliter in omne vitiorum diffluat genus, inſtar agri, ſeu vineæ ſine cultura, præter urticas, & ſpinas aliud nihil proferentis. Ait itaqve: (a) *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.*

10. Qui ſenſus etſi quidem accipiendus ad literam: agrũ videlicet hominis pigri, & vineam viri ſtulti, non niſi in ſpinas, urticas, ac ſentes ſilveſcere. Sed in ſenſu tropologico textûs hujus expoſitionẽ omnes Interpretes accipiunt de anima conſcientiæ culturã negligente. Quam pigritiam homo etiam Religioſus induit facilè, quàm primùm in ejus animum tepor, & à tyrocinii fervore inſinuaverit ſe remisſio. Jam enim ibi virtutis exercitium defloreſcit; meditationis, & orationis emoritur ſtudium; licentia vires asſumit; priſtina vitiorum repullulant deſideria; & omnis in oblivionem abit exercitatio diſciplinæ; non ſecùs, ac in agro hominis pigri, & in vinea ſtulti neſcientis vineam colere, ſentes, ſpinæ, & urticæ ſolæ ſuccreſcunt. Quod ipſum S. Gregorius recitata Salomonis expendens verba, ſcitè deſcripſit, cùm ait: (b) *Per agrum hominis pigri, atq; per vineam viri ſtulti tranſire, eſt cujuslibet vitam negligentis inſpicere, ejusq; opera conſiderare. Quam urticæ, & ſpinæ replent. Quia in corde negligentium prurientia terrena deſideria, & punctiones pullulant vitiorum. Quia ſcriptũ eſt: In deſiderijs eſt omnis otioſus. Maceria lapidum deſtructa erat: id eſt; diſciplina patrum ab ejus corde diſſoluta erat.* Quæ Sancti Pontificis verba licèt in omnẽ otioſum, negligentemq; Chriſtianum, quantum ad animi cul-

(a) Prov. 24. 30.

(b) S. Greg. lib. 30. Moral. c. 20.

cultum, directè pertineant; nihilominùs etiam peculiariter ad Religiosum tepidum, & à primo Novitii fervore deficientem sine injuria referri possunt. Siquidem hic æquè non facit aliud, quàm quod in ignavum, pigrum, & desidem evadat, omnibus sæcularibus desideriis, pravis affectibus, & vitiis aditum aperientem, ita, ut, sicut spiritu Novitius esse desiit; sic & malus jam professus instar agri neglecti in urticas, spinas, & horrida dumeta silvescat vitiorum; & ejus anima pariter nesciat aliud, quàm vitia germinare, propterea, quòd calore, & ardore divinæ charitatis, & gratiæ destitutus, admiserit in animam post teporem frigus; ex quo miser aliud expectare non debet, quàm ruinam suæ vocationis.

11. Non ex meo sensu consequentem hanc elicio veritatem: sed S. Bernardum super hoc frigore, id est, super defectu spiritûs in tyrocinio concepti, patheticè ratiocinantem audiamus in hæc verba: (a) *Hoc frigus si semel in animam, animam quidem, ut assolet, incuriâ spiritûs dormitantem, pervaserit; ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora ejus pervenerit; descenderit in viscera cordis, & sinum mentis; concusserit affectiones; occupaverit consilij semitas; perturbaverit judicij* * *limen; libertatem adduxerit spiritûs; mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, & vigor lentescit; languor fingitur virium; horror austeritatis intenditur; timor solicitat paupertatis; contrahitur animus; subtrahitur gratia; protrahitur longitudo vitæ; sopitur ratio; spiritus extinguitur; defervescit novitius fervor; ingravescit tepor fastidiosus; refrigescit fraterna charitas; blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex; abdicatur jus; fas proscribitur; derelinquitur timor Domini; dantur postremò impudentiæ manus; præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus; plenus ille ignominiâ, & confusione saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de Cœlo in cænum, de claustro in sæculum,*

(a) S. Bernard. Serm. 63. in Can.

* vel, lumen.

culum, de paradiso in infernum. Hucusq; S. Bernardus. Cujus verba, sententiæqve singulæ, quàm gradatim ab exigua remissione spiritûs in frigus intensum animam deficere doceant religiosam; à frigore in rationis, & judicii confusionem; à summo religiosæ perfectionis solio in profundam vitiorum cloacam; hinc in sæculum; mox in infernum descendere demonstrent; nescio magis ad vivum an à quopiam alio describi posset.

§. II.

In Religioso teporem arguit non solùm orationis fastidium; sed etiam, & quidem maximè, mortificationis horror.

1. Ex Divi Bernardi superiùs hìc recensita descriptione licet colligere, ex quibusnam affectionibus animi vel ipse Religiosus in se, vel alii in ipso possint arguere, teporem in eo invalescere. Sed tamen ex nullo magis indicio potest hoc malum argui, quàm ex notabili (sicut in Sermone suo signanter hoc attingit Claravallensium Pater) horrore asperitatis, & mortificationis. Nam in oratione subindè fastidium aliquod, in meditatione tædium, in eliciendis actibus interioribus amoris, & faciendis aspirationibus ad Deum crebrioribus, aliquam lentitudinem experiri, non est novum animæ quantumlibet Deum amanti. Cùm hoc contingere soleat vel ob aliquam subindè corporis affectionem, & dispositionem malam ex àëris intemperantia, ex astrorum adverso influxu, ex complexione; vel ex divina dispensatione constantiam amoris erga se, patientiam, & humilitatem, probante: quæ solet ad virtutis experimentum omni privare gustu, in oratione, meditatione, aliisq; spiritualibus exercitiis, animam devotam mirabiliter aliàs recreando.

2. Talem probationem experta fuit illa Sancta Virgo Maria Magdalena de Pazzis; de qua scribitur: (a) quòd *longum certamen à principibus tenebrarum sustinuit; arida, & deso-*

(a) *Brev. Rom. die 25. Maij.*

lata, ab omnibus derelicta, varijsque tentationibus vexata, Deo sic permittente; ut invictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exemplar præberet. Solet eadem spiritûs ariditas etiam in perferendis adversis; puta, in aliqua gravi corporis ægritudine, etiam in subeundis mortificationibus, & aliis humano sensui asperitatem adferentibus, sustinendis animam religiosam interdum afficere. Sicut legim9 in vita S. Theresiæ Virginis. Quæ per duodecim annos, uti jam dictum est alibi, (a) *gravissimis morbis, & varijs tentationibus vexata, constantissimè meruit in castris Christianæ pœnitentiæ, nullo refecta pabulo cœlestium earum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare.*

3. Jam si virgines istæ, divinæ charitatis ardore plenæ, tantâ sanctitate conspicuæ, quanta in ipsis elucebat, quibus ipse amabilissim9 JESUS, & Angeli Cœlestes familiarissimè se videndos exhibebant, & suavia cum ipsis habebant colloquia: si & alii plurimi Sancti, dum in terris agerent, eandem cœlestium deliciarum abundantiam experti, & nihilominùs interdum ad probationem suam experti sunt ingentem cordis, ac spiritûs ariditatem, desolationem, & exilium quoddam: quid mirum, si longè minoris meriti, perfectionis, & sanctitatis homulum eadem probet exercitatio? Sed aliud est, invitum, invitum autem? imò pro Dei amore libentissimè, pati cordis exilium in hac mortali vita: aliud horrere mortificationes, adversitates, contumelias, injurias, & contemptus; nec esse paratum, hæc omnia ferre cum patientia, & ad omnia tristem, tædiosum, ac fastidiosum se exhibere; nec in iis aliter ge ere se, quàm Catus; qui vix ut in gramine rorem, aut aquam ubicunqve contigit pede, statim quatiendo pediolos medorem excutit.

4. Sic ad omnem vel minimam asperitatem, ad rem aliquam adversam, ad mortificationem, correptionem, & admonitionem asperiorem, quam vel Superior ob levem cul-

(a) die 15. Octobr.

culpam ad probationem magis, quàm ad exaſperationem adhibet; vel quispiam alius ob cauſam fortaſsè juſtam, aut etiam charitate fraterna confidentiùs adfert; aut minùs conſideratè verbum aliquod ipſi elabitur; homines enim deniq; ſumus omnes: aut ex regulæ præſcripto ſubeunda ſit aliqua mortificatio, ſtatim caperare frontem; naſum aſperare; torquere os; averſis, & attonitis oculis, ac vultu obmurmurare; lentiùs expedire, quam Superior imponit, ut vulgò dicimus, diſciplinã; ob impoſitam mortificationẽ, diutiùs in cella blandiri iracundiæ; voluntatem adversùs obedientiam obfirmare: hæc, & his ſimilia, non proveniunt ab ariditate, quam amans anima patitur ad humilitatis, & patientiæ probationem, & in ea cum magna reſignatione divinæ conformat ſe voluntati, parata ſemper etiam plura, & aſperiora pati: ſed proveniunt à philautia; proveniunt à ſtimulante Satana; ſed ſunt indicia teporis, in omnem negligentiam, & ſpiritualium rerum incuriam deſinentis; ſunt argumenta culpabilis, & in licentiam inclinantis deſidiæ, quam tepiditas inducit; ſunt effectus in animum inſinuantis ſe, propter tepeſcentem ſpiritum, acediæ. Quæ demùm ita mentem religioſam inficiunt, & ad omnem diſciplinam, exercitationemq; bonam reddunt inertem, & ineptam; ut depravata ſenſim voluntas ipſam etiam vocationẽ deteſtari non ceſſet, incipiatq; pertinaciter reſiſtere Spiritui Sancto. Hinc deindè ſequitur gratiæ divinæ ſubtractio, ſpiritûs extinctio, contemptus legis, timoris Domini deſertio, impudentia, & impudicitia, deniq; ruina; & (ſicut ex S. Bernardo dictum eſt) *Saltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de Cœlo in cœnum, de Clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.*

5. Cæterùm quidquid ſit de tepiditatis effectibus inculcandis, eos inter alios Spiritualis vitæ Magiſtros, recenſuit, & ad amuſſim expreſſit idem S. Bernardus in Sermone quo-

 dam

dam de Ascens. & enumeraquindecim; quos huc inserere non piget. Igitur ille: (a) *Sanè*, inquit, *invenire est homines, Primò, pusillamines, & remissos.* Quibus verbis notat tepidorum, & primo fervore desciscentium pravam affectinem; quæ mentes eorum in quandam pigritiam deijcit, ita, ut & velint, & nolint disciplinam religiosam; seu ut & velint, & nolint esse boni Religiosi, secundùm illud Proverbiorum 13. *Vult, & non vult piger.* Hanc enim pro primo nequitiæ suæ fundamento ponit inimicus in tepido pugnam, inter Velle, & Nolle, sic, ut deniq; victoriam reportet, Nolle. *Secundò*; *Deficientes sub onere.* Quâ sententià notatur, quod nunc est dictū, Nolle: id est; quòd assiduam disciplinam, onus interpretati supra vires, jam nolint prosequi spiritum, & fervorem in tyrocinio conceptum. *Tertiò*; *Virgâ, & calcaribus indigentes.* Ubi notatur tepidorum timor servilis; qui nihil ex amore, vel etiam ex timore filiali charitati semper individuo comite operatur: sed instar asini, seu cujuscunq; jumenti, cui labor incumbit, flagro, vel stimulo nisi pergeatur, nihil omninò fecerit.

6. *Quartò*; *Quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est*, id est: Tepidi cùm tàm effusè, dicam potiùs, cùm non tàm petulanter læti sunt, quàm ipsorum assolet, & bullit genius, ut videlicet Sardonio risu, cachinnisq; consessum, in quo versantur, soli impleant; ad satietatem cibo, ad ebrietatem potu cum luxu ventrem inferciant; bacchanalia vivant potiùs, quàm modestam cum omni temperantia *secundùm faciem Sanctorum* (c) lætitiam præ se ferant; ipsi videntur sibi pusillanimi laborare tristitiâ. Oportet ergò secundùm ipsorum genium nihil non permittere ad eorum insolentiam in cerebro, & ventre prurientem. Et tunc solùm reputant lætitiam minimè pusillanimem, sibi verò sufficientem; cùm nec censorem, nec legem, nec arbitrū, ac judicem, habent actionum.

(a) S. Bern. Serm. 6. de Ascens.
(b) Prov. 13. 4.

(c) Judith. 15. v. 24.

Quin-

Quintò; *Quorum brevis, & rara compunctio.* Tangitur his verbis ignavia tepidorum: quando nec ad antè actas, nec ad præsentes, in quarum versantur occasione, seqve illis contaminant, culpas mentem reflectunt; ut earum timore perculsi defleant admissa, vel ardente suspirio detestentur; istarum horrore veternum excutiant, & animũ subtrahant à delectatione, vel consensu. Et si quando subit anteactorũ aliqua pœnitentia, valdè obiter compunguntur, & tanquã ad ipsos non pertineat, sine sensu transire compunctionem permittunt. *Sextò*; *Animalis cogitatio.* Convenitur hìc tepidorum à spirituali vita defectio; per quam efficiuntur quodammodò belluini, ad ea, quæ sunt spiritûs, prorsùs inepti. Quibus Cœlestia nequaquam sapiunt; sed ruminant ea tantùm, quæ carnem oblectant, & illis assiduè mentem occupant, tanquam bestiæ, quibus nulla futurorum, Cœlestium, & æternorum (qvia nec horum capaces sunt) est cura; sed solùm naturæ ducuntur affectu, & appetentiâ præsentium sibi necessariorũ. Sic isti penitùs aliud non quærunt, quàm quod sensibus corporis servit; faciuntqve, quod de talibus Apostolus ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs Dei.*

7. *Septimò*; *Tepida Conversatio*: quam produnt eorum colloquia; in quibus ad spiritum religiosum nihil sciunt proferre; & ab aliis si proferri quidpiam audiunt spirituale, vel subridendo tacent, vel contemnendo sermonem interpellant, & aliò (quamvis ineptissimè) divertunt; vel in oratione, meditatione, cæterisq; spiritualibus exercitiis, in Altaris, aut aliorum ad divinum cultum spectantium ministeriis, non Religiosum devotum, sed totum sine spiritu, ceu flaccidum ab arbore pendentem, ramum, aut truncum, est videre. *Octavò*; *Obedientia sine devotione.* Et hæc devotione carens obedientia defectum gratiæ arguit in tepidis, à qua deserti perdunt illam ad obediendum promptè alacritatem, quæ mentem ex

ex actione meritoria deberet excitare ad obediendum ex amore erga Christum Dominū; quem in Superiore nesciunt agnoscere, sed tanquam homini vulgari serviliter obedientes ex timore quodam, & respectu pariter servili exseqvuntur jussa. *Nonò*; *Sermo sine circumspectione*. Qvia videlicet non subservit prudentia tepidis; & ideò, non quod debent, sed quod ipsis in buccam venit, ex sensu proferunt animali.

8. *Decimò*; *Quorum oratio sine cordis intentione*. Nimirùm qvia tepidis oratio fastidium est; ideò, quò citiùs id expediant, ad quod eos vel Ordo, vel professio obligat, nolunt intentione præmittendâ, & prosequendâ occupare se; celeriores ad ludos, & ad fallendum tempus jocis, ac nugis; quàm ad Orationem. Et ita sicut vitam suam non cum intentione Deo sincerè serviendi, placendiqve; sed tantùm fortuitò, sicut ipsis ex improviso res obveniunt, sic etiam casu solùm orant, vagis oculis, inquietâ vultûs, & totius corporis habitudine, sine ulla devota mentis, & cordis applicatione. *Vndecimò*; *Lectio sine ædificatione*: id est; sine ædificatione sui: non ut proficiant, & fructum ex lectione spirituali percipiant; sed tantùm ut per otium aliquid agere videantur. *Duodecimò*; *Quos vix gehennæ metus inhibet*. Huc nimirùm ferociæ diabolus inducit tepidos; ut sensim vitiis inescentur sensū oblectantibus sic, ut ab eorum continentia vix, sæpè etiam nequaquam, eos gehennæ timor deterreat.

9. *Decimò tertiò*; *Vix pudor cohibet*: id est; etiam spectante quopiam teste, vix abstinent ab iis, quæ vel honestas, vel natura ipsa horret in publico fieri. *Decimò quartò*; *Vix ratio frænat*. Qvia sicut bestiæ sensuum appetentiam, non autem lumen intellectûs, quod in tepidis offuscatum est, seqvuntur. *Decimò quintò*; *Vix disciplina coërcet*. Quam nisi jumentorum instar pertimescerent; nihil omninò, quod ratio, regula, Superior, jubet, facerent. Hic igitur ex

Divi

Divi Bernardi doctrina tepidorum est status; ex quo non superest aliud expectandum; quàm ruina vocationis, perditio, & (nisi Deus in mortis articulo peculiarem gratiam ad pœnitendum conferat) gehenna.

§. III.

Religiosus tepidus æqué gravi periculo salutis amittendæ patet; ac maximus quisque peccator.

1. A spiritu, & fervore, quem Religiosus, auxiliante diviná gratiâ, concepit, & imbibit in tyrocinio, jam post professionem deficere, & ineptâ quâdam persuasione duci; se non ampliùs ad eandem obligari spiritualium exercitiorum diligentiam, & attentionem; cum qua semper, dum esset Novitius, omnia, quantùm erat in se, Deo juvante, conabatur non perfunctoriè, & ex quadam consuetudine, sed cum tenerrimo quodam spiritûs, intentionis, & devotionis affectu peragere, ita, ut & Deo gloriam, & animæ suæ consolationem adferret; domesticis etiam, & connovitiis suis esset exemplo; jam nunc ad silentium, ad oculorum modestiam, ad frænum oris, ad totius corporis habitudinem religiosæ vesti, statuiqve maximè conformem, non ampliùs tàm scrupulosè componendos esse mores: Orationem, Meditationem, examinationem conscientiæ, non tàm anxiè, neq; cum ea, quâ solebat tyro, sensuum refrænatione frequentanda.

2. In hæc, & in id genus alia, propositum audaci persuasione defigere, diabolica prorsùs est persuasio, & versutissimi veteratoris laqueus, quem tendit ad illaqueandam, & capiendam animam ad teporem, & ad à primævo spiritu defectioнē inducendam. Quod ubi nequam perfecerit inimicus, jam habet paratum aditum, per quem domum benè scopis mundatam, & ornatam ingressus cum spiritib9 nequioribus se, cum spiritib9, inquam, immundis eam spoliet, vastet, & evertat. Ubi namq; cœperit Religiosus intepe-

tepeſcere, ſtultèq; perſuadere ſibi licentiam, remiſſionem, & indulgentiam; quid aliud jam deerit diabolo, quàm ut cum intepeſcentia, cum ſenſuum liberiore divagatione, cum exercitiorum ſpiritualium, ac diſciplinæ ſummo neglectu, venialium culparum contemptum inducat? Quibus culpis frequentandis, & ſine ſcrupulo cumulandis asſveto non jam opus erit magnâ induſtriâ, ut lethalem quoqve perſuadeat culpam, proceſſuq; temporis ad ejusdem culpæ mortalis iterationem pertrahat. Et permittit Deus in unius peccati pœnam peccatum alterum. Qvia dum voluntariè venialibus innodatus culpis homo non vult ea vitare, quæ ſibi perſuadet eſſe parva; Deus etiam, juſto judicio minutam gratiam per voluntariam venialium admiſſionem, tandem etiam ſubtrahit ad ſuperandam tentationem ſolicitantem ad mortatę. Quo demùm admiſſo, jam miſer homo gratiam amiſit omnem. Utrum autem ad reſurgendum à lapſu daturus ſit Deus novam, quis ſibi certò promittat? Ubi verò ſurrexerit ab hoc lapſu mortali; rurſùs ad evitandum relapſum an efficax dare velit auxilium hinc quidem venialibus aſſueto; indè virtute jam per unũ mortale peccatum infirmatâ, quis ſibi polliceatur?

3. Nam auxilii, gratiæqve divinæ theſaurus eſt quidem infinitus; ſed non ad hominis arbitrium, ac voluntatem diſpenſabilis. (a) *Quis enim cognovit ſenſum Domini*, (exclamat Apoſtolus) *aut quis conſiliarius ejus fuit?* Rectè propterea S. Auguſtinus: (b) *Non eſt*, inquit, *gratia Dei in natura liberi arbitrij, & in lege, atq; doctrina, ſicut Pelagiana perverſitas deſipit. Sed ad ſingulos actus datur illius voluntate, de quo ſcriptũ eſt: Animam voluntariam ſegregans hæreditati tuæ.* Ideòqve religioſam vocationem qui ſemel apprehenderit; magnã, ac peculiarem hanc Dei fuiſſe gratiam agnoſcat; eamq; ſemper cum timore, ac tremore; non autem cum indulgentiæ perſuaſione tractet. Qvia tempor, & remiſſio primi ſpiritûs æquali

(a) *Rom.* 11. 34. (b) *S. Aug. Ep.* 107. *ad Vitalem.*

æquali patet periculo ſalutem animæ perdendi, ſicut & ſtatus illius, qui maximo cuiqve flagitio permtttit ſe contaminandũ, & de reſipiſcendo parùm, aut nihil, eſt ſolicitus. S. Thereſia, quam Chriſtus Dominus crebris apparitionibus, & colloquiis eſt dignatus, in gratia ſe confirmatam eſſe, poterat ſibi humiliter perſuadere; præſertim cùm audivit Dominum *datâ dexterâ dicentem ſibi : Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem* : Et tamen *maximè arduum votum emiſit, efficiendi ſemper, quidquid perfectius eſſe intelligeret.* (a) Qui fuit actus maximè heroicus ad divinæ gratiæ, vocationisq; cuſtodiam, & conſervationem; ad auxilii divini ſemper in melius proficiendi promerendam præſentiam. Et tu pro eo, quòd deberes quotidie religionis, devotionis, & virtutum incrementa ſumere, quomodo tibi perſuadeas à primævo ſpiritu, à diligentia, & ſpiritualium exercitiorum exſecutione ſedula remittendum eſſe? Remiſſionis hæc audacia, tepor eſt; quo ſenſim invaleſcente, Deum tibi reddis adverſariũ, & opera bona, ſeu religioſa exercitia perfunctoriè peracta deteſtantem. Scriptum eſt enim: *Maledictus, qui facit opus Domini* (Vocatio ad religionem, & Inſtituti religioſi profeſſio, certè opus eſt Domini) *Maledictus*, inquam, *qui facit opus Domini fraudulenter*, (b) negligenter, perfunctoriè, & oſcitanter. Et ut periculum in hoc advertas non contemnendum; audi, quomodo per epiſtolam ſalutetur in Apocalypſi Laodicienſis Eccleſiæ Angelus: (c) *Scio opera tua. Quia neq; frigidus es, neq; calidus. Utinam aut frigidus eſſes, aut calidus. Sed quia tepidus es; & nec frigidus, nec calidus: incipiam te evomere ex ore meo.*

4. Hæc comminatio magnæ debet eſſe conſiderationis non ſolùm apud Eccleſiarum Præſules, quibus omnibus, & ſingulis ſub unius nomine comminatur Chriſtus; ſed etiam apud unumquemqve Religioſum in Dei ſortem per gratiam vocationis allectum: ſi gratiam hanc æſtimare non per-

(a) *In vita S. Thereſ.*

(b) *Jer.* 48. 10. (c) *Apoc.* 3. 15.

gat, professionisq; suæ negligens, à fervore divini servitii remittat, ac tepidus fiat. Considerandum, inquam, est Religioso; quàm gravi periculo fiat obnoxius ob teporem. Nam inter alia Cornelius à Lapide hìc observat; non dici: *Incipiam te evomere ex stomacho meo*; *sed ex ore*. Videlicet Religiosum tepidum adeò displicere Christo Domino; ut nequaquam ipsum intromittat in interiora sua; id est: in gratiam suam, eò planè modo, quo cibus in ventriculum traijciendus, statim atq; sentitur insipidus in ore, tanquam ingratus exspuitur cum aliqua nausea, & reijcitur. Auctoris hujus verba, licèt aliundè mutuata, sic accipe: (a) *Non ait ex stomacho, sed ex ore. Quia tepidi ita displicent Deo, ut in stomachum eos non admittat; sed statim, ut eos in ore senserit, evomat, & exspuat, ac tandem deturbet in æternũ suppliciũ.* Hæc ille.

5. Non hìc ergò dicitur: Qvia magnus prævaricator es; non, qvia sacrilegus adulter es; non, qvia Christi patrimonium in profanos, & pravos usus ad patranda flagitia profundis, abliguris, & totus heluaris: sed *quia tepidus es*: qvia fervorem pristinum deseruisti; qvia non pro eo, atqve olim, divino cultui deditus es; qvia remissus in orando, in meditando, tuæ professionis exercitia frequentando negligens es; & à primævo mihi serviendi spiritu defecisti: ideò *incipiam te evomere ex ore meo*; non admittam te in gratiam, & amicitiam meam. Concludit ratiocinationẽ suam idem Cornelius, & ait: *Vt ergò verbo rem totam complectar. Licèt frigidus sit pejor tepido; tamen pejor est status, sive conditio, tepidi.* Et dicti sui rationem annectit: *Quia tepidus est in majori periculo ruendi, sine spe resurgendi, quàm frigidus.*

6. Et habuit causam asserendi; tepidum in majori periculo constitui sine spe resurgendi, quàm frigidum. Qvia frigidus, id est, peccator enormis, malitiam suam nec palliat, nec excusare potest. Et sicut frigidus ad ignem admotus facilè calorem concipit, & incalescit; ita multum flagiti-

(a) *Cornel. hìc.*

flagitiosus aliquis sæcularis faciliùs ad pœnitentiam, & ad conversionem compungitur; utpotè, cui vel concio fervida, vel pathetica per conscientiæ arbitrum admonitio, vel sententia nervosè, & cum energia prolata, aut etiam attentè lecta, ceu novũ aliquid de repentè solet accidere; faciliùs, inquam, talis iste compungitur; quàm Religiosus, qui desiderium proficiendi deposuit; qui studium ad perfectionem perveniendi reliquit; qui fervorem pristinum DEO serviendi non tantùm non auget, sed etiam extinguit; cui spirituales sermones, & adhortationes, sententiæ, & lectio, nihil adferunt novi; & qui tanquam vulgarem sibi, quotidianumq; cibum nauseat instar illorum, quibus Manna, panis etsi Cœlestis, attamẽ jam sapere desiit, dicebantqve: (a) *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Sic istis adhortationes spirituales ob quotidianam earum experientiam sunt cibus levissimus. Igitur Deus evomit ex ore suo Religiosum tepidum, ceu contemptorem gratiæ, sub pallio monastico Dei quidem servum in se venditantem; sed interim moribus aliud longè, quàm habitu, referentem, & ideò ruentem sine spe resurgendi. Nam, ut scitè Salvianus ait: (b) *Magis damnabilis est malitia, quàm titulus bonitatis accusat.*

7. Ea propter ex dictis huc usq; patet; Religiosum tepidum non solùm æquali discrimini cum maximo quovis peccatore; sed etiam multò majori, sicut Divus asserit Gregorius, obnoxium esse. Sic enim Magnus ille Pontifex in tertia Parte Pastoralium admonitionum ait: (c) *Sicut ante teporem frigus sub spe est; ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est; conversionis fiduciam non amittit. Qui verò post conversionem tepuit; & spem, quæ erat de peccatore, subtraxit.* Præclarè quoq; Cassianus: (d) *Frequenter*, ait, *vidimus de frigidis, atq; carnalibus, id est, sæcularibus, ac paganis ad spiritualem pervenire fervorẽ: de tepidis, atq; animalibus, omni-*

(a) Num. 21. 5.

(b) Salvian. (c) S. Greg. Past. admon. 35 ad fin. (d) Cassian. Collat. lib. 4. c. 19.

nò non vidimus. Hinc & Climacus ut doceret, quanta ſit teporis, & acediæ vis ad perdendam gratiam, & ad quendam in ore Dei vomitum ciendum, ſic eam deſcribit: (a) *Acedia,* (teporem idem eſſe puta) *Acedia,* inquam, *eſt remiſſio animæ, & reſolutio mentis, puſillanimitas exercitationis, odiū profeſſionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei, quaſi inviſceroſi, & exiſtentis ſine benignitate, attonita in Pſalmodia, infirmans in oratione; in miniſterio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba.* Quæ quidem animi affectio peſſima, per quam quis ex ore Dei meruit evomi, quid aliud generet, quàm deſperationem? Sic enim & S. Joannes Chryſoſtomus audet affirmare, cùm dicit: (b) *Radix deſperationis eſt ignavia,* ſeu tepor, & pigritia. *Et non ſolùm radix: ſed eſt nutrix ejus, & mater. Nam ſicut veſtimentum & tineam generat, & nutrit: ita ignavia,* tepor, & acedia, *non ſolùm gignit ex ſe deſperationem; ſed alit, & fovet.* Jam ex deſperatione quænam ſpes ſupereſt reſurgendi?

(a) Climac. de Acedia. (b) S. Joan. Chryſoſt. de Lapſu.

8. Ex quibus omnibus hìc dictis aliud jam non concludas; quàm, Religioſum tepidum, & à fervore, quem in tyrocinio per DEI gratiam concepit, remittentem; in ignaviam, & acediam deſciſcentem cùm diſcrimini majori fiat obnoxius, quàm mundanus, aut etiam in Religione tyro, qui nondum ad ullam incaluit diligentiam, ſed facilè demùm, opitulante Deo, combibiturus eſt ſpiritum devotionis, ad ingentem ruinam ſine reſurgendi ſpe miſerabiliter urgeri. Nam ubi Deus cum nauſea quadam ipſum ejecerit ex ore, gratiamq; ſuam ei ſubtraxerit; quid miſero ſupereſſe jam debet, quàm Deſperatio? Cujus oratio videtur potiùs irritatio, quàm precatio: eò quòd fiat ſine ſpiritu, ſine attentione, ſine fervore, ſine devotionis affectu, prorsùs effectū nullum apud Deum Optimum conſecutura. Qvia, quod etiam Ethnicus agnovit Salluſtius, ita philoſophatus, (c) *Vbi ſocordiæ, atq; ignaviæ te tradideris, nequidquam deos implorabis;* Chriſtianè lo-

(c) Salluſt. in Catilin.

nè loquendo: Religiosus, qui se tepori tradit, & ignaviæ post calidam conversionem, dum orat Deum; implorat, & rogat frustrà: tanquam fastidiosum ex ore Dei, atqve ad recuperandam gratiam amissam invalidum ejectamentū: *Quia tepidus es; & nec frigidus, nec calidus: incipiam te evomere ex ore meo.*

9. Hoc scilicet meretur illa superba, & stulta tepidi vox, & jactantia: Jam non sum Novitius: non sum jam puer; non jam opus habeo Magistro; non ampliùs sum ille simplex, & stultus; qui quaquaversùs trahi me permittebam. At benè tibi reponi potest: Ideò Religiosus malus es; qvia Novitius non es, nec fortasse bonus fuisti Novitius. Ideò Veteranus malus es; qvia puer bonus non es: illo Prophetâ, quem Deus in matris utero sanctificavit, hem, quàm inferior! & tamen ingenuè confitente: (a) *A a a, Domine Deus: Ecce nescio loqui; quia puer ego sum.* Jam non opus habes Magistro? Ita est: non opus habes; qvia Magistro propter superbiam tuam, & propter teporem, ac acediam tuam indignus es: *Indigni estis, qui de minimis judicetis.* (b) Indignus es; qui vel minimo docendo discipulo, erudiendæ animæ, curandæ rei vel minimæ adhibearis.

(a) *Jer. 1. 6.*

CAPUT XIV.

§. I.

Vocationis neglectus inducit Vocationis ejusdem ruinam.

1. Ex tepore, de quo Superiore Capite egimus, animum occupante Religiosi, nascitur supinus quidam Vocationis neglectus, & contemptus, ita, ut tantum misericordissimi Dei beneficium, qui vocavit ad Religionem, nec habere sciat, aut velit, in aliquo pretio; nec professionem suam ita tractare; ut Dei gratiam, & auxilium ad ulteriorem in Vocatione profectū sibi demereatur. Hinc fit; quòd in eam animi devolutus ineptitudinem, & desidiam, non tantùm quotidie minimè grati-

(b) 1. *Cor.* 6. 2.

gratias agat Deo pro beneficio Vocationis, id quod alibi (a) vehementer commendavim9; ſed neq; beneficium agnoſcat. Et ita erga Deum ingratiſſimus, ſicut non recogitat gratiæ ſibi conceſſæ magnitudinem, ita neq; pro ſuæ Vocationis vivit ſtatu; caſu tantùm fortuito, & nomine, habituqve, non autem profeſſionis exercitio Religioſus; dum non conſiderat, nec ſcit ponderare: quàm multos alios, multitudine prorsùs infinitos hæc Dei præterierit, & adhuc præteribit, gratia. Qui tamen vocati ſi fuiſſent, & vocarentur, ſeſe gratiſſimos exhibuisſent, & exhiberent. Hic nihilominùs ex tot millium millibus ad Religionem aſſumptus, omnibus illis antehabitus, & ingenti beneficio (cum quo poſtmodùm alias gratias in Religione, puta majorem illuminationem, illuſtrationesq; Cœleſtes, & alia ſine numero beneficia, contulit Deus, & conferre paratus eſt,) ingenti, inquam, peculiariq; Vocationis beneficio donatus, & præventus eſt.

2. Et cùm illi, qui nec vocati ſunt, nec vocabuntur, longè fuiſſent, & forent, in obſequio Dei ſeduliores; ſeq; alacriores Optimo Largitori ſcirent exhibere: iſte beneficii per ſummã injuriam oblivioſus, egregiè quoq; ſummã teſtatur ingratitudinem. Qvia ſicut ſapienter ait Seneca: (b) *Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus eſt, qui diſſimulat: ingratus eſt, qui non reddit: ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt.* Et dicti ſui dat rationem. Eò quòd illi, quamvis non ſolvãt, debent tamen; ſicq; ſemper manet apud ipſos aliquod meritorum veſtigium intra malam conſcientiam concluſorum, aliquando ex aliqua cauſa convertendos, ut nihilominùs futuri ſint grati. Sed *Hic*, ait, *nunquam fieri gratus poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt.*

3. Meliùs autem, ut mihi videtur, id expreſſit alicubi Divus Ambroſius; & pro beneficiis à Deo acceptis ingratitudinem ſic exaggerat: (c) *Si gra-*

(a) *P. 1. c. 1. §. 2.*

(b) *Sen. de benef. lib. 3. c. 1.* (c) *S. Ambr. citat. à Corder. in Job. elucid. c. 8. v. 13.*

gratiam homini non referre, simile homicidio est: quantum crimen est, Deo non referre? Nimirùm immemor divinæ miserationis, quâ vocatus est ad Religionem, videtur reus fieri (sicut Apostolus loquitur) *Corporis, & Sanguinis Domini*, (a) propterea, quòd in Deum admittere cùm non possit homicidium ob impossibilitatem ad naturam divinam, admittit illud in Filium Dei, qui factus homo propter nos homines, rursùm ab ingratissimo beneficii Vocationis in Crucem agitur, & ex homicidio ferocit in Deicidium, & facit, quod exprobratur quibusdam in Epistola ad Hebræos; quòd in turpe vitium ingratitudinis prolapsi gratiam vocationis ad fidem contempserint, (b) *rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Quia per eam divinæ miserationis oblivionem afficit Christum Dominum contumeliâ; & per improbitatem vitæ dat ansam inimicis Crucis Christi, ad quam portandam in Religione per inspirationem divinam suaviter invitatus, & vocatus est, ridendi, ludibrioq; habendi beneficium Vocationis, quod acerbissimâ passione suâ, & morte Dominus in Cruce dignum fecit præmio beatitudinis æternæ.

(a) 1. Cor. 11. 27. (b) Hebr. 6. 7.

4. Et ideò S. Ambrosius hortatur seriò, ut Christiani (addamus nos, Religiosi, per gratiam Vocationis ad Religionem aliquid ampliùs adepti) beneficium adoptionis in Dei filios, diligenter expendant; quid olim fuerint, & quid nunc sint; ac propterea vitam suam ad omnem virtutem, & honestatem ordinent, & componant; nè coram Deo censeantur ingrati; & præterquam, quòd Dei Filium iterum sibi crucifigant, etiam Deum Patrem, dantem Unigenitum Filium suum amore nostri, ut per ipsius pretiosissimum redempti sanguinem, vitam acquireremus æternam, afficiant injuriâ. Do Sanctissimi Præsulis verba Commentantis in illam Apostoli sententiam ad Romanos, *Accepistis Spiritum adoptionis: Gratiâ Dei*, inquit, (c) *à timore liberati accepimus spiritum adoptionis* filio-

(c) S. Ambr. to. 5. Comm. in Ep. ad Rom. c. 8.

filiorum Dei; ut considerantes, quid eramus, & quid dono DEI sumus adepti, magna cum diligentia vitam nostram ordinemus; nè nomen Dei Patris in nobis injuriam patiatur; & ea omnia, quæ evasimus, veluti ingrati, incurramus.

5. Quæ Sanctissimi Doctoris verba benè sunt expendenda. In primis, quod dicit: *Vt consideremus, quid eramus, & quid dono Dei sumus adepti.* Deindè; *Nè ea omnia, quæ evasimus, veluti ingrati, incurramus.* Primum inculcat Religioso, quid erat ante vocationem, & quid jam vocatus, adeptus sit, considerandum. Erat videlicet in mundo tanquã in æstuoso mari continuis affectuum inordinatorum, passionum, ac desideriorum sæcularium fluctibus agitatus, atq; jactatus; erat in perpetua peccandi periculorum catasta; erat peccatis usq; ad aures (ut est in paræmia) quinimò totus erat immersus; erat ex humanæ conditionis imbecillitate peccando, rursùm post baptismi gratiam, iræ filius; erat peccati servus; carnis, & mundi præda, propriæ voluntatis mancipium, diaboli voluntarius, Satanæ captivus. Jam per Dei gratiam vocatus ad Religionem est salutis portui vicinus, imò jam in ipso quodammodò portu est, extra peccandi periculum constitutus est; à peccato non aliter, quàm in baptismi sacro fonte, mundatus in Dei domesticorum sortem admissus est; DEO per homologesin denuò reconciliatus est; à servitute peccati liberatus est; carnis, & mundi laqueos evasit; propriæ voluntatis excussit jugum; diaboli castra deseruit; Satanam insultantem elusit: Hæc nimirùm omnia per Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota consecutus.

6. Alterum venit expendendum, videlicet; *Nè ea omnia, quæ evasimus, veluti ingrati incurramus.* Quæ sententia certam innuit ruinam, si Religiosus erga Deum ingratus, & immemor beneficii, & gratiæ vocationis vivat: ubi desertus à gratia rursùm in eandem vitiorum, & peccatorum

rum consuetudinem incurret; jam majori salutem animæ perdendi periculo futurus obnoxius; quàm dum in sæculo religiosæ vocationis expers versabatur. Nam tali nihil superest aliud ex eo neglectu, oblivione, & contemptu professionis; quàm, sicut mox dicetur, desperatio perseverandi.

§. II.

Beneficij Vocationis immemori negatur gratia proficiendi, & in ipsa Vocatione perseverandi spes adimitur.

1. Sicut Magister gentium scripsit olim Thessalonicensibus: (a) *Non vocavit nos Deus in immunditiam; sed in sanctificationem*; ita dici potest unicuiq; nostrûm, qui divinâ miseratione vocati sumus ad Religionem: quòd non simus vocati in neglectum professionis, ut in ea nostrûm resideat quis otiosus, inertiâ tabescat, desidiâ diffluat, socors omnem disciplinam exuat. Sed hic fuit, & est, vocationis ex DEI proposito scopus; ut unusquisq; cum operante Dei gratia laboret; ipsam vocationē sibi firmare studeat; ut beatitudinis æternæ præmium consequatur: & ita gratiam Vocationis habeat, tractetqve; tanquam ejus in Cœlo coronandæ certum fidejussorem. Undè tàm subtiliter, quàm & sapienter Eusebius Emissenus ad hoc propositum ex beneficio creationis, & redemptionis philosophatur, ac docet: à Domino Deo creatum hominem, & redemptum esse; ut ex his consideratis ad majora divinæ bonitatis excitetur speranda beneficia; consequenter æternæ beatitudinis, & Cœlestis hæreditatis ut habeat fidejussores ipsam creationem, & redemptionem. Igitur recitatam etiam alibi Viri doctissimi sententiam non obsit hìc iterare. Dicit ergò: (b) *Deliberatum, ac propositum Deo est: ut facturam subjecti sibi hominis semper in melius pro exercenda bonitatis suæ virtute promoveat. Novum fecit; perditum renovavit. ----- Vt, cùm jam tanta perceperis, per ea, quæ* agno-

(a) 1. *Theß.* 4. 7.

(b) *Euseb. Emissen. Homil.* 1. *super illud: Carnis resurrect.*

agnoſcis, diſcas ſperare promiſſa; ac perceptorum experimentum proficiat tibi in teſtimonium ſperandorum; acſi jam attributa beneficia pro retribuendorum fidejuſſoribus habeas; ac Dei tui præteritam, præſentemq́; bonitatem quaſi futurorum teneas cautionẽ.

2. Jam quæ dicuntur in hac Euſebii ratiocinatione de beneficio creationis, redemptionis, & aliis; hæc ad ungvem omnia quadrant beneficio vocationis ad Religionẽ. In primis enim quod dicitur: *Vt facturam ſubjecti ſibi hominis ſemper in melius pro exercenda bonitatis ſuæ virtute promoveat*, certum eſt; etiam in religioſa vocatione, ſicut in Creatione, Deo propoſitum hunc fuiſſe finem; ut infinitæ bonitatis ſuæ, gratiarum, & illuſtrationum Cœleſtium theſaurũ, ac virtutem ſuam in hominem ad melius, & excellentius effundat, & promoveat ſemper exercitium. Deindè: *Novum fecit; perditum renovavit*. Conſidera tantùm: quis, & qualis fueris in ſtatu ſæculari: quàm ex omni parte, divinarum gratiarum inops! quàm ſæculi vanitatibus, & carnis deſideriis immerſus! omni momento diſcrimini damnationis obnoxius! quàm indignus, quem miſericordiæ divinæ reſpiceret oculus! quàm æternæ beatitudinis incertus! Uno verbo: Quàm miſer, vilis, & ineptus! Et tamen DEUS ex ignominiæ vaſe facturus gloriæ ſuæ vas utile, & commendabile de veteri Adam, quem circumferebas in ſæculo, novum te ſibi denuò formavit quoddam figmentum; ex veteris hominis, & carnis deſideriis perditum, denuò per vocationem ad religioſum ſtatum in integrum renovavit; ut dicat tibi S. Leo Pontifex: (a) *Reminiſcere: quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum*: ubi futuræ beatitudinis indubitatum habes ipſum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento crebriùs (imò quotidiè, ſi Sacerdos ſis) amabiliſſimè fruendum Dei Filium, pignus: *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*; quin & ipſam Vocationem tenes ejusdem beatitudinis æternæ cautionem.

(a) *S. Leo Serm. 1. de Nativ. Domini.*

3. Ex

3. Ex qua consideratione perge jam ultrà; & vocationi tuæ verba Eusebii applicando, diligentiùs expende, cùm dicitur: *Vt, cùm jam tanta perceperis, per ea, quæ agnoscis præstita, discas sperare promissa.* Promiserat olim Deus Israëlitico populo per Moysen, si audierit vocem Domini Dei sui, benedictiones amplissimas in omni loco, tempore, opportunitate: (a) *Benedictus*, inquit, *tu in civitate, benedictus in agro, benedictus eris tu ingrediens, & egrediens. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, abundare te faciet Dominus omnibus bonis; aperiet Dominus thesaurum suum optimum, Cœlum.* Deniq; multa recenset Moyses alia bona, & benedictiones, quibus nomine Dei fidem suam interponit Propheta; sed semper cum adjecta conditione: *Si audieris vocem Domini DEI tui: si tamen præcepta ejus audieris; si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus*; &c. Ita Deus in lege quoq; gratiæ vocabat, & adhuc vocat, ad Religionem, ut vocatum amplioribus semper cumulet beneficiis; ut gratiis, & illustrationibus divinis amplificet; ut aperiat ipsi *thesaurum suum optimum, Cœlum*; ut æternâ beatitudine coronet; sed eâ conditione: *Vt, cùm jam tanta perceperis, per ea, quæ cognoscis præstita, discas sperare promissa.* Non ideò vocatus es, ut deses indormias Vocationi tuæ; nec unquam ipsam recogites, & Dei tui tàm benefici totus immemor vivas; sed ut agnoscas præstita, & agnoscendo, *discas sperare promissa.* Promisit Christus Dominus non solùm Apostolis, ac Discipulis suis, verùm & omnibus aliis Apostolorum exemplo propter amorē Christi relinquentibus omnia, sicut faciunt Religiosi, centuplum in hac vita, & in futura beatam, & interminabilē vitam. Dixit enim: (b) *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

4. Hæc Christi promissio certa est; eò quòd Incarnata Veri-

(a) *Deut.* 28. 3. *& sequ.*

(b) *Matth.* 19. *v.* 29.

Veritas fallere non possit. Sed tamen etiam huic sequelæ, sine qua promissio non habet effectum, adjecit conditionē: (a) *Si quis vult post me venire; abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tanquam nihil facturus sit, qui reliquerit patrem, matrem, sorores, fratres, agros, & omnia; si pariter non relinquat, & abneget semetipsum. Qvia relinquere bona, & omnia fortunæ commoda, quæ videntur esse nostra, nec tamen nostra sunt, non magnæ virtutis est. Siquidem relinqvuntur ea, quorum usum fructum habemus quidem ex liberalitate DEI; sed nequaquam in potestate, dominioqve nostro sunt. Adveniunt, abeunt, crescunt, decrescunt, augent, minuuntur invitis nobis. Sola voluntas, arbitrium, affectus animi, & his similia potestati nostræ subjacent, & sunt nostra; Uti sapienter Epictetus ait: (b) *In nostra potestate est, opinio, appetitio, desiderium, aversatio; &, ut uno complectar verbo; quælibet nostræ actiones. Nostri arbitrij non sunt; corpus, pecunia, gloria, imperia; ad summam ea, quæ ipsi non agimus, omnia.* Igitur ea relinquere, quæ nostra non sunt, & quorum etiam usum tandem aliquando, si non aliud, certè mors eripiet, est perindè, ac nihil relinquere. Sed relinquere, nescire velle, & abnegare semetipsum; voluntatem, arbitrium, appetitionem, ac desiderium, quæ omnia in potestate nostra sunt; hoc solùm apud Deum habet, & dat pretium.

5. Hinc & Divus Gregorius ait: (c) *Fortassè laboriosum non est homini, relinquere sua: sed valdè laboriosum est, relinquere semetipsum. Minùs quippè est, abnegare, quod habet; valdè autem multum est, abnegare, quod est.* Jam si relictis omnibus, in Religione temetipsum tibi serves, & voluntatem tuam, appetentias tuas, ac prava desideria tua non deseras: si arbitrium tuum, quod Deus tibi reliquit liberum, tuæqve potestati subdidit, permittis in ea, quæ vitiosa sunt, declinare; & ita totus iners, ingratus, & immemor Dei vocantis

(a) c. 16. 24. (b) Epict. c. 1.

(c) S. Gregor. Homil. 32. in Evang.

cantis te ad obsequium suum, nihil ampliùs adjicias Vocationi, quàm quòd reliqueris domum, parentes, agros, & alia; nihil certè lucraris. Et ideò Christus Dominus adjecit alibi vocationi, quâ multos vocat, hunc memorabilem aphorismum: (a) *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Vocatus es in Religionem, ut in hac Christi sequela abneges temetipsum; cum affectibus, & passionibus tuis inordinatis ut strenuè depugnes; ac temetipsum vincas in omnibus; ut disciplinā tàm in animum tuum, quàm in corpus exerceas; & in vim gratitudini s ut totus in holocaustum Deo cedas. Hoc ni faxis; vocatum te probas ad gratiam, sed non cum effectu conducentem ad gloriam. Undè consideranda veniunt adhuc Eusebii verba: *Et opem rebus nutrias, & de consequendis ea, quæ es consecutus, interroges.* Quid verò sibi vult effatum hoc, *& opem rebus nutrias?* Hoc, quod est in proposito sermone. Opem, & gratiam, quam Deus tibi contulit Religioso, vocando te ad obsequium suum, oportet *rebus nutrias*: id est; exercitatione virtutum, ac disciplinæ studio, addas beneficio Vocationis, assiduum quoddam veluti nutrimentum. Et hoc nihil erit aliud, quàm de consequendis à Deo tàm in hac mortali vita, beneficiis, donis, & gratiis; quàm de gloria à Christo Domino in futurum promissa, vocationem, dona, gratias, & beneficia, quæ jam consecutus es, interrogare, consulere, & ex his metiri, quantum obligatus sis Optimo Creatori tuo; quid, & quantum sperare, tibiqve promittere possis de consequendis iis, quæ promisit Deus pro suscepta Vocatione; præsertim cùm jam attributa sivè naturæ, sivè gratiæ dona, ac beneficia, pro retribuendorum teneas fidejussoribus, & cautione.

6. Quòd si non interroget Religiosus, nec operetur secundùm ea, quæ consecutus est in suscepta Vocatione, & immemor tanti (sicut & aliorum plurimorum) beneficii, dignationis, & gratiæ, nullam penitùs

(a) *Matth.* 20. 16.

penitùs operam velit ampliùs adijcere cautioni, quam in manibus habet jam, ac tenet; & instar servi pigerrimi complicatis manibus expectet, dum ad os ipsi veniat, & involet ultrò, quam sperat, pingvior offa; nec pedem, nec manum ad ejus usum, & fructum admoveat; seq; permittat à desiderio suo tradi peccatori, qui diabolus est, & in omne flagitium cæco ruat impetu; non est, quod speret desidiosus, & ingratus iste cuculus aliud; quàm quòd gratiâ, & auxilio, quod dare Deus erat paratus in melius promovendo, privandus sit, ac penitùs à Deo deserendus, atqve Vocatione, quam hucusqve divina bonitas ipsi per gratiam suam servabat, excidat. Quam in rem divinissimè S. Ambrosius illam Isràéltici populi stragem, cujus mentionem facit Apostolus ad Corinthios scribens; quòd (a) *prostrati sunt in deserto*; dum expendit, ait: justè factum esse ingrato illi populo, quòd interierint *in deserto*, nec concessum sit ipsis contingere terram promissionis, ideò; qvia, postquam consecuti fuerant eam gratiam, ut Deus ipsos educeret, & liberaret ab Ægyptiaca servitute, eos nutriret, foveret, ac protegeret, ipsi nihilominùs inertes, & ingratissimi, nec recordati sunt tantorum beneficiorum; nec Deum agnoscere voluerunt liberatorem; sed ad Ægypti conversi idola, cultum, qui soli Deo debebatur, ipsis exhibuerunt; liberationem sui tribuerunt aureo vitulo, insanis clamoribus ad ipsum vociferantes: (b) *Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. O vesaniam! ô ingratitudinem populi! *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos*, (regius Psaltes (c) exprobrat) *qui fecit magnalia in Ægypto; mirabilia in terra Cham; terribilia in mari rubro*; & propter hoc *prostrati sunt in deserto*. Propter oblivionem, & summam ingratitudinem subtraxit Deus ipsis auxilia perveniendi in terram promissionis, & gratiâ liberationis indignos judicavit; sed tàm illâ gratiâ ut privarentur, quàm ut promissâ de-

(a) 1. *Cor.* 10. 5.

(b) *Exod.* 32. 4. (c) *Psalm.* 105. 21.

sâ destituerentur terrâ, *prostrati sunt* omnes *in deserto.*

7. Ita planè fieri putemus & cum otioso, ingrato, vocationem suam oblivioni tradente, nec aliud vel minimùm ad eam, præter vestem, & numerum addente Religioso. Quem postquam Deus ad imaginem suam creavit; è diaboli captivitate redemptum, à potestate diaboli vindicatum, in lumen, & regnum suum vocatum tanto beneficio dignatus est, ut novis ipsum in Religione donis, & gratiis ornaret, & cumularet, ad cautionis pro Cœlesti beatitudine speranda custodiam ipsi porrigeret peculiaria quædam auxilia; cùm ipse degener à primo Vocationis suæ spiritu, jam aliam orditur vitam; & jam ex tantis beneficiis, quæ consecutus est, non solùm non interrogat, aut inquirit; quidnam sibi supersit faciendum ad impetrandam in Vocatione perseverantiam, & consequendam gloriam Cœlestem: sed etiam ingratissimus obliviscitur divinæ miserationis, quæ quondam ipsũ ad statum religiosum heroicè suscipiendum, profitendumq; vocaverat; & ita per summã ingratitudinem ad Ægypti carnes, allia, cæpas, & idola cum Israëlitis respicit, ac suspirat; id est: ad carnis, & mundi vanitates conversus; deniq; nec gratiam, nec auxilium ad superandas tentationes, & ad impetrandam æternam gloriam, necessarium confert ipsi Deus; nec in statu religioso ut perseveret, concedit; ut rectè jam hìc genuina Mediolanensis oraculi adnectam verba, ad propositum nostrum ita definientis: *Dignum est; ut, qui magna consecutus in parvis diffidens est, non solùm hæc non adipiscatur; verùm etiam amittat & illa.* (a)

8. Vocatio, & professio religiosa, quam Deo miserante consecutus est homo, profectò beneficium magnum est; ut verè cum Sanctissima Virgine in DEI matrem electa possit, quin & debeat, Eucharisticum illud sæpè depromere carmen: (b) *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen*

(a) *S. Ambr. to. 5. Com. in 1. Cor. 10.*
(b) *Luc. 1. 51.*

nomen ejus. At verò Deo, tanto Domino, rerum omnium Optimo Creatori, Conservatori misericordissimo, Gubernatori sapientissimo, in obsequium, & holocaustum se vilissimum plasma, & facturam, offerre, quid tandem magni est? Res omninò parva; passionibus, & affectibus suis inordinatis frænum imponere; Deo pro beneficiis, donis, & gratiis animum exhibere gratum; in memoriam cautionis, quam dedit jam pro retribuendorum fidejussore, crebriùs largitori liberalissimo gratias agere; ipsum amare, laudare; votis, ac precibus honorare; verè tàm pro præstitis conservandis, quàm pro futuris consequendis in æterna beatitudine bonis, incomparabiliter parvum, & exiguum est. Sed ingratissimus hæc parva qvia parùm fideliter, imò perfidissimè, per summam inertiam, & oblivionem tractat, & contemnit; æqvum est idcircò, ut consecutus olim magnam Vocationis, & Religionis gratiam, ad cætera quoq; parva reddatur ineptus, & (sic ut dicam) incapax, atqve gratiâ Vocationis judicetur indignus. Nimirùm *dignũ est, dignum; ut, qui magna consecutus, in parvis diffidens est, non solùm hæc non adipiscatur; verùm etiam amittat & illa.*

9. Tali dignum mercede quondam habuit Roma Marcum Antonium dictum Eliogabalum. Hic post Antonium Caracallam Imperatorem inter Edessam, & Charras ab hostibus occisum, Romam veniens magnâ omnium expectatione imperium est adeptus. Sed quanta fuit ejus expectationis ad imperium magnitudo, tantus intra breve tempus hominis inertissimi secutus est contemptus. Qui cùm præter cædes, libidines, & alia probrosa flagitia, nihil penitùs pro imperii dignitate gereret, ad eam insuper vesaniam pervenit; (a) *ut decem millia pondo aranearum colligeret: qua ex re dicebat, magnitudinem urbis Romæ comprehendi posse. Exhibuit prætereà decem millia murium, mille mustelas, mille sorices.* Ob quam insaniam adeò contemptui cœpit haberi; ut

(a) *Platina de Vitis Pontif. tit. S. Vrbanus I.*

ut deniq; exorto militari tumultu, ipse cum matre necaretur, judicatus indignus imperii sublimitate, qui tantùm libidini, cædibus, colligendis araneis; muribus, mustelis, & soricibus capiendis, exhibendisq; dignitatem impenderit imperialem.

10. Jam Religiosus, Vocationis, ac professionis suæ negligens, ingratus, & immemor, æquè nihil facit aliud, quàm quòd in mundi vanitatibus, ac desideriis carnis, araneas colligat: *Telas aranearum texuerunt*, Vates Evangelicus ait. (a) Tanti nimirùm æstimat vocationem religiosam, ejusqve beneficii magnitudinem ingratissimus, quanti telas aranearum; & inæstimabilem religiosi statûs thesaurum cum vilissima inutilium vermiculorum pendigine comparat æstimandum. Mures, mustelas, & sorices, fugaces, alieniq; rapaces bestiolas exhibet, ac imitatur; dum ex habitu religioso quæstum exercens, aliquod Religionis circumfert pondus: at improbitate morum inutilis, & (quod rei caput est) erga Deum pro beneficio Vocationis ingratissim9, nec Deo gloriam, nec utilitatem Religioni, nec animæ suæ salutem adfert, vel lucratur. Ideò qui principio magnæ fuit expectationis, aranearum deindè factus æstimator vesanus, à Deo deniq; reprobatur, & hominibus etiam factus exosus ob supinam socordiam, non assecutus ullum virtutis fastigium, excidit Vocatione.

11. Qvia sicut Moyses ad Dei visionem in ardenti rubo propiùs ut accedere, Deum sibi loquentem audire, in terra sancta consistere posset, deponere debuit calceamenta de pedibus suis: ita Religiosus in terra sancta, quæ est claustrum religiosum, ut perseveret, deponat calceamenta de mortuorum pellibus animalium confecta; deponat, inquam; carnis affectus, inordinatissimos exuat omninò; nè à Claustro, vel à cella sua, tanquam insipidum evomatur ejectamentum. Nam morticinum putidum non sustinet religiosa professio. (b) *Morticinum mortuarum affectionum*

(a) *Isa.* 59. 5.

(b) *S. Bern. Ep. ad Fratres de Monte Dei.*

(ait S. Bernardus) *vel hominem mortuum à corde, locus sanctus, vel terra sancta* (monasterium, seu Religionem intelligit) *nequaquam diu patitur*. Addit huic sententiæ patheticam invectionem religiosissimus Jacobus Alvarez, cum quo & paragraphum hunc concludo: (a) *Quid infelicius*, inquit ille, *quàm in loco sancto non sanctè, sed prophanè, & tepidè vivere? In conclavi Christi amici charissimi non cum eo, sed cum mundo miscere colloquia? In cubili sponsi non sponso uniri, sed hostibus sponsi inverecundè prosterni, & peccatis, ac imperfectionibus sociari?*

§. III.

Contemptum Vocationis plerumq; sequitur obduratio.

1. Tàm magni discriminis est in Religioso permittente se tepori, neglectui, contemptuiq; Vocationis; ut aliud indè vix debeat expectari; quàm animus obfirmandus in malo, seu cordis obduratio, ita, ut non solùm nolit agere benè; verùm etiam nec possit flectere voluntatem ad bonũ. Quæ demùm res eò spectat; quòd miser aut semper majorem iræ divinæ, suppliciiqve cumulum, & gravitatem sibi (sicut loquitur Apostolus) thesaurizet; aut (nisi Deus ex peculiari misericordiæ suæ gratia, quæ tamen rarissimè, paucis, & extraordinariè datur, per absolutam omnipotentiam suam ipsum convertat obduratum, & ex lapide filium Abrahæ faciat) sine pœnitentia moriatur, & ita pereat in æternum. Quæ quidem obduratio contingit dupliciter. *Primò, proprie*, directè, & positivè ab ipso peccatore voci divinæ contumaciter non obediente; & ex peccato in peccatum voluntariè ruente. *Secundò, impropriè*, & non nisi permissivè à Deo justè peccatum peccato puniente; gratiam item, & auxilium subtrahente. Cùm igitur tepidus, & vocationis suæ contemptor, à venialiũ voluntaria frequentatione delabitur ad mortalia, & his etiam consvescit; efficit cor, & animum durum ad pœni-

(a) *Jac. Alvar. de Vita Spirituali to. 1. l. 1. c. 1.*

pœnitentiam, ad obediendum inſpirationibus divinis, adeò, ut jam ipſi difficillimum, ac propè (ſic ut dicam) impoſſibile ſit vitare lapſum mortalem, & admiſſum non iterare.

2. Et hoc non fit Deo directè operante; ſed propter peccandi conſuetudinem, & malitiam quodammodò radicatam, juſtè permittente, & gratiam ſubtrahente. Undè S. Auguſtinus: (a) *Teſtimoniis*, inquit, *divinorum eloquiorum ſatis, quantùm exiſtimo, manifeſtatur; operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunq; voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia; ſive ad mala pro meritis eorum. Judicio itaq; ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem juſto.* Deindè paucis interpoſitis: *Ac per hoc*, ait, *quando legitis in literis veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare, præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſtè iſta paterentur.* Ita S. Doctor de Gratia, & libero arbitrio. Ex qua ſententia liquidò patet: Cùm Deus inclinat cor hominis ad bonum etiam obſtinatiſſimi, eſſe miſericordiſſimi Dei gratiam extraordinariam; cùm autem indurat, & inclinat ad malum; eſſe juſtitiam: atqve indurare impropriè, indirectè, ac permiſſivè, ſic puniendo peccatum peccato, propter malitiam hominis operantis ex arbitrio ſuo libero peccatum, & animum in malo propriè obfirmantis.

3. Hanc autem indurationem animi, tepor inducit in Religioſo Vocationem ſuam, diſciplinam, & regulam negligente, ac contemnente, nec aliud, quàm cuticulam ſuam curante. Teporem autem intelligo non illam ſpiritûs ariditatem, de qua ſuperiùs egimus, eſtq; communis etiam juſtis, ex variis alibi jam recenſitis cauſis; ſed accipio teporem, & languorem animi; diſciplinam, mortificationem, & exercitia ſpiritualia cum horrore quodam refugientis, ac penitùs negligentis; propter quem meretur à Domino Deo evomi, & omni poſthac deſtitui gratiâ. Ex quo fit, ut homo reddatur ad obedi-

(a) *S. Aug. de gratia, & lib. arbitr. c. 21.*

endum refractarius, ad conversionem durus, ad Superioris, aut Patris spiritualis vocem, & ad bona consilia surdus; ad pervidendum statum suum pessimum cæcus; & tamen semper titulo religiosæ professionis, quam nihilominùs pessumdat, in oculis suis sibi justus. Et quamvis in malitiam operetur contra Superioris, & Patris spiritualis voluntatem, consilium, & regulæ præscriptum; tamen ad certas proprii judicii sui confugit interpretationes, inimico generis humani non solùm lætante; sed etiam prava consilia, tanquam recta, suggerente, probante, & semper ad malum exstimulante. Qua in re magis semper, ac magis invalescente duritie cordis, iram Domini sibi cumulat, & pœnæ gravitatem quasi thesaurum quendam sibi congregat, secundùm illud Apostoli: (a) *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram.* Quæ verba S. Bernardus paraphrasi suâ sic exponit: (b) *Thesaurizas tibi thesauros iræ pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis; & evacuas in te misericordiam Dei.*

4. Hinc nihil mirum; reperiri quempiam, etiam juvenem, Religiosum adeò ferocem; ut, quantò magis Superior, aut Pater spiritualis ipsũ à torpore nunc blandis, suavibus, ac mansuetis hortationibus excitare studet; nunc minis, quin & levioribus pœnis ad frugem convertere laborat; nunc eâ solicitudine, & admonitionum emphasi stimulat, ut non minùs ipse, quàm alii audientes, in lachrymas erumpant; hic tamen in sua constans pertinacia, Marpesiâ caute durior, adeò nihil moveatur, ut etiam intra semetipsum omnia rideat, ac pejor fiat. Nihil, inquam, mirum, reperiri quempiam tàm ferocem in malum. Quia durus, cæcus, surdus, & à Deo desertus, induit impœnitens cor; & *pro prorogatis thesauris misericordiæ*, gratiarumqve, quos illi Deus ad majus præmium, & gloriam præparaverat, si disciplinam seriò prosecutus fuisset, *pro prorogatis*,

(a) Rom. 2. 5. (b) S. Bern. Serm. de tripl. miseric.

tis, inquam, *thesauris misericordiæ* contemptis, *thesaurizat sibi thesauros iræ ; & evacuat in se misericordiam Dei.*

5. Hæc autem duritia cordis aliud nihil est, quàm mentis contumax obstinatio, nolentis in se recipere divinæ gratiæ ad bonum inclinantis operationem ; sivè, ut Origenes ait : (a) *Cor durum est, cùm mens humana velut cera frigore iniquitatis constricta signaculum imaginis divinæ non recipit.* At Divus Bernardus hoc ipsum graphicè, magisq; ad vivum in hæc describit verba : (b) *Quid est cor durum ? Idipsum est, quod nec compunctione scinditur ; nec pietate mollitur ; nec movetur precibus ; minis non cedit ; flagellis induratur ; ingratum ad beneficia est , ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina , præteritorum obliviscens ; præter injurias nihil omninò præterit ; præsentium nihil non perit ; futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio, seu præparatio est. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar ; ipsum est , quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Hæc Claravallense scripsit è spiritu veritatis oraculum : ego cum aliis in duobus juvenibus experientiâ teste probatum vidi , sed & ingemui, triste spectaculum.

6. Et quamvis ejusmodi contumax , & obduratus , quamdiu vivit, desperandus non sit ; sed oratione, consilio, & omni studio, quantum patitur status indurati, juvandus. Est enim Divi Augustini certa sententia dicentis : (c) *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur ; aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur* ; nec propterea, quia malus, aut deserendus, aut protrudendus in pejus est. *Quia* (prosequitur Augustinus) *in eo, quòd malus est quis, utrum usq; in finem perseveraturus sit, ignoramus.* Attamen signum est manifestum, ejusmodi contumacem in magno reprobationis, & damnationis æternæ periculo versari : Qvia tanquam per vomitum ex ore Dei rejectum, & derelictum. Qui vomitus ad-

(a) *Origen.* (b) *S. Bern. lib.* 1. *de Consid. ad Eugenium.*

(c) *S. Aug. in Psal.* 54. *ad vers.* 1.

huc quidem ad æternam damnationem non refertur, sed ad solam derelictionem; nihilominùs proximam, & propinquam damnationi.

7. Undè sapienter ad hoc propositum scribens super metaphoricum illum, intentatum à Deo in Apocalypsi vomitum Alcazarius: (a) *Aßero*, inquit, *primò: Vomitûs metaphoram non eße referendam (pro. priè, & proximè*, Cornelius addit) *ad æternam damnationem. Hæc enim non solis tepidis, sed omnibus peccatoribus à Deo intentatur; verùm ad id, quod eam* (damnationem) *præcedit, scilicet ad derelictionem Dei. Secundò; aßero, vomitûs metaphorâ repræsentari irreconciliabilem detestationem. Tertiò; aßero, tepidum tunc aptißimè dici à Christo evomi, cùm induratur in peccato, & quodammodò projicitur extra curam divinæ providentiæ. Hujus autem comminationis particula (quæ propter venialem etiam teporem meritò timeri debet) est; privari ijs auxilijs, quæ conceduntur non omnibus justis, sed ijs solùm, quos Deus majori favore prosequitur. Quantum verò periculum indè immineat labendi in peccata lethalia, & tandem in veram obdurationem, id spiritualium virorum considerationi relinquo. Quartò; aßero; comminationem hanc sic explicatam eße respectu teporis, & per ipsam doceri fideles; teporem eße ipsißimam viam ad obdurationem in peccato.* Hucusqve Alcazarius; & quidem ita nervosè, ut quidquid duobus Capitibus hìc proximè præcedentibus est dictum de fervoris remissione, de tepore, de periculo propter tepiditatem imminente, & aliis, id pœnè totum comprehendatur.

(a) *Alcazar. cit. à Cornel. Comm. in Apoc.*

8. Cæterùm si peccator omnis extimescere debet ad intentatam sibi derelictionem, & esse quodammodò certus derelictionis damnationem præcedentis; multò magis Religiosus, qui jam annumeratus est Dei amicis, item majoribus à Deo, quàm aliis, qui sunt in sæculo, beneficiis ornatus, & gratiâ, qualitatibus ad DEI gloriam, & ad ornamentum Ecclesiæ spectatoribus insignitus, si demùm desciscat, & diaboli, mundiqve per teporem, & Vocationis

suæ

suæ contemptum sectetur amicitiam, oportet pertimescat. Nam certum est; amantium vulnera esse acerbiora, & propè irreconciliabiliora, quàm eorũ, qui vel nunquam, vel minùs aut amârunt, aut amati sunt. Undè meritò Christus Dominus apud Psaltem Regium quæritur de traditore Juda; quòd discipulis, amicis, ac domesticis, & notis suis annumeratus, factus inimicus, & traditor, ducem, & antesignanum se præbuerit inimicis ipsius: (a) *Quoniam*, ait, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Quæ gravissima quærela non de solo traditore Juda; sed de omni quoq; Religioso Vocationem, & professionem suam contemnente, potest ad ungvem accipi. Qui principio quidem amicus, & notus, dulces in domo Dei cum amabilissimo JESU capiebat cibos; id est, verbi divini, Cœlestis etiam doctrinæ, ac præcipuè in divinissimo Eucharistiæ Sacramento deliciis fruebatur; sed jam per teporem, ac per vitam improbam factus inimicus, calumniator, & traditor, habet eundem amabilissimum JESUM contemptui, ostentuiqve. Verùm multa, quæ forent adhuc dicenda, paucis ut hìc, ac velut compendio comprehendam, unicuiq; contemptori suæ Vocationis expendendum propono id, in quo cum Ecclesiaste paragraphum hunc concludo: (b) *Considera opera Dei; quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit,*

(a) *Psalm.* 54. 13.

(b) *Eccle.* 7. 14.

PARS

PARS III.
De
Instauratione ruinæ.



Tsi perhorrendum sit illud, quo Secundam Partem suscepti conclusimus argumenti; nimirùm: *Quòd nemo possit corrigere, quem Deus despexerit*; id est, prolapsum in profundum, & à Deo despici commeritum: non tamen intelligendum est ita; quasi DEUS sic despiciat, & obduret quempiam, ut omne studium ad salutem omninò sit irritum, atq; per omnia desperatum. Sed ea sententia saltem hoc evincit; illum, qui culpâ suâ (sicut plurimi faciunt in profundum prolapsi) ponit obicem divinæ gratiæ semper in bonum hominis operanti, difficillimè converti, ita, ut, quod humano judicio non posse fieri videtur, id Deo minimè sit (ita dicam) impossibile. Nam etsi Deus non paribus prævenire soleat gratiis illos, qui ex malitia se dignos, ut despiciantur, reddunt; atq; illos, qui fragilitate lapsi, vocanti ad pœnitentiam Deo non tàm contumaciter resistunt; sitq; certum, non facilè ex profunda scelerum abysso emergere, qui Deo subindè manum porrigenti per ludibrium quoddam videntur insultare: Deum tamen convertendo peccatori nunquam deesse; modò prævenientem gratiam illius, & motus interiores pertinax non impediat culpa; quæ cor obfirmet in malo, magisq; semper, ac magis obduret, voluntasq; fiat contumacior. Et idcò laborent licèt, clament, urgeant, Prædicatores, Confessarii, Patres spirituales: si Deus ipse non loqueretur interiùs, omnis alia locutio frustranea foret, & inanis. Undè præclarè S. Gregorius ait: (a) *Plerumq; fit, ut, cùm audientis cor, exigentibus culpis,*

(a) *S. Greg. lib. 12. Moral. c. 8.*

pis, Omnipotentis Dei gratiâ non impletur, in cassum exteriùs à Prædicatore moveatur. Quia mutum est os omne, quod loquitur; si ille interiùs non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur. Igitur laboris exterioris, & curæ frustrati non est alia causa, quàm ipsa cordis obstinati duritia nolentis ad pœnitentiam converti; causa, inquam, non Deo, sed culpis exigentibus, & Deum ad justam indignationem provocantibus adscribenda. Attamen ubi virtus Omnipotentis ex infinita misericordia sua aspirat audienti salutis verba, si suscipiat ea loquentis ad cor, & conversus agat pœnitentiam, experietur jam facile, quod difficillimum, & humano judicio minimè posse fieri videbatur. Hac ergò de causa, quæ ruinam religiosæ Vocationis instaurent, huc aliqua conabor adferre theoremata, non eà quidem præfidentiâ, tanquam efficacissima quædam existimem argumenta, quæ plurimùm faciant ad Religiosi lapsi conversionem: siquidem peccatorem convertere, sicut & Religiosum prolapsum in profundum, solius est Dei, sicut jam alibi dictum; quo aspirante, movente, & excitante si loquatur quispiam tàm efficaciter, ut cor peccatoris ad pœnitentiam permoveatur, compungatur, & convertatur, majus facit miraculum, quàm si mortuum ad vitam resuscitaret; ut rectè idem S. Gregorius alibi: (a) *Si invisibilia*, inquit, *pensamus, nimirùm constat; quia majus est miraculum, prædicantis verbo, atq; orationis solatio, peccatorem convertere, quàm mortuum suscitare.* Cæterùm eâ tantùm spe, studio, desiderioq; nonnulla proferre cupio; ut hìc audiatur loqui ille, qui per os Asinæ quondam locutus est Prophetæ Balaam. (b) Quidquid igitur huc adferam, sit quidem per modum concionis, orationis, & solatii prò peccatoris conversione: sed Deus ipse miraculum operetur, quo mortuum spiritu resuscitet ad salutem in vitam sempiternam.

(a) *Idem Dialog. lib. 3. c. 17.* (b) *Num. 11. 28.*

CAPUT I.

§. I.

Vocat Deus ad conversionem etiam flagitiosissimum quemque.

1. Licèt contingat quempiam eòusq; flagitiorum immergi, etiam post susceptam Vocationem, & instituti religiosi professionem; ut per vomitum ex ore Dei, perqvé justam derelictionem omni divino destitutus auxilio, videatur ampliùs resurgere non posse, nec aliud ipsi superesse, quàm miseranda sine finali gratia mors, & æterna damnatio; cujus rei facies esse videtur in eo, qui ab Ordine, à fide, à Religione factus apostata prorsùs in atheismum (à quo nihilominùs ipsum clementissimus avertat DEUS) desciscit, ita ut nullum flagitii, sacrilegii, blasphemiæqvé sit genus, quod non perpetraverit: Ea tamen est misericordissimi Dei bonitas; ut, præterquam quòd etiam improbissimum à beneficiis suis non excludat, quamdiu mortalem hanc ducit impius vitam, non etiam ipsum vocare cesset ad pœnitentiam. Idq; quatuor ex causis.

2. *Prima* est, immensa Dei bonitas, & misericordia; qui non vult *mortem impii*, (sicut habetur apud Ezechielem) *sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* (a) *Secunda*, est ipsum Optimi Dei propositū, & finis intentus, ad quem creavit hominem, non ad damnationem æternam, sed ad illam gloriam Cœlestem, in qua frueretur illà beatitudine, quæ est sola, summa, & perfecta felicitas in aspectu divinæ Majestatis incomprehensæ; Cœlestium omnium voluptatum sinè fine sensus omnes quàm interiores animæ, tàm exteriores corporis inenarrabiliter afficiens comprehensio. *Tertia*, est ejusdem clementissimi Dei pariter finis alter eòdem licèt, quò & Creatio collineans, sed tamen ex causa procedens excellentiori; nimirùm ex immensa Dei tenerrimè diligentis hominem, etiam post turpem in Paradiso

(a) *Ezech.* 33. 11.

lapsum,

lapſum, charitate; quâ *ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* (a) Quæ Chriſti Domini verba magnã continent emphaſim, & energiam, explicantem Dei erga nos homines charitatem: Cujus magnitudinem, & immenſitatem nulla, etiam Angelica, lingua ſatis explicet, nulla creata mens comprehendat.

3. Eadem Chriſti Domini verba Theodoretus eleganti paraphraſi ſic exponit: (b) *Tanta eſt amoris hujus excellentia, ut Filium ſuum unigenitum conſubſtantialem, ex utero ante Luciferum genitum, quo cooperatore uſus mundum creavit, medicum, & Salvatorem noſtrum decerneret, & per hunc adoptionis in filios Dei donum nobis donaret, juxta illud Apoſtoli: Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui.* At Divus Ambroſius eam Dei charitatẽ adhuc altiùs expendens, audet affirmare; tantam eam fuiſſe, ut in promovendo redemptionis humanæ opere, propemodùm authoritatis ſuæ divinæ, & cujusdam orbitatis quodammodò ſubiret periculum, & dolorem, tantùm ut homo ſalvaretur. *Conſidera*, inquit, (c) *affectum patrium. Quod pietas eſt; quaſi morituri Filij ſuſcipit periculum; quaſi orbitatis hauſit dolorem, nè tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, ut propemodùm de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur.* *Quarta* deniq; cauſa, cur Deus etiam flagitioſiſſimo cuiq; vocando non deſit, eſt; nè Deo damnationem ſuam ullꝰ adſcribere poſſit, ſed ſoli ſibi, divinæ voci minimè obedienti.

4. Vocat igitur Deus, & vocare non ceſſat ad converſionem, & pœnitentiam, peccatorem, & tantò magis Religioſum lapſum, nè beneficiũ Vocationis ad Religionem in ipſo ſupervacaneum ſit, & gratia Dei per Vocationem ipſi collata non ſit in eo vacua. Sed in hoc tota propemodùm eſt vis converſionis, ut DEO mirabiliter operante, gratiamqvé ſuam etiam ingratiſſimo non

(a) *Joan.* 3. 16. (b) *Theodoret. Ser.* 10. *de Provident.*

(c) *S. Ambr. lib.* 2. *de Jac. & vita beata.*

non denegante, lapsus advertere studeat diligenter, & interiorem cordis aurem intendat in Dei vocantis, & ad pœnitentiam invitantis vocem: quæ tribus ferè modis insinuatur, uti colligunt Sacri Interpretes ex illa sapienter apud Job philosophantis Eliu sententia. Qui postquàm multa præclarè dixit de non inquirendo curiosiùs in Dei opera, quæ multa, & prorsùs admiranda recenset; sed nostra omnia permittenda esse divinæ voluntati, multis eandem voluntatem suam modis ad peccatorum conversionem significantis, deniq; sic concludit: (a) *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium.* Per hasce tres vices interpretantur pleriq; tres modos, & vias; quibus agere solet Deus cum sceleratis ad eorum conversionem. Et hæc interpretatio planè convenit expositioni Græcæ, versum hunc exponenti sic: *Ecce hæc omnia operatur fortis, tribus vijs cum viro.*

(a) *Job.* 33. 29.

5. Jam autem viæ, seu modi, quibus utitur Deus ad impii conversionem, tres sunt hæ: videlicet; Horribilia verba, somnia, & morbi, vel ærumnæ: sive, vocat Deus impium dicendo, minando, & puniendo. Id quod directè docet Olympiodorus in Catena, dum ait: (b) *Hæc sapientis, atq; adeò robusti Dei sunt opera; ut tripartitâ quâdam ratione, peccantes convertat: Verbis, inquam, horribilibus, somnijs, & morbis. His tribus vijs is, in cujus nutu, ac potestate, cuncta vertuntur, cum unoquoq; agit homine; ut unâ aliquâ ex his, qui noxâ tenetur, eruditus vitet interitum, atq; Deum in vita laudibus efferat.* Eàndem sententiam iisdem ferè verbis S. Joannes Chrysostomus exponit in Catena, dum ait: (c) *Ita Deus cum hominibus agit; ut coarguat, increpet, & nocturnis terroribus minitetur; loquendo doceat; ægritudinibus, atq; imbecillitatibus cruciet.*

6. Itaq; vocat Deus impium ad pœnitentiam (d) subindè loquen-

(a) Olympiodor. in Catena. (c) S. Joan. Chrysost. in Catena. (d) 1. modus vocandi fit 1. dicendo, per se.

loquendo. Et hæc Dei locutio rursùm quadrifariam fit ad cor hominis. Vel enim loquitur *Primò* Deus ipse, sive per Angelum; Vel *Secundò* per hominem aliquem; sicut olim voluntatem suam denuntiabat per Prophetas in Veteri Testamento; nunc in lege gratiæ per aliquem ferventem Ecclesiasten, aut per Patrem spiritualem, aut per aliam probatæ vitæ personam. Vel *Tertiò* per Sacræ Scripturæ, seu etiam sancti, piiq; cujuspiam auctoris, aut exempli, aut sententiæ, lectionem. Vel deniq; *Quartò* per interiorem instinctũ moventem ad compunctionem. Et talis, quantùm ad primam locutionem, fuit illa, quâ locutus est Deus ad Cain; cùm ipsum monuit admissæ cædis in fratrẽ Abel: (a) *Quid fecisti?* inquit. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Mox addidit illa horribilia verba: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos. Vagus, & profugus eris super terram.* Quæ locutio, seu verba non erant eò dicta, quòd Deus ipsi non remitteret culpam, si pœnituisset; & consequenter ab æterna liberaret pœna. Sed tantùm denuntiabatur ipsi pro tàm enormi scelere pœna temporaria. Cùm ille divinæ misericordiæ derogans, in ea prorupit verba: (b) *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear:* tanquam Deus Optimus non sit tantæ misericordiæ, qui etiam maximo flagitio veniam, præsertim si rogetur, possit impertiri. Blasphemus ergò magnam irrogavit Deo vocanti, monentiqvé injuriam; majorem iniquitatem suam, quàm DEI misericordiam, quæ immensa est, arbitratus.

7. Ideòqve S. Bernardus hanc fratricidæ expendens atrocitatem, sic ipsum compellat: (c) *Mentiris, Cain. Major est enim Dei pietas, quàm quævis iniquitas.* Et Glossa Ordinaria: (d) *Culpam,* inquit, *exaggerat; sed superbè confitetur. Nec veniam flagitat; sed peccata peccatis adij-*

(a) *Genes.* 4. 10.

(b) *v.* 13. (c) *S. Bernard. Serm.* 11. *super Cant.* (d) *Glossa Ordin.*

adjiciens desperat: nec sperat, se veniam posse adipisci, quæ est blásphemia in Spiritum Sanctum, quæ non remittitur nec in hoc sæculo, nec in futuro. Quia putat Deum aut nolle dimittere, aut non posse; tanquam omnia aut non possit, aut invideat hominis saluti. Jam si Cain horribili voce monitus (quantùm ad temporaneam pœnam) & vocatus ad pœnitentiam, humiliter veniam imploràsset, & pœnã suscepisset tanquã justè commeritam, non est dubium, quin ipsi dimissa fuisset gravissima culpa. Nam Deus ipsum non ideò per verba monuit horribilia, spem ut abijceret veniæ: sed ut monitus ageret pœnitentiam. Hic enim divinæ bonitatis, & charitatis erga plasma suum stylus est; ut loquendo excitet ad conversionem; invitet ad veniam, offerat vitam. Qvia *non vult mortem impij; sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.*

8. *Secundò* loquitur Deus, & vocat ad conversionem per homines; (a) sicut in Veteri Testamento per Prophetas; uti locutus est (alios ut omittam) per Samuelem Sauli; qui tamen vocem loquentis audire, convertiqvé noluit: per Nathan Regi David, (b) adulterii, homicidiiq; reo: rursùm per alium virum Dei post numeratum populum; sed conversus egit pœnitentiam: per Eliam impio Achab, & quidem verbis horribilibus ei comminando: qui auditâ comminatione, (c) *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitqué, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite:* per Jonam Ninivitis; & conversi pariter in cinere, cilicio, & jejunio pœnitentiam egerunt. In lege quoq; gratiæ sunt innumeri, quos Deus ex profundissimo flagitiorum cæno vocavit ad pœnitentiam (d) per Concionatores fervidos; & conversi misericordiam, gratiam, & amicitiam Dei consecuti sunt. Inter quos eminuit illud Veneris, & carnis illecebrarum theatrum Pelagia, nec sacris adhuc Christianæ fidei mysteriis imbuta, vel initiata; nec ullâ conscientiæ religione ducta,

(a) 2. *Modus loquendi per Proph. &c.*

(b) 2. *Reg.* 12. (c) 3. *Reg.* 21. 27.
(d) *per homines pios.*

cta, nec unquam aliàs sacros audire sermones, nec templū adire solita; nihilominùs divino quodam instinctu templum Antiochiæ, quò tunc omñes ejus Provinciæ Præsules ad Concilium convenerant, ingressa proposito fortassè, magis ut spectandam se præberet, quàm ut Dei verbum audiret. Cùm divinus ille vir S. Nonus Episcopus, annuente Antiocheno Patriarchâ; planè verba pro concione faciens ad populum, invehebatur in vitia; tremendum illud, supremumq; judicium, æternas impiorum pœnas, sempiterna piorum præmia, ob auditorum oculos graphicè proponebat eo cum fervore, potentiqvé spiritu singula describendo, ut omnis illa circumfusa concio pendens ab ore Sancti Præsulis in uberrimas omninò lachrymas solveretur. Hujus igitur fervidâ concione tantum profecit infamis illa mulier, ut & ipsa copiosissimis offusa lacrymis, alia longè discesserit è templo, quàm venerat. Conversa videlicet, sacroq; fonte baptismatis abluta, profecta Hierosolymam in Oliveti monte sibi tuguriolum angustissimum exstruxit; viriqve habitum induta sub Pelagii nomine durissimam in eadem casula pœnitentiam egit; & ita multos annos ut pœnitens exegit, tandem ad beatam feliciter commigravit æternitatem.

9. Jam nè res in longum trahatur, insigne turpis amoris, & mundi vanitatum illud quondam mancipium, sed postea illustrissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen, & veræ conversionis exemplum Augustinus ad conversionem quâ locutione vocatus est? Præter duas jam commemoratas in aliis, fuerunt in ipso uno duæ locutiones posteriores. Videlicet interior DEI locutio, seu instinctus, (a) quo cor ipsius sensim emolliebatur tàm ad Manichæorum hæresim, in quam inciderat, quàm ad carnis illecebras, & voluptates, quibus ad nimium erat assvetus, ejurandas, ipsum secretè mirabiliter illuminando; & hæreseos, sicut & amorum,

(a) *per Sacræ Scripturæ lectionem, & interiorem instinctum.*

morum, quibus immersus erat, fastidium ei movendo. Quod ipse Sanctus confitetur, postquam collocutus cuidam Fasto magni tunc apud Manichæos nominis Magistro, sed opinione magis, quàm sibi loquacitate suâ comparaverat, docto, non autem ipsâ re probato, jam aliter de Manichæorum cœpit sentire secta; dum ille sic ad Deum: (a) *Itanè est*, inquit, *ut recolo, Domine Deus meus, arbiter conscientiæ meæ; Coram te cor meum, & recordatio mea? Qui me tunc agebas abdito secreto providentiæ tuæ, & inhonestos errores meos convertebas jam ante faciem meam, ut viderem, & odissem.* Et alibi: (b) *Instabas*, inquit, *tu in oculis meis, Domine, severâ misericordiâ, flagella ingeminans timoris, & pudoris.*

10. Præterea loquebatur Deus eidem & per lectionem. Cùm enim jam crebriùs incumberet legendis Epistolis S. Pauli, & tamen adhuc diù secum disputando fluctuaret, deniqve tempore quodam in vicinum hortum cum Alipio amico suo secedens, ab eo paulùm semotus sub quadam fici arbore prostratus, lachrymis permisit habenas, & sibimetipsi quodammodò succensens, sic ad Deum: (c) *Et tu Domine usquequò? Vsquequò irasceris in finem? Quamdiu, quamdiu, cras, & cras? Quare non modò? Quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Dicebat hæc Augustinus amarissimâ contritione sui cordis; & ecce vocem audit *de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis quasi pueri, aut puellæ: Tolle, lege; tolle, lege. Itaq; concitus rediji ad eum locum, ubi sedebat Alipius, ibi enim posuerat codicem Apostoli, cùm indè surrexerat. Ibi arripui*, (de se loquitur Augustinus) *aperui, & legi in silentio Capitulum, quò primùm conjecti sunt oculi mei:* (d) *Non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitijs; non in contentione, & æmulatione: sed induite Dominum nostrum JESVM Christum, & carnis providentiam nè feceritis in concupiscentijs.* Sic legit; nec progressus ultrà, librum clausit; & tanquam ex dictis

(a) S. Aug. lib. 5. Confess. (b) lib. 7. Confess.

(c) lib. 8. Confess. (d) Rom. 13. 13.

uni sibi totus in alium mutatus est. *Statim quippe* (prosequitur confitendo) *cum fine hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusâ cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt*. Hucusqve de prima Vocandi peccatoris ad conversionem via, videlicet dicendo, seu loquendo Quadrifariam fieri solita.

11. Secunda Vocationis ad conversionem, & pœnitentiam via, sunt somnia. (a) Talis exhibita fuit illi superbiæ monstro Nabuchodonosori, quando vidit in somnis arborem magnam, & fortem: *Et proceritas ejus contingens Cœlum, aspectus illius usq; ad terminos universæ terræ*. (b) Vidit & vigilem, seu Angelum Sanctum de Cœlo descendentem, & clamantem fortiter: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus; excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus*. &c. *Alligetur vinculo ferreo, & æreo; in herbis, quæ foris sunt, & rore Cœli tingatur; & cum feris pars ejus in herbis terræ*. Hæc vidit, & audivit in somnio Nabuchodonosor. Modus hic fuit, & via, quâ Deus admonuit Regem, ut à superbia sua conversus agnosceret DEUM, & ageret pœnitentiam. Et ideò sapienter ipsi consuluit Daniel Propheta: peccata sua eleemosynis ut redimeret, & iniquitates suas misericordiis pauperum. Sed qvia Rex somnium illud ut inane somnium æstimavit; ideò nulla tunc Nabuchodonosoris est secuta conversio, aut pœnitentia.

12. Manifestiùs autem viam hanc vocandi per somnium declarat Sacra Scriptura apud Job: ubi amicus ejus Eliu sapienter hac de re philosophatus, sic ait: (c) *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo; tunc aperit* Deus *aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ*. Quibus verbis ostenditur disertè; usitatum esse Deo modum impios alloquendi, monendiqvé per somnia, & eos à sceleribus avertendi, deterrendiqvé per visa, & terrores. Sic olim Abimelechum, nè Sarâ conjuge Abrahæ abuteretur, coërcuit: Sic Laban, nè Jacobo genero suo clàm in patriam

(a) 2. via vocandi ad pœnit. (b) Dan. 4. 8

(c) Job. 33. 15.

suam commigranti quidpiam faceret mali, prohibuit: Sic Ægypti Pharaonem; sic alios in somnis, & per somnia monuit DEUS. Undè non sunt contemnenda somnia, præsertim ea, quæ statum hominis attingunt malum, dirigunt autem ad bonum. Sunt enim hæc plerumq; visa, & admonitiones Dei; quibus utitur, & exhibet divina misericordia per ipsas gratiam moventem, & excitantem ad pœnitentiam.

13. Undè super recitatum Sacri Codicis ex Job versum commentans Corderius ait: Deum in nobis efficere duplicem aurium apertionem. (a) *Vnam quidem ita, ut cogamur sentire, ipsum esse, qui loquitur; sed tamen interim obstinati sumus; doctrinam, & correctiones ipsius repellimus. Alteram verò; dum ita Deus emollit, & flectit animos nostros, ut ultrò, quæ proponit, accipiamus, & nos ejus admonitioni subjiciamus.* Itaqvé quando admonitio contingit, etiamsi per somnium, ad correctionem, & ad emendationem vitæ directa, studeat tunc admonitus utilitatem indè capere, non quidem superstitiosè somniis inhærendo, sed cum Dei timore confugiendo ad orationem persuadeat sibi, & agnoscat, Deo reluctandū non esse. Et ita facienti, quod est in se, Deus non denegabit gratiam.

14. Tertius Dei modus alloquendi peccatorem, ut convertatur, est (b) per ærumnas, infortunatos casus, aut ægritudines. Sic DEUS impium Regem à patre suo degenerem Manassen, religiosissimi Regis Ezechiæ filium, per omnia religioni patris adversantem egregiè castigavit: quando captum à Principibus exercitûs Assyriorum, vinctū catenis, & in compedes conjectum in Babylonem deduxerunt. Non potuit fera bellua, tot scelerum, & summæ impietatis erga divinum cultum à patre suo laudabiliter, & mirificè quondam instauratum reus, aliter frugifieri; nisi gravem Dei manum inter captivitatis ærumnas experiretur. Igitur ubi regno exutus in hostium potestate ca-

(a) *Corder. hic.*

(b) *3. modus vocandi ad pœnit.*

ptivus

ptivus catenas, compedes, & carcerem expertus eſt; tunc primùm ad Dei legem, vocaliſſimam ſcelerum admonitricem, qui ſurdus erat, aures aperuit, ad flagella, quibus ad ſenſum benè pulſatus eſt, agnovit hanc eſſe vocem DEI vocantis ad pœnitentiam. (a) *Qui poſtquam coanguſtatus eſt*, (ait ſacer Hiſtoricus) *oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum. Deprecatusq; eſt eum, & obſecravit intentè. Et cognovit Manaſſes; quòd Dominus ipſe eſt Deus.* Ecce inſolens, & ſine diſciplina impius adoleſcentulus, (*duodecim enim annorum erat, cùm regnare cœpiſſet*) infelix quidem, quòd à patre ſuo degener ad Dei legem obſtipus obſurduerit; ſed poſteà vir feliciſſimus, quòd cordis aures ad ærumnarum, per quas ad converſionem Deus ipſum vocabat, graviſſimos ictus aperuerit.

15. Eâdem methodo vocavit Deus ad pœnitentiam Nabuchodonoſorem memoratum ſuperiùs, monitum priùs per ſomnia, per prodigia, per Danielem Prophetam ſapientiſſimum. Sed ubi nihil profectum eſt; ad extremam calamitatem, & ærumnam Deus adhibuit manum, ut Rex in mentis inſaniam verſus, è regia, è regno, & ex omnium hominum conſortio eijceretur; in feram belluam converſus per montium deſerta palabundus (b) *Fœnum ut bos comedit; & rore Cœli corpus ejus infectum eſt; donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium.* Hui monſtrum deforme! non jam Rex, non homo, non hominis figura; ſed delirus, ſed montivagus erro, ſed bellua. Quare autem? Non, ut in ærumna tanta periret; ſed ærumnoſus ut emendaret; emendatus, in poſterùm ut non peccaret.

16. Quod expendens S. Joannes Chryſoſtomus, & divinæ providentiæ ſapientiam in Rege convertendo priùs per prodigia, per ſomnia, per Prophetam admonito, nec tamen ſtatim converſo; ſed deniq; benè caſtigato, conſiderans, alicubi ſic philoſophatur.

(a) 2. Paral. 33. 12.

(b) Dan. 4. 30.

tur. Deum videlicet post adhibitas multas admonitiones, quibus ipsum frugifaceret, deniq; durius admovisse flagellum, ut hàc ratione non tàm vindicaret ejus anteacta scelera, quàm ut conversum à delictis in posterùm lucraretur, ad iniquitates ejusmodi non ampliùs rediturum. Do Sancti Doctoris genuina verba: (a) *Sanè*, inquit, *ubi nihilo melior est factus, tùm inducit* Deus *in posterùm flagellum: nec illud velut ultor præteriti delicti; sed ut futura incommoda præscindat; ut reliquam malitiam arceat. Necdum tamen omninò extinxit; sed paucis armis erudito pristinum reddidit honorem.* Deniq; divinam in hoc bonitatem suspiciens ita concludit: *Pœna, quam Deus irrogat, nihil damni dat, sed lucrifacit; quod est inter bona omnia maximum.* Sic ille sapientissimè. Nimirùm Deus ubi videt hominem frugi futurum, nec reluctaturum voci suæ, tamdiù pulsat ejus cor, donec tandem, ubi non prosunt alia, per ærumnas, & per inusitatum aliquod flagellum erudiat, nunquam ut durus aliquis exactor, & peccatorum implacabilis vindex; sed ut bonus Pater ad correctionem flagella non solùm intentat, sed etiam imponit, verberat, & affligit: *Vt futura incommoda*, & damna, *præscindat*: id est; damnationis æternæ sententiam ut subtrahat; *Quod est inter bona omnia maximum.*

17. Cæterùm quidquid dictum est de flagellis, & ærumnis, quæ nihil sunt aliud, quàm divina quædam oracula, & voces ad pœnitentiam invitantia; idem & de ægritudinibus, aliisq; casibus infortunatis intelligendum est. Loquitur per hæc omnia Deus, & ad frugem peramanter invitat. Sunt autem & alii modi, ac viæ, præter hasce tres hìc recensitas, plures, vocandi, & invitandi ad pœnitentiam: quas omnes hìc enumerare & longum esset, & minimè necessarium; cùm ferè omnes ad jam descriptas possint referri. Jam quod ad propositum nostrum est, spectatur hìc, & ex dictis colligi potest præcipuè: nullum tàm scele-

(a) *S. Joan. Chrys. Parænesi ad Theodorum lapsum.*

ſceleſtum eſſe peccatorem, quem Deus aliquo ex hisce modis non erudiat, moneat, ad pœnitentiam vocet, etiam in extremam planè malitiam devolutum; modò peccator voluntatem ſuam ad pœnitentiam ſincerè, ſeriòq; convertat. Id quod idem os aureum urgere cum emphaſi pergit, dicitqvé: (a) *Tanta eſt Dei humanitas, & erga nos amor! Nunquam averſatur pœnitentiam ſincerè factam. Si quis ad malitiæ fines olim penetrârit; illinc cum ad virtutis viam reducere conatur, & ſuſcipit redeuntem, & ſuaviter amplectitur; nihilq; non facit, quo priſtinam dignitatem reformet.* Ex qua ſententia patet liquidò; Religioſum, qui de ſuæ ſtatu vocationis excidit, etiamſi prorsùs in ultimum malitiæ devolutum genus, vocari nihilominùs ad pœnitentiam, & ſuaviter invitari, moneriqvé; modò cordis aures ad Dei vocem aperiat: invitari ipſum ad converſionem, & rursùs ad priſtinum religioſi ſpiritûs, ac ferVoris redire poſſe tenorem. Nulli deeſt Clementiſſimi Dei miſericordia. Dicit, minatur, punit; ſemper autem in bonum: *Pœna, quam irrogat, nihil damni dat; ſed lucrifacit;* modò correptus, vocatusqvé redire ad cor non refugiat, ac ſeriò velit, ſtudeatqvé reſipiſcere.

(a) *Idem ubi ſuprà.*

§. II.

Vocatio ad pœnitentiam non eſt procraſtinanda.

1. Etſi certum ſit; ab homine, per lapſum in mortale peccatum, auferri gratiam, ipſamq; ejus animam ab amicitia Dei alienam, eſſe quodammodò mortuam; & proptereà in lapſum ex lapſu prócliviorem, tanquam ex putore magis, ac magis in delictorum ſordibus inſtar cadaveris exanimati putreſcentẽ, ideò, qvia non ampliùs illâ vivit vitâ, quæ Deus ipſe eſt, inhabitans animam per gratiam ſuam, ſed per mortale peccatum amiſſam: & ſicut humanum corpus nullatenus movetur, nec ullum exercere poteſt vitalem actum, cùm eſt animâ deſtitutum; ita viciſſim anima

anima corpori quidem unita, sed lethali culpâ fædata non potest in virtutis exercitium, præcipuè verò ad lapsûs alterius evitationem, & ad vincendas tentationes, viribus suis sufficere; quando caret vitâ, id est, gratiâ Dei; quæ sola confert vires, excitat, juvat, & elevat ad superandas tentationes, & voluntatem inclinat, fortemq; reddit ad non consentiendum in peccatum: attamen homini tendenti ad conversionem, *per quam aliquis præparat se ad habendam gratiam*, (a) ut Doctor Angelicus ait, non deest misericordissimi Dei operatio ad se animam convertentis; & ideò nunquam non suggerit media, materiam, & viam, ac modum; quo possit, ac debeat lapsus ad cor redire.

2. Enimverò sicut in ætatis humanæ triplici differentia contingere potest Religiosi lapsus in peccatum mortale; videlicet vel in ætate juvenili, vel in media, vel in senectute; in qua, sicut & in ætate media, Deus occulto judicio suo, vel ad humiliandam superbiam plerumq; aut nimiâ fiduciâ, aut aliquâ curiositate prurientem; vel simpliciter ad ostendendum ei, æquè ipsum hominem esse, sicut & alii sunt, in peccatum labi permittit pro libertate arbitrii sui; in quo non vult ipsi facere violentiam: ita quoqvé voluntas, interveniente semper operatione Dei, habet se ad conversionem. In juventute post lapsum plerumqve temeraria est, & inconstans. Jam vult converti; jam non vult: jam detestatur admissum; jam iterum obortâ minimâ occasione in eundem impingit scopulum: nunc cordis aperit aures; nunc iterum claudit: jam fugit periculum; jam ferociùs contemnit: hodiè proponit in orbitam redire bonam; cras in admisso peccato sibi egregiè blanditur. Et hoc ex duplici causa: cùm ob infirmatam ex anteacto lapsu bonum vel honestum amplectendi, malum autem fugiendi, rationis vim; tùm ob ætatem, aut potiùs in ea ætate voluntatem, nimis flexibilem. In ætate verò me-

(a) S. Tho. 1. p. q. 62. a. 2. ad 3.

dia

dia jam constantior animus alterutri parti tenaciùs adhæret, sic, ut post lapsum vel ad conversionem sit fortior, vel ad perseverantiam in peccato pertinacior. Perseverantiam intelligo non illam, quæ nullatenùs flecti vult ad bonum, & ad declinandum à malo; sibiq; semper non tantùm in perpetrato, sed & in perpetrando delicto complacet; & est idem, quod obduratum habere cor in malo: sed illam intelligo perseverantiam; quæ licèt fortiter proponat, in posterùm non peccare; tamen in pugna victoriam tenet voluntatis ad consensum, & ad prosequendum malum inclinatio. Quæ non solùm ex lapsu quendam in voluntatem inflectendam ad malum accipit dominatum; sed etiam partim ex aliqua (sic ut dicam) præfidentia, partim ex radicata, quâ mens semel inescata est, voluptate inducit facilè consuetudinem difficilè deserendam; nisi ad seriam, quam inferre sibi debet in resistendo, violentiam adsit auxilium Dei singulare, quod in pugna (contra carnem præcipuè; nec enim facilè, quidnam aliud religiosam mentem infestet, magis, invenio) impensissimè debet implorari. In senectute, si post multos exantlatos in vita spirituali, pugnæ semper obnoxia, labores contingat labi; qvia nihilominùs ad bonum jam inclinatior est voluntas, & firmior, cùm propter experientiam, & diuturnam exercitationem disciplinæ; tùm propter brevem, & in singula momenta jam imminentem vitæ finiendæ terminum; tùm & propter pudorem, & ruborem, quem exercitata diù inculcat disciplinæ honestas; ideò propensior etiam est ad conversionem.

3. Jam sivè facilior, sivè difficilior; durior, aut mollior ad conversionem, & pœnitentiam sit voluntas; Deus tamen quamvis in mortale peccatum lapso subtrahat gratiam, & neget auxilium ad superandas tentationes, offensus eâ temerariâ culpâ, nihilominùs non cessat pulsare, & operari ad præparationem gratiæ

gratiæ recuperandæ. Quæ operatio Dei volentis animam convertere nihil eſt aliud, quàm vocatio ad pœnitentiam. Eaqvé operatio potiſſimùm mirabiliter mentem excitat quibusdam motibus interioribus, excitando cor cùm ad deteſtationem delicti, licèt per conſuetudinem aliquã frequentati, radicatiqvé; tùm ad amorem ipſius Dei ſuper omnia diligendi, proponendo hinc quidem pulchritudinem, & beatitudinem amicitiæ cũ amabiliſſimo Creatore conciliandæ; conſcientiæ à turpitudine peccati liberatæ ſerenitatem, & felicitatem; eorũ, cum quibus in Religione laudabiliter vitam tranſigentibus habitat, jucundum conſortiũ, à quo moraliter, quamdiù non convertitur, ſeparatus eſt; Beatarum mentium in Cœlis, & eorum præſertim, qui quondam in ejusdem Inſtituti profeſſione fortiſſimos ſuſtinuerunt agones, tàm felicitatem, quâ jam in illa beata, & interminabili de ſummi boni, qui Deus eſt, conſpectu, regione fruuntur; quàm inenarrabile gaudium, quod illis accidit de converſione fratris, qui ſeductus evanidâ voluptate, diaboli ſecutus caſtra, denuò tanquam ovis errabunda redit in priſtinum per bonam converſationem cum contubernalib9 ſuis conſortium, jam Chriſto ſupremo duci ſuo ſtrenuè militaturus: indè verò peccati turpitudinem, reiq; fæditatem objiciendo menti; cujus deformitas omni monſtro informior, & horrendior, omnibus ſpiritualibus donis, & gratiis animam ſpoliat, ac denudat; eam non ſolùm ipſius Optimi Dei, ſed etiam univerſæ curiæ Cœleſtis inimicam conſtituit; abominandam, deteſtandam, & exoſam in conſpectu DEI reddit, ut mirum ſit; naturam univerſam, & ipſa elementa contra tàm exſecrandam animam non armari, nec vel Cœlum ignibus in rebellem hanc belluam fulminare; igne, & ſulphure ad interitum pluere; vel terram hiante rictu non abſorbere.

4. Quid, ſi in ipſo peccandi actu mors occupet ſubitanea?

nea? Si Deus iratus jamjam omni remotâ misericordiâ vitam eripi, animam autem ad inferos subitò rapi, proturbariq; permittat? Et meretur hoc peccandi pertinacia; nec tamen Deus justitiam suam præcipitat, & forsan ideò; qvia ruentem voluntariè ad interitum, ipse mittere non vult in gehennam. Hi, & similes alii cogitatus, qui solent incidere, non sunt ex nobis, quasi ex nobis; sed sunt ex Deo; sed sunt instinctus, & motiones Dei; sunt operatio Dei volentis animam convertere; pulsantis, & conscientiam admonentis; sunt synderesеos animam perurgentis à Deo motæ stimuli, malum continuè detestantis, & rectũ respicientis; sive (sicut [a] DivusThomas ait) instigantis ad bonum, & murmurantis de malo; sed tamen à Deo, qui primus horum cogitatuum motor est, excitatæ.

5. Igitur cogitatus isti, dum oboriuntur, boni, sunt quædam voces ipsius Dei vocantis ad pœnitentiam. Quam Vocationem ultrò sese per interiores instinctus etiam cum importunitate insinuantem, ubi semel, iterumqvé, sed & crebriùs exstimulat mentem, non oportet in aliud, atq; aliud differre tempus: neq; juventuti, neq; robustæ valetudini, neq; crastino fidendum est. Nam & dives ille, qui dixit animæ suæ: [b] *Anima; habes multa bona posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare*; talia blanditus sibi quid audiit? Audivit illud, quod noluit: *Stulte; hâc nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parâsti, cujus erunt?* In quæ verba commentans Euthymius ait: [c] *Hæc ei dixit, Deus, per conscientiam: tunc enim conscientia mortem sentiens ita dißerit.* Quâ sententiâ satis indicatur; Conscientiam, sive Synderesin, quæ sentit, hominem morti singulis momentis obnoxium, disserere, secumqvé disputare; quanti sit periculi in statu peccati mortalis perseverare, & in eo cum quadam animi voluptate pertinaciter manere; nec ad resipiscendum facilè consentire. Ideòq; nequaquam sibi blan-

(a) *S. Tho. 1. p. q. 29. a. 12. in C.*

(b) *Luc. 12. 19.* (c) *Euthym. hic.*

diendum; neqvé ſtimuli iſti permittendi ſunt tempori futuro; tùm quòd futurum in hominis poteſtate non ſit; tùm quòd inſtinctus hujusmodi, & impulſus ſint indicia, & præparatio ad gratiam accipiendam; ideòq; non ſecùs, ac ipſa gratia, cuſtodienda.

6. Nam inprimis dies, quos aut vixit, aut victurus eſt homo, totumq; vitæ ſuæ temp9, quantumcunq; ſit, quantum tamen eſt? Momentũ unum: id eſt; hoc ſolùm, quod nunc eſt: & hoc tantùm *Nunc* homini in lucro eſt, vel eſſe poteſt. Undè ſapienter Ariſtoteles: (a) *Nihil*, inquit, *habemus de tempore, niſi Nunc: id eſt; præſens tempus*. Ac mox, quid ſit iſtud *Nunc*, definit, aitqvé: *Nunc, eſt ſubſtantia temporis*. Hanc ergò ſubſtantiam temporis, id eſt, *Nunc*, magni faciat, quisquis Dei per conſcientiam pulſantis, excitantis, & vocantis ad converſionem, ac pœnitentiam ſentit motionem, ac vocem audit. Quod ipſum etiam divinus inculcat Pſaltes: (b) *Hodiè, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Non dicit tibi *Cras*; ſed *Hodiè*; ſed *Nunc*. Quo ſatis indicatur; divinæ voci celeriter, & ſine procraſtinatione auſcultandum eſſe. Si præteritum temp9 accidens elapſum eſt tibi ſine fructu; futurum autem incertum eſt: præſens, & *Nunc*, quod non eſt accidens, ſed eſt ſubſtantia temporis, & quo pulſat, movet, & excitat Deus, in lucro ſit. *Hodiè, Hodiè*, dum audis vocem ejus; *Nolite obdurare corda veſtra*. Deindè quod attinet ad cuſtodiam operationis divinæ; ad hanc æquè ſunt aures aperiendæ, ſicut & ad ſuſcipiendam ipſam gratiam. Hæc tantò confertur promptiùs, quantò majore diligentiâ locus eſt præparationi. Nam & Principem quempiam ibi libentiùs hoſpitaturum certum eſt, & majori propenſione dignari locum illum, ubi vel per ephebos, aut quoscunq; curiæ ſuæ miniſtros ſtationem ſibi parari jubet; vel ubi humanitate, & deſiderio excipiendi prævenitur. Sic & Deus gratiam ſuam promptiùs, &

(a) *Ariſtot. lib. 4. Phyſic.* (b) *Pſ. 94. 8.*

ùs, & liberaliùs offert, ac impertitur; ubi celeriùs, & alacriore desiderio pulsus ipsius excipiuntur.

7. Exemplum hujus divinæ propensionis ad animam pulsibus ejus minimè reluctantem, ipsa præbuit incarnata Dei Sapientia. Hierosolymam proficiscenti cum Discipulis, Urbs Hiericho contigit hospitii causâ ingredienda. Ingressus ergò Dominus eam civitatem *perambulabat*, & fortè circumspiciebat hospitium, suscipiendus haud dubiè, quocunq; divertisset; ipse nihilominùs *perambulabat*, & quasi de industria moram perambulandi sibi imponebat, donec incidit in Zachæum ex arbore Sycomoro, Dominum ut videret, prospectantem. Vix Optimus JESUS vidit hominem, statim, & quidem festinanter ut descenderet, jussit: (a) *Zachæe; festinans descende: quia hodiè in domo tua oportet me manere.* In qua Christi Domini prompta suimetipsius invitatione tria veniunt strictim advertenda. *Primum*, quòd jubeatur festinans descendere. *Alterum*, quod dicit: *Hodiè in domo tua oportet me manere. Tertium*, quod ait: *Oportet me manere.*

8. In primo signatur id, quod nostrum urget propositum. Nimirùm noluit Dominus interiorem operationem suam, quâ Zachæus ad suscipiendam gratiam præparabatur, in tempus aliud nè minimâ quidem etiam in arbore differri, protrahiq; morâ: sed tunc festinanter exsecutioni mandari voluit, dum ardentissimo flagrabat desiderio videndi Christum; nec est dubium, quin etiam ad ipsum convertendi; siquidem tunc *quærebat* videre JESUM. In altero, præter festinandam Vocationis exsecutionem, per particulam *Hodie*, etiam additur, *in domo tua*. Cur non in alia quacunq; domo, sed potiùs *in domo tua?* Cur ad ipsum Zachæum, & non ad alium quempiam divertit hospes? S. Ambrosium quæstionem hanc acutè, planè autem & ad rem nostram, expedientem audiamus. Dicit igitur: (b) *Sciebat*, Dominus, *uberem hospitii*

(a) Luc. 19. 5.

(b) S. Ambr. lib. 8. Com. in Luc. c. 19.

spitŭ sui esse mercedem. Sed tamen etsi nondum vocem invitantis audierat, jam viderat affectū. Id est: Parabat Dominus Zachæo convertendo dare gratiam, quæ est uberrima merces ipsum desideranti. Affectus, & desiderium, quo cupiebat videre JESUM, erat motio, & operatio Dei vocantis ad conversionem, præparans ipsum ad gratiam justificantem, & gratum facientem; ideò domum ipsius ultroneè dignatus est ingredi, in eaqvé manere, & statim gratiam secum intulit ad salutem: *Hodiè salus huic domui facta est.* In tertio, quod ait: *Oportet me manere.* Per quod significatur decretum, liberalitas, & charitas immensa, quâ voluit Dominus Zachæum interiori motui, vocationiq; respondentē salvare. Undè factum, ut Dominus hortaretur ipsum ad celerrimè descendendum, & donum gratiæ suscipiendum; & Zachæus ēam divinæ miserationis operationem minimè sit moratus. Quam ejus alacritatem, festinationemq; noluit silentio præterire sacer Historicus, ubi disertè testatur: *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.*

9. Hinc jam ex dictis patet manifestè; quàm & Deus operari non cesset, propensusqvé sit ad hominis conversionem; & homo, præsertim autem Religiosus lapsus, in cujus hìc causa potissimùm laboratur, quàm esse debeat festinus ad respondendum DEO per interiores instinctus, & impulsus ad gratiam præparanti, vocantiq; ad conversionem, & pœnitentiam quàm non sit reluctandum; neqve, dum excitat, ac movet, ad resipiscendum, in futurum ea dignatio differenda. Qvia quàm promptum se quis exhibet inspirationi, vocationiqvé divinæ; tàm promptus, imò longè paratior, propensior, & liberalior Deus est in porrigenda ad resurgendum adjutrice dexterâ suâ. (a) *Vocabis me,* (ad Deum Job ait) *& ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.* Quib9 verbis etsi vocationem intelligat, sibiq; vaticinetur illam, quâ vocabitur in no-

(a) *Job. 14. 15.*

vissimo

vissimo die, cùm omnes è monumentis in jussu, in voce Archangeli, (recensente (a) Apostolo, scribente Thessalonicensibus) *& in tuba Dei* vocabuntur ad judicium: tamen non minùs etiam intelligi debet prompta, festinaqvé responsio peccatoris ad pœnitentiam à Deo vocati. Cui festinè respondenti statim etiam adest divinum auxilium porrigens ipsi dexteram ad resurgendum.

10. Si enim Job è pulvere suo responsurum se promittit; Lazarus quatriduanus è monumento; viduæ filius è loculo, mortui statim responderunt, obediveruntq; divinæ Christi Domini voci; & Dominus illis surgentibus dexteram porrexit suam; quantò alacriùs respondere, & obedire debet è peccatorum sepulchro vocatus ad vitæ novitatem, & Christus insatiabilis animarum lucrio dexteram promptissimè porriget obedienti? Non igitur, sive per interiores instinctus, sive per alios monendi, loquendiqvé modos alibi jam memoratos vocet Deus, cunctandū est: sed festinanter, hodiè, nunc, dum vocat, dum pulsat, dum vox ejus auditur, respondendum. Pulsat, & vocat Deus; tu responde: tu surge; dexteram ipse porriget: *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Undè concludit religiosus in Versum hunc Jobi Scholiastes, & ait: (b) *Felices ij, qui, dum mortalem vitam agunt, hujus vocis divinæ*, vocantis ad pœnitentiam, *nunquam obliviscuntur; sed ei prompto animo respondent.*

(a) 1. Thess. 4. 15.

§. III.

Cùm Deus ad pœnitentiam vocat; signum est, vocatum etiam adjuvari.

1. Si quod aliud ad alacriter, festinanterq; Deo respondendum Religiosus lapsus habere potest incitamentum, sicut certè vel ex sola Vocatione ad statum perfectionis habet incitamenta plurima, hoc esse debet præcipuum; quòd Deus ipsum, sicut à statu malo revocat tàm vocatione ex-

(b) Corder. Com. in Job. c. 14. 15.

ternâ, puta per correptiones, adhortationes spirituales, quarum in Religione frequentissim9 est usus; item per exempla, flagella, perq; alios, qui sæpiùs ex inopinato sese offerunt, modos, & vias; quàm potissimùm internâ vocatione per operationem, & gratiam prævenientem, & excitantẽ, externæ vocationi commensam ex liberalissima Dei ordinatione: sic etiam statim bonam cogitationem juvat, ac promovet auxilio suo non solùm ad incipiendum, sed etiam ad prosequendum, & perficiendum opus conversionis, adeò quidem secretè, suaviter, ac mirabiliter, ut nec ipse, quem ad pœnitentiam stimulat conscientia, quidnam secum agatur, & quomodò sensim anteacta sua displicere sibi incipiant, qualiter peccandì pristinas occasiones, & alias, aut ipse jam subterfugiat, aut Deus (a) admirabili providentiâ, dispositioneq; suâ eas summoveat, satis animadvertere possit. Et hoc est, quod incarnata Dei Sapientia exposuit Nicodemo, cùm dixit: (a) *Spiritus, ubi vult, spirat*: id est; Spiritus Sanctus, ubi vult, spirat, & quibus vult, aspirat impulsus suos. *Et vocem ejus audis*: id est; per inspirationem, & motionem interiorem, sicut & per exteriorem prædicationem, & exhortationem, aut etiam lectionem. *Sed nescis, undè veniat, aut quò vadat*. Nescis, inquam, undè, & quomodo animam hominis immutet, ad pœnitentiam convertat, & ad vitæ novitatem impellat. Unum tantùm hoc potest dicere pulsatus, & excitatus: velle se resipiscere, quamvis adhuc in membris suis repugnantem sentiat legem; cui tamen divinæ legis, & votorum suorum integram observantiam opponere strenuè disponit, seseq; præparat: quod totum est Dei ex infinita misericordia sua operantis.

2. In hoc sancto cogitatu, studio, & voluntate dum versatur Religiosus lapsus, indicium habet præsentissimum, quòd Deus ipse promptissim9 ad miserendum ulteriùs, & ad conferendam gratiam adsit ampliori auxilio suo, studi-

(a) *Joan*. 3. 8.

umq;

umq; resipiscere volentis adjuvet; animam ad renuntiandum pravis anteactis operib9 extimulet, & confirmet; modos, & vias suggerat, quibus illa bona voluntas effectui detur. Hujus autem bonæ dispositionis indicium manifestum est; quòd displiceat peccatum in ordine ad offensam Dei summè, seu super omnia diligendi commissam; placeat verò per admissorum odium, & detestationem, in viam rectam, divinæ legi conformem, & Deo placentem, referre pedem: voluntatem Dei omni, quo fieri potest, studio explere; & per humilem delictorum confessionem subjicere se illi supremo Domino, cujus imperium hucusqvé per summam ingratitudinem detrectabat.

3. Jam verò cogitatum, & voluntatem ejusmodi ex Dei vocantis ad pœnitentiam nutu, ordinatione, & auxilio respondentem juvare parati, proficisci ut ostendatur; sufficiat ad consolationem, & confirmationem lapsi, quod Apostolus ad Romanos scribens ait: (a) *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit.* Id est; ideò vocavit Deus, & vocat ad conversionem, & pœnitentiam, dando videlicet gratiam; qvia prædestinavit dare gratiam eandem; consequenter, ubi cooperatus fuerit homo ad prædestinationis effectum, & gloriam conferre: tanquam ea vocatio certum sit indiciũ (aliquâ videlicet certitudine morali, non tamen infallibili scientificâ) prædestinationis; & auxilium illud, per quod vocatur lapsus ad pœnitentiam, testimonium sit indubitatum animæ ad DEO respondendum prædestinatæ. Ideòq; S. Ambrosius expendens Apostoli recitata jam verba non incongruè explicat, ac dicit: (b) *Vocare, est cogitantem de fide* (quidni etiam de conversione, ac pœnitentia?) *adjuvare, aut compungere eum, quem sciat audire.* id est; de conversione, & de pœnitentia dum urget cogitatio; hæc ipsa præsens est auxilium Dei miserentis, & nolentis deserere plasma suum æternæ vitæ destinatum: dum lapsus agnoscit,

(a) Rom. 8. 30. (b) S. Ambr. hic.

ac

ac dispicit malum, ac miserum statum suum; hoc ipsum agnoscere, & dispicere, est Dei conversionem juvantis argumentum.

4. Id quod expertus in sui conversione disertè confitetur Augustinus, ubi sic ad Deum: (a) *Manus*, inquit, *tuæ, DEVS meus, in abdito providentiæ tuæ non deserebant animam meam. Et egisti mecum miris, & occultis modis. Tu illud egisti Deus meus. Nam & à Domino gressûs hominis dirigentur, & viam ejus volet. Aut quæ procuratio salutis, præter manum tuam.* Et alibi: (b) *Cogitabam hæc*, inquit, *& aderas mihi; suspirabam, & audiebas me; fluctuabam, & gubernabas me; ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me.* Quibus omnibus verbis innuitur; à DEO vocari, juvari, nec deseri hominem converti cogitantem. Et hoc Dei vocantis auxiliū, esse quoddam prædestinationis ad æternam vitam testimonium, & arrhabonem; uti Sanctus idem Doctor testatur alibi, cùm ait: (c) *Nemo nisi illius gratiâ erigitur; nemo nisi illius gratiâ stabilitur.* Et concludit deindè: *Dei ergò est voluntas, ut in bona voluntate maneat; qui &, priusquàm deseratur, neminem deserit, & multos desertores ad se convertit.* Vocando, inquam, & conscientiam vellicando suggerit lapsis, & ab ipso deficientibus, auxilia ad resurgendum: *Quia non vult mortem impij; sed ut convertatur, & vivat.*

5. Itaq; Religiosus lapsus ubi sentit motiones, & incitamenta ad pœnitentiam, sicut auxilii divini habet indicium, ita quoq; sperare debet, se de illorum esse numero, quos Deus ad vitam prædestinatos perire non permittit. Cujus indicium magnum est, si vocatus, & motus ad deserendū peccatum in voluntate hac bona perseveret. Nam aliud est de illo, qui durus, & divinæ vocationi refractarius, aurem cordis ad Domini vocem obturat. Hic vocatur quidem, sed tanquam unus ex reprobis semper, & ubiq; Deo vocanti reluctantibus. Undè rursùm ex eodem S. Augustino duplicem constat esse vocationem.

(a) *S. Aug. lib. 5. Confess.* (b) *lib. 6.* (c) *Idem To. 1. de articul. respons. ad 7m.*

onem. Unam eorum, qui Deo propitio, & auxilium suggerente volunt converti, & convertuntur, ad Deum, & ad pœnitentiam, prædestinati conformes fieri imaginis Filii sui. Alterum eorum, qui vocantur, & venire nolunt, & ideò nolunt; qvia non sunt ex prædestinatis: quales fuerunt, & adhuc sunt, Judæi; coram quorum oculis Christus crucifixus est, & tamen in ipsum credere noluerunt. Ad hujus assertionis evidentiam do ipsa Sancti Doctoris verba libro de Prædestinatione Sanctorũ Cap. 16. sic scribentis: (a) *Vocat enim DEUS prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filij sui non eâ vocatione, quâ vocati sunt, qui noluerunt venioe ad nuptias. Illâ quippe Vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus Crucifixus scandalum est, & gentes, quibus Christus Crucifixus stultitia est. Sed eâ vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens: Ipsis autem vocatis, ut illos ostenderet non vocatos, sciens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui. Quam vocationem significans ait: Non ex operibus, sed ex vocante dictũ est ei; quia major serviet minori.* Hucusq; S. Augustinus. Cujus sententia benè si ponderetur, satis addit animum Religioso lapso non tantùm ad heroicè resipiscendũ, sed etiam ad de prædestinatione sui, atqvè de auxiliis efficacib9, cum humilitate tamen, & metu filiali, benè sperandum.

6. Nam tribuat quidem miseriæ suæ, fragilitati, & inconstantiæ; quòd notabiliter à benè cœpto desciverit; à probi Religiosi spiritu, & fervore, in improbum turpiter degeneraverit; violando Vota religiosa sacrilegus esse non sibi duxerit Religioni vel obcæcatus passione, vel fraude diaboli deceptus, vel personæ cujuspiam lenocinio seductus, & suaviloquentiâ persuasus; vel quâcunq; tandem ratione fidem Domino Deo datam fregerit. Sed ut vocatus ad pœnitentiam, & volens resipiscere, de vita æterna non despon-

(a) *Idem.*

spondeat animum, habet hujus rei duo validissima fundamenta. *Primum* est, ipsa quondam ad Vocationem Religio. Cui dum libenter assensus est, seq; DEO per vota religiosa obtulit in holocaustum, jam tunc quoddam prædestinationis ad æternam gloriam accepit pignus; de quo cùm alibi, videlicet in Prima Parte sit dictum, aliud hìc non addo, quàm religiosi statûs electionem, & professionem esse medium peculiare prædestinationis à DEO porrectum ad vitam æternam consequendam.

7. Et hoc eruitur ex doctrina Theologorum Angeli Divi Thomæ; qui docet: (a) *In prædestinatione duo esse consideranda: scilicet ipsam prædestinationem divinam, & effectum ejus.* Quantùm ad primum, scilicet præordinationem Dei; hanc nullo modo juvari posse vel precibus Sanctorum, vel aliis bonis operibus. Siquidem dona Dei, in quibus est & Vocatio, sunt (ut ex S. Paulo Doctor idem Angelicus asserit) sine pœnitentia, id est, gratis, & sine prævisis ullis meritis. Aliter verò de prædestinationis effectu dicendū esse. Nam iste tanquam causa secunda, quam non subtrahit divina providentia, sed potiùs ejus effectus ita prævidit; ut etiam ordo causæ secundæ subjaceat eidem providentiæ; & ideò prædestinationis effectum juvari posse tàm precibus Sanctorū, quàm aliis bonis operibus à DEO prævisis, & à Vocato ad Religionem exercendis. Concludit itaq; Sanctus Doctor: *Sicut igitur sic providentur naturales effectus, ut etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent; ita prædestinatur à Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona* opera, *vel quidquid hujusmodi; sine quibus aliquis salutem non consequitur.*

8. Secundum de prædestinatione benè sperandi fundamentū habet Religiosus hoc, quod jam superiùs hìc etiam attigimus; ipsam videlicet secundam post lapsum vocationem

(a) S. Tho. 1. p. q. 23. a. 8. in C.

nem ad pœnitentiam. Non enim vocaret Deus, aut lapsi conscientiam pulsaret sive per interiores, sive per exteriores impulsus, nisi vellet convertere, & sanare. Hinc S. Ambrosius expendens illam Domini vocem, quâ ad protoplastum post prævaricationem usus est, eiq; dixit: (a) *Vbi es?* ait: (b) *Hoc ipsum, quod vocat, indicium sanaturi est. Quia Dominus quos miseratur, etiam vocat.* In eundem sensum etiam Theophylactus eam Domini vocem vocantis interpretatur, ac dicit? (c) *Non tanquam ignarus Deus interrogat, ubi es? sed cùm esset misericors, ipse arguit, præbens pœnitendi occasionem, & confitendi.* Et S. Joannes Chrysostomus: (d) *Vocavit,* inquit, *Dominus Deus Adam: & ipsum vocare magnæ, & ineffabilis est misericordiæ.* Cùm igitur Religiosus lapsus iterum vocetur ad pœnitentiam, ad respondendum tesseram habet certam auxilii divini, ut concludere possit apud se; non se deseri, licèt ipse prior deseruerit Deum, & rursùs ad eandem sperandæ, quin & consequendæ salutis vocari sortem, & consequenter ad promovendum prædestinationis effectum; in qua sorte fuerat olim, dum vocationi divinæ promptè obtemperans elegit, & alacriter suscepit statum religiosum, in eaqvè mansit tamdiù, donec in prævaricationem est prolapsus. Alacriter itaqve, celeriterqvè *surge, qui dormis, & exsurge à mortuis; & illuminabit te Christus.* (e)

(a) *Gen.* 3. 9. (b) *S. Ambr. lib. de Parad. c.* 14. (c) *Theophylact.* (d) *S. Joan. Chrysost.*

(e) *Ephes.* 5. 14.

CAPVT II.

§. I.

Fiducia in Deum, animum, & alacritatem addit conversioni.

1. Ponere solet humani generis inimicus non exiguos ad resipiscendum, & ad seriam conversionem obices, illi præsertim, qui vel nimis in profundum prolapsus est; vel in eodem vitiorum cœno diutiùs hæsit; vel post multam in Religione virtutum exercitatio-

 nem

nem in ætate sive jam ad senium vergente, sive jam in ipsa senectute, mortalem quampiam, quæ sit contra vel divinam, vel naturæ legem, admisit animo deliberato culpam. Suggerit nimirùm veterator stygius, ut animam sibi lucrari possit, hinc quidem peccatorum enormitatem, & multitudinem: indè difficultatem ex tot flagitiis, in statum pristinum emergendi; sed & ex alia parte consequendæ veniæ diffidentiam. Deus siquidem auxilii, gratiæq; suæ certum præfixit pondus, & numerum: eò quòd dona, & gratias ordinarias ad mensuram dispensat ponderis; extraordinarias autem ad mensuram numeri; & quis scit, an ego præstitutū numerum jam non excesserim? Ex alia verò parte; certum est, penitùs ignorari punctum, seu momentum illud, in quo mortale peccatum deliberatè admissum extorserit è divinæ justitiæ manibus sententiam reprobationis; & ita nec ampliùs superesse spem auxilii ad resurgendum, nec veniæ locum, quantumcunq; detestetur aliquis peccata sua; nec jam tantum vitæ reliquæ superesse spatium, ut vel peccandi consuetudo in ultimam usq; producta senectutem, vel in senili jam ætate lapsus exiguo, quod reliqvum est, vitæ tempore condignâ possit elui pœnitentiâ. Quæ omnia, & alia plurima his similia, considerantis animum nimium quantum conturbant, & volentem resipiscere confundunt, ipsamq; voluntatem bonam vehementer infringunt: & ita miser in eo cogitationū fluctu (præsertim apostata, vel diuturnâ peccatorū, quam in omne flagitium effrenatus admittere per ingens sacrilegium solet, reticentiâ gravatus) tantùm abest, ut aliquid boni speret, ut nec patrem aliquem spiritualem, quantumvis ignotum, pro sano adire consilio; nec ad sinceram peccatorum confessionem animum applicare; nec ad Deum pro imploranda venia confugere, sibi satis sit constitutum.

2. Verùm in hoc genere quidquid obtrudit inimicus, aliud non est; quàm illius impostu-

postura, malignitas, versutia, & ars ingeniosa, quâ conatur animam laqueis suis irretitam penitùs interimere, secumq; pertrahere in gehennam. Etenim peccatorum enormitatem, & multitudinem quod attinet; nullum peccatum tàm est enorme, quod ignoscere pœnitenti nolit Deus, aut non possit. Nulla multitudo tanta peccatorum est; quæ possit immensam Dei misericordiam superare. Est quidem & ipsa Dei offensa infinita, in quantum adversùs illius infinitam admissa Majestatem, ac bonitatem: non tamen dici potest ex parte ipsius actûs. Nam, ut docet S. Thomas, in peccato mortali duo veniunt consideranda: (a) *Unum, quod est aversio ab incommutabili bono; & ex hac parte peccatum est infinitum. Alterum, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum; & ex hac parte peccatum est finitum.* Ideòqvè perperam obstrepit diabolus vel enormitatem, vel multitudinem peccatorum. Peccata nec enormitate, nec multitudine superant magnitudinem, & multitudinem miserationum Dei. Nullum, puto, majus inveniri potuisse, vel posse, peccatum sacrilegio Judæ traditoris; & tamen si verâ pœnitentiâ ductus ab enormi scelere conversus ad Deum fuisset, non est dubium, quin & veniam impetraverat. Rectè propterea S. Joannes Chrysostomus ad Theodorum Monachum lapsum: (b) *Equidem*, ait, *dico, quod supra fidem alijs apparet; nec illud quidem peccatum Judæ esse majus, quàm auxilium, quod nobis à pœnitentia venit.* Quoniam verò Sanctus hic Præsul auxilium veniens à pœnitentia majus asserit esse, quàm Judæ sacrilegium: certè multò major (est enim infinita) Dei misericordia est; quàm cujuscunqvè sceleris, aut flagitii sit malignitas, enormitas, & magnitudo.

3. Multitudinis etiam peccatorum est eadem ratio, quæ & enormitatis. Etenim sit peccatorum tantus numerus, ut nullâ numerari possit humanâ facultate: nihilominùs Domini miserationum adhuc major

(a) *S. Thom.* 1. 2. q. 87. a. 4. in C.

(b) *S. Joan. Chrysost. ad Theodor. lapsu.*

major est numerus; qvia infinitus. Undè rogat celebris ille pœnitens, iniquitatem suam omnium peccatorum suorum numerum sub uno iniquitatis nomine comprehensum deleri *secundùm multitudinem miserationum* Dei. *Secundùm multitudinem*, ait, *miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* (a) In quem versiculum commentans S. Hieronymus ait: (b) *Miserationum dixit: quia multa sunt peccata mea, & miserationes tuæ multæ*, scilicet infinitæ. Nam etsi multa, imò æquè infinita sunt alia opera Dei; tamen (c) *miserationes ejus super omnia opera ejus*; ut jam nihil dubitationis remaneat; miserationum ejus multitudinem esse super omnem multitudinem peccatorum. Idcircò diabolus tantùm, & ejus angeli desperari debent, & desperare, confirmati videlicet in malo, jamq; per definitivam sententiam ad infernum damnati; Non autem homo, qui convertibilis adhuc est, quamdiù vivit, à statu malo ad bonum; uti sapienter Divus Augustinus ait: (d) *Diabolus, & angeli ejus in scripturis sanctis manifestati sunt nobis; quòd ad ignem æternum sint destinati. Ipsorum tantùm desperanda est correctio*: desperanda simul ipsis & venia; non autem homini; qui & corrigi, quamdiù vivit, potest; & damnationis sententiam nondum accepit; & propter quem salvandum Deus homo factus est: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est.*

4. Difficultatem ex peccatis in statum pristinum emergendi, id est; hinc quidem pravam, eamqvè radicatam consuetudinem deserendi; indè verò ad easdem, in quas olim totus incumbebat, sensuum & carnis afflictationes, & ad disciplinæ, pœnitentiæqvè exercitationem sedulam redeundi post tantam indulgentiam, quod attinet, etiam hoc impostor ille nequam oggannit tanquam (sic ut dicam) impossibile. Sed quàm impudenter id suggerat, adverte.

(a) Psalm. 50. 3. (b) S. Hieron. hic. (c) Psalm. 144. 9.

(d) S. Aug. in Psal. 54. v. 1.

Videlicet aliud extorquere non adnititur, quàm obstinatam in malo perseverantiam; & auxilii divini, quod implorantibus adest præsentissimū, desperationem. Tùm & imbecillitatem corporis, ac virium debilitatem obtrudit: ut à bono proposito mentem in parvum animum penitùs abjectam deturbet. Verùm sive divinum auxilium; sive corporis, & virium spectetur imbecillitas ad exuendum malum habitum, ad deferendam pravam consuetudinem diuturnitate radicatam, ad vincendas passiones, & affectus inordinatos, ad subeundas alacriter, quas aut regula præscribit, aut religiosæ vitæ status fert ordinarius, aut ob pœnitentiæ fructum ultroneè suscipere suadet conscientia, mortificationes; utrumq; mira expedit in Deum fiducia; siquidem auxilium Dei, multò majus est; quàm omne vel maximum peccatum; imò quàm omnia vel maxima peccata, & alii pœnitentiæ propositum impedientes obices quicunqve.

5. Hoc cumprimis Apostoli Divi Pauli docet auctoritas ad Philippenses ita scribentis: (a) *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quæ verba prorsùs omnipotentem ostendunt hominis animum fieri tàm ad passionum, sensuumq; victoriam; quàm ad aspera quæcunq; propter pœnitentiam opera suscipienda, sicut & ad deserendos malos habitus ex diuturna consuetudine contractos. Undè S. Bernardus in Sermone quodam assumens hunc Apostoli textum aliqua cum admiratione sic ait: (b) *Quantæ fiduciæ vox! Omnia possum in eo, qui me confortat. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Deniq; omnia possibilia sunt credentibus. Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit utiq; dominari sui, ut non dominetur ei omnis iniquitas. Ita, inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem*

(a) Philip. 4.13. (b) S.Bern. Serm.85. in Cant.

deyce-

deijcere, vel subijcere dominantem. Ita S. Bernardus.

6. Deindè suffragatur etiam, & mentem ad pœnitentiam mirificè erigit, atq; roborat exemplum illud Augustini. Qui de viribus suis ad fortiter è vitiorum cœno resurgendum diù disputans, ac pravâ consuetudine identidē suggerente: *Putasné sine istis esse poteris?* In ecstasin quandam raptus, vidit Continentiam habitu speciosæ, simul & honestæ virginis allicientem, ac blandè vocantem ad se, multâ omnis ætatis, & sexûs utriusq; coronâ cinctam, adhortantem autem eorundem continentium exemplo ad seriam conversionem. Quod quidem oblatum sibi visum ipse Sanctus ita describit: (a) *Aperiebatur*, inquit, *ab ea parte, quâ intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ut venirem, neq; dubitarem; & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ: ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines, anus, & in omnibus ipsa Continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoriâ, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti, & istæ? An verò isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino DEO suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Projice te in eum; noli metuere; non se subtrahet, ut cadas. Projice te securus: excipiet te, & sanabit te. Et erubescebam nimis; quia illarum murmur adhuc audiebam; & cunctabundus pendebam. Et rursùs illa, quasi diceret: Obsurdesce adversùs immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non ut lex Domini Dei tui. Ista controversia in corde meo non nisi de meipso adversùs meipsum.* Ita de se Divus Augustinus.

7. Ex cujus acerrima pugna pravam inter consuetudinem, & resipiscendi voluntatem liquet; quanta sit in Deum ad plenam sui victoriam habenda fiducia, cùm dicit:

(a) *S. Aug. Confess. lib. 8.*

cit : *Projice te in eum* : Et quàm promptum sit divinum auxilium resurgere seriò volenti ; dum adhortatur : *Noli timere ; non se subtrahet, ut cadas*. Igitur frustrà dæmon obtrudit in statum pristinum, & ad frugem redeundi quamcunqvè difficultatem. Deus est, qui operatur in corde conversionem : in ipso tota sit spes, & fiducia. *Non se subtrahet, ut cadas. Omnia* poteris *in eo, qui* te *confortat*. Quam in rem etiam S. Joannes Chrysostomus ad Theodorum Monachum lapsum : (a) *Hominibus*, inquit, *hoc esse supra vires apparet ; Deo tamen omnia in manu sunt. Itaq; nè desperes ad optima commutari. Quòd si cacodæmon tantum potuit, ut te à vertice illo, & fastigio virtutis in extremum malitiæ detruderet ; multò magis Deus in pristinam te poterit vindicare libertatem ; neq; in eam solùm, sed tibi multò feliciorem, quàm fuit prior, perficere*.

8. Jam verò peccatorum veniam quod spectat consequendam ; etiam ad hujus evertendā spem omnes adhibet machinas ; in Deum blasphemus inimicus, in animam pœnitentis insidiosus. Sed validum hunc diabolicæ persuasionis arietem validior, imò validissimus Christi Domini Servatoris nostri retundit ad lividos Pharisæos ictus, ita respondentis : (b) *Euntes discite, quid sit : Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores*. Ecquis desperet veniam, quando pro solis peccatoribus salvandis Christus venit ? Audet propterea ex hac sententia S. Paulus Apostolus Dei misericordiam ad omnium peccatorum informationem in uno se plurimùm exaltare : & nè quis ob enormitatem criminum de venia desperet, se peccatorem primum, id est, maximum appellat ; & tamen misericordiam, ac veniam consecutum. (c) *Fidelis*, inquit ad Timotheum, *sermo, & omni acceptione dignus ; quòd Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam ad informationem eorū*, qui

(a) *S. Jo. Chrys. Paræn. ad Theod. lapsum.*

(b) *Matth.* 9. 13. (c) 1. *Tim.* 1. 15.

qui credituri sunt illi in vitam æternam.

9. Ubi premendum est benè, quod dicit, *ut in me primo ostenderet patientiam*. Id est: Cùm multi fuerint, & sint in mundo peccatorum ægritudine laborantes, inter quos ego primus, & maximus sum, in me quoq; primo, & maximè ægroto Christus JESUS maximam exercuit miserationis suæ potentiam, & bonitatis suæ patientiam ad me sanandum, & convertendum; ut exemplo meo cæteri quantumlibet flagitiosi veniæ spem non abijcerent; sed considerata Domini JESU in me patientiâ discerent veniam non desperare. Undè Theodoretus expendens hæc Apostoli verba, pulchrâ similitudine sumptâ à sapiente Medico loquentem Apostolum aliâ paraphrasi inducit sic: (a) *Quemadmodum Medicus, cùm in una domo multi simul ægrotant, & omnes de salute desperant, si unum pessimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit, ut omnes alij bono sint animo, ac fiduciam concipiant; Ita Dominus Christus animarum Medicus, cùm factus essèt homo, pro salute peccatorum, me, qui eram iniquissimus, & omnium sceleratissimus, non solùm à prioribus liberavit maculis, sed maximis donis obruit, omnibus hominibus in me ostendens suam patientiam, & clementiam; ut nemo eorum, qui maxima perpetraverint, ad me respiciens, de salute desperet.* Idipsum etiam urget aureum os in sua Parænesi: (b) *Cave dicas; ijs tantùm veniæ locum concedi, qui modicè deliquerunt. Nam finge, si lubet, aliquem universâ malitiâ redundantem, & patrârit omnia, quæ à regno excludunt; is, ut demus, non sit extra fidem, sed fidelis aliquando fuerit, acceptusq; Deo, posteà verò factus scortator, mollis, pædico, fur, ebrius, calumniator, aliaq; id genus flagitia sedulò committat; equidem illi non ero desperationis auctor, neq; si perseveravit ad extremam usq; senectutem cum infandis illis, maximisq; vitijs.* Inculcat hâc oratione suâ Sanctissimus Præsul; nullum etiamsi sceleratissimum, & omnium, quæ cogitari possunt, flagitiorum

(a) *Theodoretus.*

(b) *S. Joan. Chrysost. ubi suprà.*

patra-

patratorem maximum ad ultimum planè ſenium in conſuetudine peccandi perſeverantem, non tamen debere veniam deſperare.

10. Nam de illa auxilii divini, gratiæq; menſura, & numero, unicuiq; præfixo, ſicut & de puncto, in quo mortale peccatum admiſſum extorſerit è divinæ juſtitiæ manibus reprobationis ſententiam, diſputent, ut volunt, alii. Satis ſit hìc perſuaderi; ſceleratiſſimo cuiqve, quamdiù ſpirat, veniam non eſſe deſperandam, modò verè, ſeriòq; pœniteat; nec ferri damnationis ſententiam in aliquem, quantumcunq; deſertum, & derelictum à gratia, niſi poſtquam ſine pœnitentia ſpiritum exhalavit. Similiter & de brevitate temporis, & jam in extrema ſenectute, in qua non ſuperſit ampliùs ad condignã pœnitentiam ſpatium, quod adverſarius inſuſurrat. Nam verum quidem eſt; non ſolùm hoc breve, quod ſupereſt, tempus vitæ; ſed etiam longiſſimam ætatem in maxima pœnitentia tranſactam, non ſufficere ad condignam pro Dei offenſa, quæ eſt infinita, ſatisfactionem; attamen conjunctam meritis paſſionis, & mortis Chriſti, pro maximis quibusvis, plurimisq; flagitiis, eſſe plusquàm ſufficientẽ. Qvia Chriſtus per mortem, & paſſionem id ſibi meritus eſt; ut, ſicut non ſolùm pro unius hominis, ſed etiam pro omnium, & pro totius mundi peccatis ſatisfecit, ita opera pœnitentiæ conjuncta meritis ejusdem abundè ſatisfacerent pro quibuscunq; peccatis. Idcircò S. Joannes in prima ſua Canonica: (a) *Ipſe eſt*, inquit, *propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Itaqve quam pro peccatis ſuis ſuſcipit aliquis pœnitentiam; eam infinitis meritis acerbiſſimæ paſſionis, ac mortis Chriſti conjungat, & humiliter in balneo ſanguinis amabiliſſimi JESU Chriſti totam immergat; & veniam in ſeria, ſinceraq; pœnitentia conſequetur.

11. Sed neq; temporis aliquid evincere poteſt brevitas. Dei miſericordia non diutur-

(a) 1. *Joan.* 2. 2.

nitatem præscribit, sed intentionem respicit pœnitentiæ. Cui, si vera sit, unum etiam sufficit momentum. Undè senex, an juvenis; sanus, an infirmus; validus, an debilis; parùm jam, an multum adhuc victurus sis, hoc non attende; sed simpliciter, & cum omni humilitate ad Deum convertere; detestare peccata, nec ampliùs ad ea redire constitue firmiter: Cætera, tempus, ætatem, valetudinem, DEO committe. Propositum hoc erigit Divi Joannis Chrysostomi aurea sententia; quâ, postquam plurimum commendavit Dei amorem erga pœnitentem, quamvis ex profundissima peccatorum abysso, redeuntem tamen ad se in paternum amplexum peramanter admittit, addit deniqve: (a) *Quodq; est majoris facilitatis argumentum; etiamsi non omnem præ se fert pœnitentiam, brevem illam, & exiguo tempore factam non abnuit, sed magnâ pensitat mercede.* Non est quis aut per ætatem, aut per virium imbecillitatem, tanti, ut jam nec rigidâ macerare possit corpus inediâ, nec miseram carnem duris ad sanguinē usq; concidere flagris; nec nudâ humo singulis, vel saltem alternis noctibus abjecta membra chameuniâ duriùs exercere? Equidem hæc, & plura, majoraq; si mortali peccato commetiaris uni, nè dum plurimis, iisq; gravissimis perpetraris, ob offensæ Dei magnitudinem, exigua sunt; & cum æterno supplicio, quod mortalis commeretur culpa, si conferantur, punctum unum exiguum, imò nihil sunt: attamen Deus in pœnitente non hæc magis respicit, quàm cordis, & animi pœnitentis intentionem. Non potes illa magna pœnitentiæ, quæ desideras, exercere opera? Fac, quod potes; quando non potes, quod, & quantum desideras. *Non enim ad temporis rationem,* (iterum Chrysostomus ait) *sed juxta affectum animæ solet dijudicari pœnitentia.* (b) Audi, quid dicat Deus apud Joël Prophetam æquè tibi, atq; omni prævaricatori: (c) *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu: & scin-*

(a) *S. Joan. Chrysost. ubi suprà.*

(b) *Idem ibid.* (c) *Joel. 2. 12.*

scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; & convertimini ad Dominum Deum vestrum. Quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

12. Deniq; quidquid in hoc genere possit inimicus in contrarium oggerere; ruit impostoris omne argumentum. Qvia Dei benignitas, & misericordia multa est, & præstabilis super omni malitia. Ogganniat veterator; excidisse te gratiâ. Verum est: sed eam ruinam reparat pœnitentia. Occlamitet; non mereri te posse, de quo excidisti, regnũ Cœlorum. Verum est: sed Christus illud meritus est, & donat pœnitenti. Hoc argumento Divus olim Bernardus ogganientem confudit cacodæmonem, Permolesta catarrhi vis Sanctum virum pœnè suffocavit; & tunc ecstasin passus ad divinum sibi visus est rapi tribunal: & mox accusatorem diabolum adfuisse, omniaq; peccatorum capita accuratiùs recensuisse; dedisse verò & defendendi sui copiam. At vir Sanctus nihil eâ turbatus accusatione totus in Christi meritis confisus ita reposuit: (a) *Fateor, non sum dignus ego; nec proprijs possum meritis regnum obtinere Cœlorum. Ceterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus IESVS Christus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis possidet; cùm quòd sit unigenitus Patris æterni, regniq; Cœlestis. Altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cujus dono jure illud mihi vendicans, non confundor.* Ad hæc audita Stygius impostor fædo rubore suffusus disparuit, & omnis illa judicii species cum tribunali suo evanuit. Sed jam omnia hoc paragrapho dicta claudat illa cum affectu per Ecclesiasticũ pronuntiata adhortatio: (b) *Respicite filij nationes hominum, & scitote: quia nullus speravit in Domino, & confusus est.*

§. II.

Quò majores, & plures culpæ sunt; eò major in Deum habenda fiducia est.

1. Contingat miserum Re-

(a) *S. Bernard. ut in eius habetur vita apud Petr. Ribad. die 20. Aug.*

(b) *Eccli. 2. 11.*

ligiosum aliquem in eam vitiorum multitudinem, & enormitatem prolabi, (sicut in præcedenti Parte Secunda passim, & sparsim videri potest) ut flagitiorum ejus, iniquitatum, & malitiei vix nomen inveniatur. Dices sacrilegum? Parùm est. Qvia Religiosus in omni votorum violatorum genere tot admittit sacrilegia; quot votorum ab eo transgressiones admittuntur. Dices iniquũ? Minùs est. Qvia nomen hoc unicuiq; etiam extra religiosum statum competit prævaricatori. Dices impium? Nihil est. Qvia non soli Religioso, qui sacra, qui divina, qui Deum ipsum contemnit, imputatur impietas. Invenies post protoparentum superbiam, post Isràëlitici populi in deserto ingratitudinem, post Saulis sacrilegam impietatem, alios infinitos impietatis calculo notatos. Quid dicam post novam naturæ humanæ per Incarnati Verbi, veri Dei, & hominis incomprehensum mysterium instaurationem? sic, ut in ipso Dei Filio (ô dulcem tanti mysterii, beneficiiq; memoriam! ô inexplicabilem in commemorando dulcedinem!) ut in ipso, inquam, Dei Filio tota hominis natura in admirabilem vitæ novitatem adscita non jam carni, sed Deo, & iis, quæ Dei sunt, militaret. Et ecce, hem, quantis iterum peccatorum enormitatibus, & blasphemiis in Deum, in Religionem, in sacra omnia sævitum est! adeò, ut enumerandis, & supputandis hæresiarchis, blasphemis, Apostatis, & Atheis librarius nullus sufficiat. Et hi omnes æquè sacrilegorum, impiorumq; titulos sortiti sunt.

2. Igitur Religiosus immemor vocationis suæ cùm omnia illorum nomina, nomina autem? imò res, id est, nefanda flagitia, scelera, & impietates veluti compendio collecta sibi conflet; nescio, quonam titulo sit vocandus. Qui vocatus ad religiosum statum, hunc contempsit; divini luminis, gratiæ, donorũqvè Cœlestium factus consors, hæc omnia conculcavit; corpus, & animam, suavissimum Deo

Deo per votorum nuncupationem semel oblatum holocaustum suffuratus est; templum Spiritûs Sancti, summiqvè Dei sedem, animam videlicet suam olim fidelem, turpissimè profanavit; in Dei domesticum, amicum, & hæredem adscitus, eam dignationẽ abjecit. O scelus omni sacrilegio majus! ô sacrilegium! cujus enormitati par aliud non invenias: & tamen postquam omnem impietatis immanitatem in suum unius admisit animum, etiam omnium sacrilegiorũ genera postquam unus ipse patravit, adhuc Dei bonitati, misericordiæq; comparatus, eam non superavit malitiâ, non exhausit, non extinxit in se ita, ut benè sperare non debeat, aut veniam desperet.

3. Erigit in hanc fiduciam ipse Spiritus Sanctus apud Sapientem, cùm ait: (a) *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Scio sententiam hanc inculcari præsertim illis, quibus incumbit sedere pro tribunalibus, & omnia ad divinæ sapientiæ, simul & justitiæ normam, lancem, & regulam arbitrari; præmittitq; propterea: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Quâ parænesi monentur judices, tàm justitiam, quàm bonitatem Dei non segniter imitari. Nihilominùs unusquisqve privatus etiam conscientiæ suæ, vel potiùs enormium peccatorum suorũ, arbiter potest in partem suam hæc verba Salomonis accipere; & dum compunctus ad conversionem omnes inspexerit conscientiæ suæ latebras, vitamq; suam, & admissa flagitia sua perscrutatus, adverterit eò scelerum se pervenisse, ut suâmet sententiâ non unum, sed mille damnatorum ad æterna supplicia se commeruisse cognoscat inferos; nec suppetere modum, quo Deum flagitiosissimâ vitâ placare possit offensum, indignũqvè se judicet omni misericordiâ: sciat nihilominùs, his omnibus agnoscere bonitatem Dei majorem, & ad eam confugere cum fiducia: *Sentire de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærere illum.*

(a) Sap. 1. 1.

Quia nullus speravit in Domino, & confusus est.

4. Fortassè dices: Indignus omni veniâ sum: divini judicii rigor ab omni me jam excludit clementia: ipsa peccatorum enormitas, & multitudo, teste conscientiâ meâ, suppliciis me deputat sempiternis, absq; eo, quòd ad Dei tribunal sistendus, aliam non sim sententiam accepturus, quàm æternæ damnationis. Infelicem me! miserum me! quò me vertam? Perii: æternum perii. Sed paulatim. Tu quidem rigidus esto contra te judex; at non desperabundus actor. Occurrit enim Spiritus Sanctus, & inculcat: *Sentite de Domino in bonitate.* Non tàm crudelem existima Deum, ut plasma suum ire perditum velit. Ibi te salvat Deus; ubi teipsum ex æquo damnas: ibi te dignum misericordiâ decernit; ubi tu rigidus es adversùm te Judex: ibi clementiæ tibi calculum offert; ubi te pœnas omnes commeruisse pronuntias. Et quò major iniquitas est tua; eò major ipsius in te propendet bonitas; si bonum, si misericordem, si præstabilem super malitia cõfiteris: *Sentite de Domino in bonitate.* Qui sensus ut uniuscujusq; peccatoris altiùs insideat animo, S. Hieronymus pro voce hac *Sentite*, legit, *Sapite.* Quæ vox non solùm ad judicium, sed etiam ad affectum pertinet: id est; *Sentite, & sapite de Deo*, non quòd sit severus, maleficus, crudelis, ac rigidus exactor, & tyrannus: sed quòd sit benignissimus, beneficentissimus, optimusqvè.

5. Ut autem magis ad propositum nostrum veniamus; eò videlicet majorem habendam esse fiduciam in Deo, quò major est prævaricatoris iniquitas, & quò pluribus est obnoxius culpis: Erigit in hanc fiduciam illa Divi Pauli Apostoli sententia, quâ scribens ad Romanos, ideò docet subintrâsse legem, ut abundaret peccatum: id est; non ut homines ex occasione legis tantò magis peccarent; sed ut ex lege venirent in cognitionem peccatorum, quæ ante legem non cognoscebant esse peccata. Dicit itaqve: (a) *Lex au-*

(a) *Rom.* 5. 10.

tem subintravit, ut abundaret delictum. Vbi autem abundavit delictum; superabundavit gratia. In qua sententia duo sunt observanda. *Primum*, quod dicit: *Abundavit delictum. Alterum*, quod addit: *Superabundavit gratia.* Primum quod attinet, sciendum est: quòd ex occasione legis adeò delictum invaluit, ut ad summum malorum, & peccatorum venerit mundus in statu legis. Et qvia tantis à malis non poterat ullâ jam ratione liberari, Deus secundùm infinitam misericordiam suam, exseruit potentiæ suæ virtutem ad eum salvandum; misitq; Filium suum unigenitum, ut per hunc tandem salvaretur. Et hæc fuit illa plenitudo temporis, (id est, delictorum in summo gradu abundantia) de qua loquitur Apostolus ad Galatas, inquiens: (a) *Vbi venit plenitudo temporis; misit Deus Filium suum.* In quæ verba S. Bernardus opportunè: (b) *Nimirum*, inquit, *plenitudo, & abundantia temporalium, oblivionem*, (quæ summa fuit ingratitudo, & summa quædam in malo obstinatio) *abundantia*, inquam, *temporaliũ, oblivionem, & inopiam fecerat æternorum. Opportunè tunc advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat.* Quod etsi quibusdam videatur magis symbolicum, quàm ad literam, secundùm quam significatur adimpletio temporis à Deo Patre præfixa; tamen planissimè referri potest etiam ea præfinitio temporis ad plenitudinẽ, quâ prævalebat iniquitas; ut tunc Pater Filium suum mittere constituerit, miseritqvè; cùm abundaret, & ad summũ quendam apicem evaderet delictum. Itaq; Sanctorum Patrum, qui ante Christi nativitatem fideles ex hac vita decesserant, tota spes, & fiducia fuit in Verbi æterni incarnatione tunc quidem futura, Deumq; tunc maximè tactum iri misericordiâ, missurumq; Filium suum unigenitum ad salvandũ, redimendumq; mundum: cùm mundus idem in summum peccatorum prolapsus jam tandem divinæ potentiæ manibus, quas misericordiæ viscera salvandæ natu-

(a) Gal. 4. 4. (b) S. Bern. Ser. 1. de Adventu.

ræ humanæ relaxârunt, ab extrema calamitate, id est, ab æterna morte, ab Erebi faucibus, & à peccatorum durissimis, quibus attinebatur, vinculis in libertatem filiorum Dei assereretur, verè tunc, quando *abundavit delictum*.

6. Alterum, quod in eadem S. Pauli sententia venit observandum, & opportunissimè facit ad propositum nostrum, est; quod dicit: *Superabundavit gratia*. Videlicet abundantiæ delicti, seu peccatorum gravitati, ac multitudini tribuitur *Abundavit*; Gratiæ verò *Superabundavit*. Ut vel indè constet, majorem esse divinæ gratiæ, & misericordiæ abundantiam; imò (ut divinæ Scripturæ verbo respondeat nomenclatio) superabundantiam, infinitis omninò parasangis abundantiam delicti superâsse. Est hæc observatio Gvilielmi Estii super Apostoli recitatam sententiam ita scribentis: (a) *Dicitur autem de peccato*, Abundavit; *de gratia*, Superabundavit. *Quia gratia peccatis etiam multùm abundantibus prævaluit, ac potentior fuit*. Et, *Misit Filium suum* (idem ait) *infestissimis inimicis opportunè* (nimirum in plenitudine temporis) *benè faciens*. Quam gratiæ superabundantiam ad summam peccatorum abundantiam Dei Filius ut ampliùs testaretur, quid non egit? Tunc, cùm malitia usq; ad ipsum patrandum evasit Deicidium, quo jam peccatum, scelus, & sacrilegium majus inveniri non potuit, ipse gratiæ, charitatisqvè maximum exhibuit argumentũ, quo in præsenti vita nihil majus, & salubrius inimicis suis exhibere potuit, semetipsum in Eucharistiæ reliquit Sacramento, in perpetuum immensæ charitatis, imò & in æternæ gloriæ, quam conversis ad pœnitentiam daturus esset inimicis licèt, mnemosynon, & pignus; ut verè, postquam peccati malitia ad summum in genere suo pervenit apicem, in summo quoq; superabundaret gratia, & misericordia. Patheticè sensum hunc expressit Joannes de Sylveira, dum in eadem Apostoli verba sic scribit: (b) *Cùm Christus Dominus* suorum

(a) *Estius Comm. in Ep. Rom. c. 5.*

(b) *Sylveir. to. 5. lib. 7. c. 5. q. 3. Nu. 21.*

suorum inimicorum acerbissimum odium ad extremum furorem erupisse conspexisset, seq; a discipulo suo ad necem venditum, à Iudæis ad mortem machinatum, à Pontificibus, ac Principibus tanquam reum divinæ læsæ Majestatis, ut reum accusatum, cùmq; jam inspexisset ipsum temporis articulum, ac horam (hìc nota plenitudinem temporis, & summam abundantiam delicti) *non in ipsos inimicos fulgura, ac ignes conjecit; sed eis intimè sui amoris pignus, summumq; omnium beneficium in ipso temporis puncto eis confert, divinum scilicet Eucharistiæ Sacramentum; in quo non ad horam, sed ad finem usq; sæculi eis sese manducandum apponit, commutans eis amaritudinem fellis in miram divini epuli suavitatem; & opprobria propria, ac injurias, in supremum honorem, ac dignitatem, hominibus concessum.*

7. Jam ex hac universa ratiocinatione colligitur, & patet manifestè, ad quantam Mundus, & postremò Judæorum populus enormitatem evaserit delictorum, adeò, ut nec pejus, nec majus ab impiis admitti potuerit delictum: ubi nec ipsum Deum humanâ carne vestitum, suavissimèq; cum hominibus conversantem suscipere, prædicantem, ac docentem audire voluerunt: (a) *In mundo erat,* (Divus ait Joannes in Historia sua) *& mundus eum non cognovit. In propria venit; & sui eum non receperunt.* Et, quod ampliùs, opprobriis, calumniis, aliisq; pessimis habitum modis innocentissimum ad ignominiosissimam condemnârunt mortem: *Mortem autem Crucis.* (b) Quæ tàm enormis hominum malignitas, quid aliud merebatur, quàm iterum vel cataclysmo consumi; vel fulminibus, sulphure, & igne de Cœlo missis, in cinerem, & favillam redigi? quàm inexplicabili confusione, Cœlo, terrâ; mariq; permixtis, omnia in antiqvum quoddam reduci chaos, nec ampliùs in novam formam, & faciem reformari? Et tamen, cùm ob summam malitiam desperata jam essent (secundùm hominem loquendo) remedia, summa divinæ charitatis eminuit efficacia; ut misericordissimus DEUS

(a) *Joan.* 1. 10. (b) *Philip.* 2. 8.

mitteret Filium suum unigenitum, & ipse plasmatis sui misertus porrigeret dexteram pereunti: *Misit Filium suum unigenitum*, & ita verè, *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* sic, ut divina bonitas infinitè major emineret, quàm erat enormitas, & numerus peccatorum. Non ergò desperet Religiosus, in quantamcunq; flagitiorum prolapsus profunditatem. Ex hac enim cùm nemo sit hominum, qui possit eruere, ad Deum convertatur, veniam humiliter imploret; sentiat *de Domino in bonitate*, & quærat illum in simplicitate cordis; sapiat, & intelligat; quòd incomparabiliter ipse sit major in misericordia, quàm inveniri possint ulla delicta; & tunc immensam quoqve misericordiam consequetur. Qvia DEUS ad manifestandam gloriam, & bonitatem suam, ibi tantùm, & quidem promptissimè succurrit; ubi secundùm hominis æstimationem omnia desperantur: *Nullus speravit in Domino, & confusus est.*

§. III.

Fiduciam in Deum moderetur amor, & timor.

1. Etsi maximo cuiq; peccatori convertenti se ad Deum fiducia debeat esse non secùs, atq; in æstuoso mari, tentationum sævientibus undiq; procellis jactato, (cacodæmone tunc maximè salutem animæ impedire conante) firmissima quædam anchora, quâ tempestates eludat omnes, & ita conversionis, imò salutis, portum feliciter contingat: tamen nè quid nimis fiat in ea confidendi constantia, animusqvè medium excedens in præsumptionis extremum facilè, tanquam in scopulum, impingat; præcipuè verò, nè quis existimet, in spem infinitæ misericordiæ Dei securiùs etiam peccari posse, sit hìc operæ pretium, argumento superiori hoc adnectere; nimirùm fiduciæ temperamentum aliquod adijciendum esse, quo veluti fræno quodam intra fines suos contineatur. Est quidem

dem certum; nullum peccatum esse tàm enorme; nec ullam esse tantam peccatorum multitudinem, quam Dei misericordia non superet infinitè; ideoqvè de paternis ejus visceribus miserendi, nunquã est desperandum: sed fiducia, quam Deus in unoquoq; requirit, habeat, est necesse moderatores suos, quorum ductu sic incedat pœnitens, ut evitet excessum. Et in hoc primas obtinet partes erga Deum amor. De quo licèt alibi, quantum fieri poterat, jam dictum sit; hìc tamen etiam brevibus eandem materiam, sed in alio sensu, attingemus. Ibi quâ religiosæ vocationis amor commendatur custos, (idem & de timore dicendũ) hìc quâ ductor fiduciæ, quam conversus ad pœnitentiam habere debet.

2. Est igitur in anima pœnitente tàm fortis excitanda dilectio, ut Deum suum amet non propter bonum suum aliquod privatum, id est; quatenùs misericordiam consecuturam se sperat, & peccatorum veniam: sed purè propterea, quòd Deus summè dilectus amari sit dignus, etiam quatenùs justè de peccatis vindictã sumit, castigat, punit, & nè minimæ quidem indulget culpæ; multò minùs connivere vult gravissimis illis anteactis flagitiis, propter quæ factus est alienus à Deo. Et hic verus, ac purus ergaDeum est amor, quem post lapsum, & post gravissimã ruinam suam concipere debet Religiosus. Ex hoc amoris affectu nullam temporaneam de quacunqve creata re, nisi in quantum ad Dei gloriam, honorem, & cultum pertinet, consolationem admittere velit: inter adversa, quæ Deo permittente patitur in fama, in æstimatione, in corpore per ægritudinem, in animo per anxietatem, inter contemptus, & injurias; inter calumnias, & vexationes, & opprobria; maximè verò in spiritûs ariditate, ac desolatione, constanter dicat cum patientissimo Job: (a) *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat; nec contradicam sermonibus Sancti.* Hæc enim esse debet con-

(a) Job. 6. 10.

versi ex malo statu ad pœnitentiam indoles, ut per contemptum se, totus ad Deum, & ad ejus honorem tendat; & quantum divinæ Majestati per insolentem vitam derogavit, tantum, quin etiam multò plus, si fieri possit, ex sui despicientia studeat compensare laudi, honori, gloriæqvè Dei, totum se manibus, ac voluntati divinæ permittendo; nec ampliùs vel in minimo contradicendo sermonibus Sancti.

3. Qui quidem amor in eam affectionem DEI summè diligendi effusus hinc aliud non deplorat, quàm offensas, quibus in Dei Majestatem tantâ bonitate, totq; beneficiis etiam de peccatore benè meritam fuit injuriosus; indè charitatis ardentiores erga tàm beneficum concipit, elicitqvè flammas; quibus æquè justũ, ac misericordem amabiliter ambit, & amplectitur Deum. Faciat, quantum ad offensarũ deplorationem, exemplo parturientis illius Socrûs summi Sacerdotis Heli; quæ uno, eodemq; die & socero destituta, & marito viduata, & in edita cum inexplicabili doloris vehementia prole, animam quoq; jamjam effusura, nec vitæ suæ dispendium, nec soceri repentinam mortem, nec mariti miserandum interitũ, sed cum arca Dei capta gloriam Domini translatam de Isràël luxit. Cùm enim jam ageret animam, & adhuc dici sibi audiret (a) *in ipso momento mortis: Nè timeas; quia filium peperisti*, lugubrem illam cum migrante spiritu emisit vocẽ: *Translata est gloria de Isràël: quia capta est arca Dei.* Sic verus amor nulla præsentis temporis lugeat, quæ subit, dispendia: non calamitates, anxietates, & miserias suas ob peccatorũ enormitatem conflatas defleat: non pœnas, & supplicia delictis suis debita deploret; sed gravissimas in Deum Optimum fletibus expiare studeat offensas, quarum causâ translata est gloria Dei ab anima sua; blasphemiam nominis Dei in anima sua admissam, amarissimis eluere lacrymis pergat. Undè fiet, ut fortis hæc dilectionis operatio

(a) 4. *Reg.* 4. 20.

fiduci-

fiduciam mirabiliter moderetur, & in Deo firmet, nè possit vel præfidere nimiùm, vel nimis diffidere; ut hùc aptissimè quadret illud Apostoli ad Romanos: (a) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et illud, quod Divus ait Gregorius: (b) *Electi*, (in quorum numero verè pœnitens etiam censendus est) *Electi*, inquam, *in tentatione proficiunt*; *& quod eis diabolus præparavit ad ruinam, hoc Deus eis convertit ad gloriam.* Nimirum præparabat misero Religioso certam ruinam inimicus, ubi seductum per multa flagitiorũ trahebat præcipitia: sed jam per pœnitentiam converso Deus omnia convertit ad gloriam. Quod totum operatur ejus immensa bonitas, quâ conversum, & jam seriò diligentem vicissim diligit, dirigit, protegitqvè. Et hæc quidem de amore fiduciam moderante, aut veriùs ducente.

4. Timorem verò quod attinet; etiam hic ad fiduciæ moderationem summè necessarius est, ideò, nè conversus ad pœnitentiam, immemor timoris aut lapsum iteret, aut minùs esse putet, quod timeat, & ita securiùs in culpam mortalem iterum consentiat. Nam ad Deum post gravem ruinam Religiosus ubi conversus est; & delictorum enormitatem dispicere, ex eaq; confundi plurimùm debet; & severum, justumq; Judicem metuere: cujus iram post conversionem denuò per aliquem lapsum mortalem irritare gravioris est periculi, quàm olim ante conversionem licentiosiùs deliquisse. Quare S. Cyprianus in Sermone quodam ad lapsos appositè monet, ac dicit: (c) *Vos verò fratres, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licèt animus constitutus malitiæ memor est, pœnitentes, ac dolentes peccata vestra perspicite; gravissimum conscientiæ crimen agnoscite; ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite; nec desperantes misericordiam Domini; nec tamen veniam vendicantes. Deus, quantùm Patris pietate, indulgens semper, & bonus est; quantùm Iudicis majestate, metuendus est.* Ita Præsul Carthaginensis. Cujus sensus,

(a) Rom. 8. 28. (b) S. Greg.

(c) S. Cyprianus Serm. 5. ad lapsos.

& intentio tota in hoc eſt, ut oſtendat eos, qui lapſi ſunt, & poſt lapſum ad Deum converſi, diſpicere peccata ſua, continuèq; deplorare debere; & dum ex amore Dei turpitudinem deplorant anteactam, & Deum ut Patrem amantiſſimũ, ac miſericordiſſimũ diligunt, ſciant etiam ut juſtum Judicem metuendum eſſe; atqve hâc ratione fræno quodam contra ſenſiles appetentias licentiæ quondam aſſuetas, & forſitan adhuc more ſuo ſemper ad illicita pronas, utantur; easq; non ſolùm à relapſu, verùm etiam à nimia fiducia, quæ potiùs in ſuperbiam, & præſumptionem deſineret, ſtudeant continere.

5. Eſt namq; timor DEI novæ ſtructuræ, poſt ingentẽ animæ ruinam, fabricandæ certiſſimus architectus; quo moderante fiducia pulcherrimam efficit fabricæ deſignationem, regulam, ac modum; quo ſinguli pœnitentis actus, & affectus animi ad juſtam conſequendæ veniæ ſymmetriam diriguntur. Ad quod propoſitum Fortunatus in vita S. Hilarii ad Paſcentium Epiſcopum ſapienter ait: (a) *Culmen fabricæ Cœleſtis continuare feſtinas, non ſine timore divino.* Quòd ſi ille, qui vixit innocens, & Deo pro virili ſua placere ſtuduit, timorem Dei tanquam certam regulam ad culmen Cœleſtis fabricæ continuandum ſemper adhibuit; multò magis Religioſus è ruina ſua ad novam exſtruendam fabricam accinctus ædificet ſtrenuè; fabricando laboret aſſiduè; novam conſtanter proſequatur molem ad culmẽ continuandum; ſed *non ſine timore divino*; nec deſperans miſericordiam Domini, nec tamen etiam veniam vendicans. Ad hujus autem divini timoris in pœnitentis animo radicandi conſiderationem meliùs apprehendendam remitto Lectorem ad dicta ſuperiùs in Parte Prima Cap. 13. §. 2. Num. 5. ut ita hoc timore architectonicen moderante, fabrica pœnitentiæ, ad ſtructuræ Cœleſtis culmen ſtrenuè proſequendum ad Dei gloriam, Deo ſemper eodem auſpice, perficiatur.

(a) *Fortunatus in vita S. Hilarij.*

§. IV.

§. IV.

Etiam relapſo, minimè deſperandum.

1. Notabilis eſt periculi poſt aſſumptam pœnitentiam, & poſt peccatorum deteſtationem, in idem, vel in eadem plura peccata recidiſſe. Ut enim poſt diuturnam ægritudinem priſtinâ ſanitate recuperatâ recidivus morbus jam vix evadit mortem: ſic poſt recuperatam animæ ſanitatem ſi quis ad priſtina redeat vitia, vincaturq; relapſu, tàm veniæ deſperationem, vel ſaltem abjectionem reſipiſcendi faciliùs incurrit, quàm plerumq; ſpem adimit emendationis omnem. Hoc quidem judicium eſt humano conceptui commune: ac propterea canonico jure conſtitutum eſt; Religioſum, qui ter canonicè monitus, nec tamen emendatus, per anni ſpatium (in anni medii, ſive ſex menſium, ſpatium contraxit Innocentius Papa XII.) carcere in jejunio & pœnitentia probatus, dimiſſus autem è carcere rursùs in crimē vel idem, vel aliud, fuerit relapſus, per ſententiam eorū, ad quos de jure ſpectat, ſex Patrum, tanquam deſperatâ jam emendatione, ceu morbidam pecudem, nè cæteros inficiat, eijciendum eſſe ex conſortio Religionis. Qvia quæ ante pœnitentiam admisſa ſunt crimina, fragilitatis esſe videntur: quæ verò poſt pœnitentiam, non tàm humanæ tribuuntur imbecillitati, quàm radicatæ per pravum habitum malignitati.

2. Ita quidem humanum fert judicium non ad deſtructionem, ſed ad ædificationē; ut cæteri juſtitiæ rigorem arbitrati vivant cautiùs, hinc ad æquitatis lancem humana ponderari; indè parvum, aut nullum reperiri malitiæ patrocinium æſtimantes. Intereà tamen alia ſunt judicia Dei etiam relapſo viſcera miſericordiæ non claudentis. Aſſvetus enim alicui vitio per diuturnitatem ſicut ex anteactorum memoria, magis autem ex veteri, diuturnaqvè freqventatione, etiam poſt-

quam ad Deum conversus licèt abjecit omnia, constanterq; malæ consuetudini renuntiavit, tamen assiduam, eamq; graviorem sustinet pugnam: ita sine vulnere aliquo continuare certamen, saltèm ad initium, vix potest. Acriùs oppugnat dæmon, quem elapsum è castris suis militem videt, & Christi castris iterum adscitum esse; quàm illum, quem aut nunquam potestati suæ subegit; aut victum, subactumq; diù tenet; & ipsi sensus procliviores sunt ad expertam semel ac iterum voluptatem, quàm cujus nullam unquam experientiam habuerunt.

3. Itaq; sicut nihil est novi, militem multis vulneribus acceptis, etsi jam sanatis, debilitato tamen corpore vel cedere hosti, vel cadere; ita nihil est peregrini, Religiosũ anteà licentiæ, vitiisqvè consvetum, sed jam DEi gratiâ conversum, & amplexum pœnitentiæ scutum, nihilominùs iterum, ubi strenuè depugnat, ictum aliquem gravem, aut etiam vulnus aliquod reportare. Nam magis irritavit hostem, quàm aliàs, non tàm validum, quàm vafrum: & dum vires ad vincendum non ipsi suppetunt, acriùs ad dolos ingenium convertit, & acuit, ut aut vulneret, aut prosternat. Rectè propterea Salvianus: (a) *Sicut exercitus*, inquit, *pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, nunc foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur, scilicet ut etiamsi non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitùs evadat; ita etiam dæmones tàm multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut, etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacunq; capiatur.* Hæc ille. Felix igitur pancratiastes, cui vulnꝰ aliquod anteà sanatum, in acriore pugna non recruduerit.

4. Intereà tamen si contingat seu plagam accipere denuò, seu vulneratum cadere; ad Cœlestem archiatrum citò confugiat; lapsus iterum, generosè resurgat; Deum pugnæ parùm felicis arbitrum deprecetur; supplex imploret

(a) *Salvian. lib. 6.*

veni-

veniam, & non deſperet; certus iterum inſtaurare pugnã, iterum vincere; dolum eludere; arma vaferrimè pugnantis elidere, doctus experimento non jacere proſtratũ, ſed tantò generoſiùs ſurgere, quantò per inimici fraudem turpiùs eſt circumventus. In quo denuò miſerabili caſu nihil vehementiùs urgebit hoſtis, quàm ut fiduciam evertat, & deſperationem in animum inducat, iterum iterumqve poſt pœnitentiam relapſi. Ad quod propoſitum eleganter aureum os: (a) *Malignus*, inquit, *nihil non tentat, quò nobis hanc diffidentem cogitationem inſerat. Etenim non eſt ſudandũ ei, neq; modò opus habet induſtriâ, ut nos oppugnet nimirum denuò lapſos, & jacentes, quibus nec reluctandi conſilium ſupereſt. Qui verò vinculis magnâ vi ruptis* (uti fit in converſione ſeria) *receperit priſtinum robur, & in rebus iſtis perditiſſimis non eſt acturus quietem, ſedulò diabolo reluctans, ſit millies lapſus; ſurget iterum, & hoſtem conficiet.* Ita S. Joannes Chryſoſtomus. Idcircò cùm nunquam non oppugnare pergat diabolus, & quidem majore ſemper impetu, quàm anteà, Religioſum lapſum ad pœnitentiam converſum, ſi reluctando fortiter, iterum cadat vulneratus, ac victus; non propterea debet animo concidere, & deſperationem admittere, tanquam non ampliùs aut veniam conſecuturus, aut auxiliũ Dei ad pugnam, & victoriam poſthàc nullum habiturus: ſed, *ſit vel millies lapſus, ſurgat iterum, & hoſtem conficiat.*

5. Enimverò non nego; quædam eſſe Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ poſt converſionem denuò lapſum non mediocriter perturbant, conſternant, & aliquam deſperationis inijciunt cogitationem ita, ut miſer animus hinc divinam gratiam, quâ excitante, juvante, & comitante converſus ad Deum ſuperiora flagitia generosè deſeruit, & pœnitentiæ ſcutum fortiter arripuit; indè novam inſaniam ſuam, quâ vel in ipſo pœnitentiæ ſtatu, victus aliquâ paſſione, rursùs in relapſum con-

(a) *S. Joan. Chryſoſt. Paræn: ad Theodorum Monachum.*

consensit, expendendo, jam nesciat sibi consulere, veritus, nè jam hoc ipso, quòd vincere consuetudinem non possit, aut illecebræ cedens facilè, nolit, reprobatus indulgentiam non consequatur ampliùs, ac veniam peccatorum. Id quod unicè diabolus insusurrat, & evincere conatur in relapso; tanquam justo Dei judicio jam sit datus (ut Apostolus ait) *in reprobum sensum; ut faciat ea, quæ non conveniunt.* (a) Itaq; inprimis horrendum est illud apud Ezechielem effatum: (b) *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vitâ vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Deindè, non minùs horrendum est illud, & unumquemq; consternare potest, quod habetur in Epistola ad Hebræos: (c) *Impossibile est; eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum Cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesquè sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursùm renovari ad pœnitentiam.* Postremò Sanctus etiam Joannes Chrysostomus ad Theodorum Monachum lapsum, idem ferè videtur innuere, dum ipsum à desperatione dehortatus, hoc tamen addit pro cautela: (d) *Tantùm nè relabaris, nè exscindas spes amplas; nè in te admittas, quæ impijs accidunt.* Quibus verbis quid aliud inculcat Sanctus hic Præsul, quàm ut à lapso removeat peccatum recidivum? quod mentem reddens impiam à veniæ spe possit excludere.

6. Non est ergò dubium, quin hæc, & his similia testimonia relapsum vehementer affligant, & novâ contra dæmonem, & assultus ejus, susceptâ pugnâ consternent, fiduciam omnem adimere pergant tàm veniæ, quàm auxilii divini ad hostem acerrimum superandum. At nihilominùs animo sit bono millies etiam ex infirmitate magis, quàm ex malitia relapsus; tùm quòd nulla possit esse (sicut jam alibi di-

(a) *Rom.* 1. 28. (b) *Ezech.* 18. 24.
(c) *Hebr.* 6. 4.

(d) *S. Joan. Chrysost. ubi suprà.*

bi dictum eſt) peccati tàm gravis, ac multa malitia, quam Deus aut non poſſit, aut nolit ignoſcere. Non tamen hoc ideò dicitur, ut quis in ſpem divinæ miſericordiæ relabi, non ducat ſibi Religioni, peccandiq; conſuetudinem frequentet audaciùs. Hoc enim eſſet peccare in Spiritum Sanctum, & graviorem vindictam incurrere, difficilioriquè veniæ cauſam ultrò præbere, dicente præſertim Chriſto Domino: (a) *Qui dixerit verbum* (idem exiſtima, qui fecerit peccatum) *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro.* Atqve ita relapſum ex malitia, & in ſpem divinæ miſericordiæ, certum eſt, magnum, nec facilè ſuperandum ponere obicē veniæ conſequendæ.

7. Cæterùm illa teſtimonia ſuperiùs allegata quod attinet, atq; inprimis illud apud Ezechielem, ſumitur ad paritatem impii convertentis ſe ad Deum: quòd ſicut impius, id eſt, uſq; eò malitiæ prolapſus, ut peccâſſe contemnens ultrà quoq; peccare pergat, ac per contemptam Dei bonitatem non cogitet reſipiſcere, ſed tamen poſteà compunctus agat pœnitentiam de peccatis ſuis omnibus, quæ operatus eſt, *vitâ vivet*; vitâ, inquam, ſpirituali, quæ per charitatem reſtituit hominem amicitiæ Dei; nec ampliùs recordatur Deus iniquitatum illius, ut eas æterno puniat ſupplicio; ſed benè pœnâ quâpiam caſtiget temporali ſive in hac vita, ſive in futura piacularibus expurgandum deſtinet flammis: ita juſtus, etiam poſt converſionem ſi à juſtitia, & pœnitentia ſua averterit ſe, rursùm moritur in ſuis injuſtitiis, & in prævaricatione, morte ſpirituali, conſtitutus iterum Dei inimicus. Quæcunq; autem interim exercuerit opera bona, & opera pœnitentiæ, mortificat illa per averſionem à Deo, & juſtitia: nec aliter ea tunc reputantur, quàm ſi nunquam operatus aliquid boni fuiſſet; donec iterum reſipiſcat, & converſus ad Deum agat denuò pœnitentiam; & ſic juſtitiæ, & pœnitentiæ opera, per mortale pecca-

(a) Matth. 12. 32.

peccatum mortificata reviviscunt, juxta communem Sanctorum Patrum, & Theologorum doctrinam. Ideòq; nihil evincit inimicus ad inducendam in animum quantumcunq; relapsi desperationem. Ut enim omnis impius, conversus autem ab impietate sua promissam habet veniam: sic omnis justus, omnis etiam Religiosus lapsus, aut relapsus, aversus à justitia sua constitutam habet pœnam; sed denuò conversus indulgentiam desperare non debet.

8. Illa verò S, Pauli ad Hebræos sententia meritò terrorem incutit: cùm disertè satis exponat, ostendatqvè; ad pœnitentiam (id est, per pœnitentiam) eos renovari non posse, qui *semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum Cœleste* &c. Quæ verba quadrant aptissimè Religioso de sæculari translato ad statum religiosū; qui in perpetua pœnitentia continuum quoddam martyrium est, quantò magis ex religiosæ professionis exercitatione, quæ Deo reddit amicissimum, ad pristinas absurdæ conversationis ineptias relapso, pœnitentiam denuò suscipere volenti quadrare debent? An non de tali dicas aptissimè; quòd illuminatus gustaverit donum Cœleste, & particeps factus sit Spiritûs Sancti, gustaverit etiam bonū Dei verbum, virtutemq; sæculi venturi; jam autem turpiter in pristinas sæculi vanitates, ac desideria carnis, & sensuum relapsus, iterum ut renovetur per pœnitentiam, est impossibile? Ille, (a) *qui ad Cœlum pervenit*, (cum S. Joanne Chrysostomo dico) *qui sæculi hujus vanitates irrisit; qui formam corporum non aliter, atq; lapideum simulacrum inspexit; qui aurum, ut lutum; delicias omnes, ut cænum contempsit; ille nobis ex insperato febre correptus absurdæ concupiscentiæ, sanitatem, virile robur, speciem omnem perdidit, servusq; factus est voluptatū*, mancipium vanitatum, præda carnalium desideriorum. Qui certus esse non potest, utrum pro antiquis, & anteactis in sæculo, condignam egerit pœnitentiam; quomodò rursùm pro novis aliis, atq; aliis opor-

(a) S. Joan. Chrysost. ubi suprà.

oporteat ipsum, & possit pœnitere? Quâ ratione renovari poterit per pœnitentiam, & restitui pristino statui gratiæ, cùm id Apostolus asserat esse impossibile? An non ex Spiritu Sancto locutus est ille; qui *Vas electionis* (a) non nisi puram dicebat veritatem? Igitur relapsum Religiosum *impossibile est rursùm renovari ad pœnitentiam.*

9. Ita certè scripsit Apostolus non tantùm ad terrorem, sed etiam ad veritatem. Nè tamen ex hac occasione laqueum desperationis injiciat inimicus, etiam hic solvitur nodus ex duplici, quem Interpretes adferunt, & jam alibi dictum est, sensu. *In primis* enim asserunt, Apostolum ibi loqui de pœnitentia baptismi, cujus iteratio damnatur, & est illicita. Undè tàm veteres, quàm recentes omnes Theologi cum Ecclesia Catholica docent, Baptismum, sicut Ordinem, & Confirmationem iterari non posse. Quod Hebræi, quondam facti Christiani putabant aliter fieri posse, atq; post singula peccata baptizari, perq; baptismum iteratum ea debere expiari. *Secundò*, & quidem communiter, dicunt; Apostolum ibi propriè de pœnitentia loqui, præcipuè post relapsum: quæ sit impossibilis, id est, valdè difficilis, peccatoribus illis, qui gravissimi, & ingratissimi sunt; quales sunt Apostatæ. Hi enim post tàm insigne lumen, & donum Cœleste Spiritûs Sancti, si denuò relabantur in Judaismum, & ad infidelitatem desciscant, vix ampliùs ad pœnitentiam converti possunt, & est quasi inauditum; eò quòd in malo sint obfirmati. Jam ergò sic acceptus sensus Apostoli, cujus tempore nondum erant Ordines religiosi, non habet locum in Religioso; sive lapso, sive relapso. Negari tamen non potest; æquè difficillimum esse ei, qui ab Ordine religioso, vel etiam à fide, apostataverit, & in omne flagitiorum genus desciverit, per pœnitentiam renovari. Neq; facilè redit talis ad pristinum Ordinis religiosi, vel fidei desertæ statum, eò quòd hanc novæ con-

(a) *Act.* 9. 15.

væ conversionis gratiam Deus non conferat ordinariè: attamen secundùm extraordinariam gratiam, & per novum quoddam prodigium, quod rarissimum est, conversio talium possibilis est; modò vocanti, excitantiqvè ad pœnitentiam Deo velint cooperari.

10. Jam ad S. Joannis Chrysostomi sententiam venio. Qui lapsum Monachum dum hortatur, ut susceptâ pœnitentiâ caveat, nè posteà relabatur; vel nondum susceptâ pœnitentiâ labi progrediatur, non idcircò docet, imò nec innuit, desperandum esse, si contingeret ipsum relabi, vel ante conversionem, peccatum prosequi. Neqve, cùm dicit; *Nè exscindas spes amplas*, intelligit secuturam ideò desperationem. Sed hoc monet Sanctus Antistes, nè spes, quas de ipso concipiunt illi, qui pro ipsius conversione solliciti sunt, & orant, relabendo faciat irritas; & dum ij, cum quibus antè vixerat religiosè, sperant ipsũ conversum iri, ejusq; præstolantur emendationem, in malè cœpto ipse perseveret, atq; peccatum, in quod turpiter est prolapsus, iteret. Hoc enim esset non tantùm fieri peccati reum, sed etiam fieri prorsùs impium: id quod solis accidere solet in peccatum ex peccato ruentibus, ut dicantur impii, & præcidant apud homines emendationis spem.

11. Qui deniq; licêt ita procedendo contumaciter peccent; non tamen ideò, talibus etiam, desperandum esse, quantumlibet eam induant mentem, ut habeantur, & dicantur impii. Hoc enim sibi tantùm consciscunt nomen, imò & re ipsâ sunt impii; non verò quòd debeant desperare. Undè mox subdit idem Sanctus: (a) *Nunquam enim peccatorum quantumlibet exuberans copia in desperationem conjicere solita fuit; sed cum illis impiam habere animam.* Id est; illa peccatorum exuberans maxima copia non adhuc inducit causam desperationis; sed hoc efficit, ut cum peccatis multoties iteratis anima dicatur, & sit, impia. Sit au-

(a) *S. Joan. Chrysost. ubi suprà.*

tem

tem utcunqve. Religiosus iterum iterumq; relapsus adhuc non debet desperare veniam: cùm non tantùm ipsi, sed etiam cuicunq; maximo peccatori semper suffragetur illa Dei apud Ezechielem contestatio: (a) *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et: (b) *Nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Et: (c) *Impietas impij non nocebit ei; in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua.*

§. V.

Dicta superiùs exemplis aliquot confirmantur.

1. Meritò S. Joannes Chrysostomus, ut lapsum Theodorum Monachum ad saniorem mentem reduceret, ab eoqvè desperationis averteret cogitationem, proponit ipsi magnum illum Babylonici regni Monarcham Nabuchodonosorem. Qui post admonitionem, quam per somnium accepit, quamvis interprete Daniele sapientissimo, Deum agnovit, dixitqvè: (d) *Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus Regum*; non tamen diù tenuit ea superbi Regis in agnoscendo Deo confessio. Ad primam brevì rediit sui fastûs indolem, & auream statuam (haud dubiè, quæ Regis ipsius figuram, personamqvè referret) à se sumptuosissimè erectam voluit adorari. Cui sacrilegio tres Hebræi, Sidrach, Misach, & Abdenago dum refragarentur, eos in fornacem septuplùm succensam, quàm succendi consueverat, ligatis pedibus injici præcepit. Verùm prodigiosè, salvis quidem tribus pueris, aliis autem ab erumpente flamma consumptis, ita ut Rex tanto miraculo totus attonitus iterum confiteretur, prædicaret, & sanctione pragmaticâ juberet: *Vt omnis populus, tribus, & lingua*, Deum puerorum Sidrach, Misach, & Abdenago non blasphemarent; sed agnoscerent omnes Deum excelsum, quòd signa ejus magna

(a) Ezech. 18. 21. (b) c. 33. 11. (c) v. 12.

(d) Dan. 3. 47.

sint, & mirabilia : *Et regnum ejus regnum sempiternum ; & potestas ejus in generationem & generationem*. Prodigiosè, inquam, salvis tribus Hebræis in tanta flammarum glomerata voragine denuò rediit Rex ad saniorem mentem, & ad Dei confessionem est conversus. Sed quid? Paulò pòst iterum ad eundem rediit fastum ; iterum Deum contempsit, & agnoscere noluit, & tanquam inemendabilis (ut idem aureus orator loquitur) *iterum in veterem est reversus malitiam*, jam tertiò lapsus, & relapsus. Numquid propterea desperari jam aut emendatio debuit, aut Dei auxilium, & venia? Non equidem. (a) *Estné post tantum casum* (urget aureum os) *reditus? post morbum tàm desperatum*, quando reversus in belluam in montibus oberrabat, *iterum sanitas, iterum prudentia speranda, post mentem scilicet adeò motam?* Sed invenit Deus remedium. Nam & Rex in se reversus oculos ad Cœlum levavit; pro paterna castigatione Altissimo gratias egit, benedixit, viventem in sempiternum laudavit, & glorificavit ; & delictorum veniam impetravit; sensus ejus redditus est ei ; ad regni sui thronum, honorem, decoremq; pervenit, & magnificentia amplior est ei reddita. Totum autem hoc in relapso multoties, ac demùm ad pœnitentiam seriò redeunte, Dei miserentis infinita bonitas est operata.

2. Alia duo narrat idem S. Joannes Chrysostomus exempla. Unum de juvene cujusdam prædivitis Urbani filio; qui contemptis omnibus consuetæ vitæ commodis, & divitiis, omnium bonorum magnâ consolatione vitam est auspicatus eremiticam. Sed homines quidam ejus amici (veriùs inimici) consideratâ generis ejus nobili prosapiâ tamdiù laborârunt, donec is abjecto vili professionis habitu (b) *à montibus in medium forum se conferret, & equis vectus, & magno stipatus famulitio totam urbem obiret. Cui neq; sapere, neq; temperatè vivere libuit. Nimijs delicijs incalescens in absurdos amores ceu nolens propellebatur.*

(a) *S. Joan. Chrysost. ubi suprà.*

(b) *Idem.*

tur. Alterum narrat de quodam ſene, *Poſt multos labores Eremiticæ converſationis. Cui duntaxat unus fuit convictor, cum quo vixit planè Angelicam vitam ad ſenectam usq; perſeverante. Is aliquando ex verſutia diaboli velut oſcitans, & remiſſior factus acceſſum dedit maligno ad concupiſcentiam, & lapſus eſt cum muliere, qui nunquam vidit mulierem ab eo tempore, quo ſe ad monaſticam vitam contulit*, &c. &c. Jam juvenis ille poſt monaſticam vitam ad voluptates priſtinas, & ad perditiſſimam vitam retractus amicorum perſuaſione; ſenex etiam iſte poſt tot ſudores in eremo pro Dei amore fortiter toleratos deniq; turpiſſimè lapſus, anné ſalutem deſperare, ſibi deeſſe, pœnitentiam non reſumere, Deo diffidere, ad frugem minimè converti, debuerunt? Imò graves errores uterqve correxit; & veniam conſecuti ſunt. Juvenis quidem abjectis iterum omnibus mundi vanitatibus, & diſtributis in pauperes ampliſſimis opibus, *omnem occaſionem, quæ potuit inſidias tendere, abſcidit; viam, quæ ducit ad Cœlum, incedens ad apicem virtutis jam dudum penetravit.* Concludit deniq; rem totam aureum os hoc epiphonemate: *En ille, cùm eſſet juvenis, excidit, & iterum ſurrexit.* Senex autem pariter reverſus ad ſaniorem mentem, adeò dedit ſe pœnitentiæ; ut in arcto ſolitudinis ad ſeram tuguriolo clauſus, ab omniū colloquio, commercioq; ſemotus, altero ſocio panem tantùm, & aquam miniſtrante, peccati ſui pœnitens, in reliquam vitam perſeverârit in jejuniis, in precibus, in lacrymis animam à ſorde peccati repurgare. Deus autem ut manifeſtaret, ipſum conſecutum eſſe veniam, & priſtino ſanctitatis ſtatui reſtitutum, factum eſt; ut obortâ per viciniam ſiccitate, cùm populus impetrare multis lacrymis, ac precibus non poſſet pluviam, bis in ſomnio revelârit cuidam, ipſum eſſe, qui ſuis orationibus ariditatem diſſolvat. Igitur à populo quæſitus, & poſt multam induſtriam repertus, perfracto pariete (nam ſaxit obſtruxerat januam) rogatus,

etsi plurimum obluctatus, deniq; Deum precatus est, & desideratam pluviam impetravit. Ita, sed aliis verbis, S. Joannes Chrysostomus narrat. Igitur isti ex Asceterio lapsi; conversi, pœnitentiamqvè amplexi, denuò veniam, gratiam, (quidni & Cœlestem gloriam?) consecuti sunt.

3. Possent adhuc alia plurima recenseri exempla; ex quibus constet, quàm fortiter, constanterq; Vocationis, & professionis suæ religiosæ, vel eremiticæ ruinam instaurârint alii; puta Jacobum Eremitam, æquè jam annis plurimis in eremo, & voluntaria pœnitentia virum emeritum, & ideò gratiâ cacodæmones ex energumenorum corporibus exturbandi plurimùm valentem. Neptem etiam Abrahami senis Eremitæ, Mariam nomine, lapsam. Istam post unum lapsum ex eremo clàm patruo profugam ad profligatæ vitæ genus in urbe quadam sese prostituentem: illũ post expletam concupiscentiam in miseræ, cum qua peccaverat, puellæ cædem prolapsum, & æquè jam ab eremo sua in pejus abire parantem. Et tamen (ô Dei bonitatem, & misericordiam!) tàm hic, quàm illa, rursùm ad Deum conversi in pœnitentia sanctè finiverunt. Sic isti, sic alii plurimi in Eremo, in claustris, in aliis vitæ sanctissimæ institutis haud leviter in carnis illecebras, & alia peccandi genera per fugam, per apostasiam, per alia projectæ vitæ flagitia, impegerunt. Nihilominùs ad Deum conversi, piacula sua per pœnitentiam eluerunt, & à venia exclusi non sunt. Interim exemplis aliis omissis, ex plurimis ad ulteriorem doctrinam, fortitudinem, & fiduciam, hæc duo tantùm adnecto.

4. Narrat Palladius (a) de quodam Monacho. Quòd is pergens pro aqua, incidерit in peccatum cum muliere ibidem deprehensa. Reversus ad cellam cœpit vehementer (& certè causam habuit) animo conturbari, diabolo identidem suggerente: Quò miser jam abis? De salute tua jam actum est. Cur ultrà vives?

(a) Pallad. in fine lib. 3. Nu. 42.

Hæc,

Hæc, & his ſimilia, veterator ſtygius inſuſurrabat, eo nimirum propoſito, ut ad deſperationem ipſum adigeret, non tantùm corpus, ſed jam in prædam accepturus & animam. At Monachus hanc artem eſſe diaboli ſubodoratus ad perditionem urgentis, generosè ſurgens, & in DEUM conceptâ fiduciâ, cogitationibus importunis ita repoſuit: Undè vos malæ cogitationes veniſtis, & contriſtâſtis me? Hoc quæritis, ut me perdatis? Ecce, non peccavi: Et iterum dico vobis: Non peccavi. Sicq; cellam ſuam ingreſſus animo perſtitit conſtanti, ſicut heri, & nudius tertius. Deus autem revelavit cuidam ſeni non procul indè habitanti, quòd lapſus ille frater in ipſo lapſu vicerit, & perdiderit diabolum. Hucusqve, & in hunc ſenſum, Palladius. Ex quo concluditur; Religioſum quantumcunq; lapſum, magnâ fiduciâ redire poſſe ad pœnitentiam, Deo bonæ voluntati nunquam defuturo.

5. Aliud exemplum in Vitis Patrum exſtat, apud Petrū Sanchez: quod multoties relapſis eſſe poteſt ad in pugna fortiter perſiſtendum, atqve, ſi cadere contingat, ad generosè reſurgendum. (a) Silòés Abbas roganti cuidam Monacho: quid agere debeat poſt lapſum? reſpondit: Surge. Cùm diceret Monachus, ſe ſurrexiſſe; ſed iterum cecidisſe, reſpondit: iterum ſurge. Quærenti denuò: Quoties tandem ſurgendum eſt? reſpondit: Donec mors aut ſtantem te, aut jacentem inveniat. Nimirum innuere voluit anxio de lapſu, non ſemel, ſed iterum, ac iterum iterato, non eſſe propterea deſpondendum animum: ſed cùm hominis vita, Religioſi præſertim, nihil ſit aliud, quàm perpetua militia, pugnandum eſſe continuè. Et, ſi contingat in certamine vulnerari, vel cadere, non idcircò jacendum jam eſſe, & inſtar deſperantis in vulnere, lapſuq; contabeſcendum; ſed animo generosè reſumpto rursùm arripienda ſunt arma; tamdiù verò inter vulnera, lapſumq; fortiter depugnandū,

(a) *Petr. Sanch. in Vit. Patr. Par. 4. c. 7.*

donec in pugna vel stantem mors occupet; vel victorem coronet. Itaq; Religioso nec lapso, nec relapso desperandum est: sed ad Deum, & ad pœnitentiam majore, quàm tunc, cùm religiosum accepit habitum, animo est redeundum. Pro cujus consolatione præclarè S. Joannes Chrysostomus hìc concludat: (a) *Qui per resipiscentiam iterum exsurgunt, magnâ claritate resplendent; & non rarò majore, quam alij, qui nunquam ceciderunt.* Sed principem auctoritatem hìc obtineat ipsius Incarnatæ Veritatis assertio: *Dico vobis; quòd ita gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente; quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.*

CAPVT III.

§. I.

Ruinam Vocationis reparaturus, super omnia spiritualibus exercitijs decem saltèm dies impendat.

1. Quemadmodum ille, qui collapsam fabricam, exstructurus firmiùs, ab ipso planè fundamento reparationem suscipit, & orditur stabiliendo: sic Religiosus fabricæ suæ spirituali, seu statui, vocationiq; suæ per lapsum, aut etiam per diuturnam licentiam, & pessimam consuetudinem vehementer infractis, & ad notabilem ruinam proturbatis, quàm optimè consulturus, ab ipso, necesse est, incipiat fundamento. Conversionem videlicet sic adeat, & exordiatur, tanquam hodiè primùm ingressus Religionem; nec unquam aliàs in ea fuisset: tanquam hodiè primùm incipiat Deo servire, seq; divinæ Majestatis obsequio consecrare; corpus, animam, omnes corporis & animi facultates in holocaustum non per aliquam etiam moralem cæremoniam; sed sincerè, sed ex toto corde, sed ex vera charitate, Omnipotenti DEO promptissimè offerendo. Jam verò fundamentum hoc non erit aptiùs, quàm spiritualia per inclusionem sui in cella exercitia. Et sicut Novitius habitu

(a) S. Joan. Chrysost. ubi suprà.

habitu religioſo ſuſcepto novum religioſæ vitæ inſtitutum à ſpiritualibus incipit exercitiis; ita Religioſus per multa vitiorum, imò flagitiorum, ac ſacrilegiorũ devia poſtquam palabundus ad interitum animæ diù oberrabat, in receſſu vanitatis, & tumultuantium deſideriorum carnalium turba, tanquam cum Chriſto pro totius humani generis inſtauratione jejunaturo, ipſe verò pro graviſſimis peccatis & flagitiis ſuis, pro perfidia, quam adversùs amabiliſſimum JESUM animæ ſuæ Sponſum admiſit; pro perditiſſima vita, quam multis annis ſacrilegus egit, in deſerto pœnitentiam acturus; vel tanquam ex Sodomis perfugus alibi refugiũ, & ſalutem non reperturus, quàm in monte, nunc in ſolitudinis, & contemplationis abdito, ſalutem quærat: tanquam ſibi dicatur ab Angelo: (a) *In monte ſalvum te fac*: id eſt; in ſolitario cellæ receſſu ſalutem, & ruinæ tuæ inſtaurationem quære. Vel cum filio prodigo (ſi præſertim Vocationis ſuæ deſertor exſtitit) in ſe reverſus, ita ſecum reputet: (b) *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hìc fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenarijs tuis.*

2. Sic itaq; comparatus, & jam receſſui deditus, per diei totius horas in aliqua ſcheda diſponat accuratè, quid agere, quové modo tempus illud utiliter ad ſpiritûs, & vocationis ſuæ collapſæ ſeriam reparationem impendere; ex quonam Authore, & ſuper qua materia, quibus horis inſtituere meditationem; quo tempore, vel quibus horis vocales preces, officium divinum, & horas diurnas, libri cujuſpiam ſpiritualis lectionem, & alia ad piam occupationem pertinentia, debeat expedire, ſibi deſcribat; & ab ea benè priùs examinata præſcriptione, quantum fieri poteſt, toto exercitiorum tempore nè latum quidem recedat ungvẽ. Ubi præter fervidam orationem tàm mentalem, quàm

(a) *Gen.* 19. 17.

(b) *Luc.* 15. 17.

etiam

etiam vocalem, in amaritudine animæ suæ recogitet annos suos, & totum illud pessimæ conversationis suæ tempus, quo tàm sibi, quàm aliis occasio fuit, & causa ruinæ. Cui non satis erat crudelem in semetipsum, in Deum autem Creatorem & Patrem suum Optimum, contumeliosum, & injuriosissimum fuisse; nisi alios etiam secum in exitium, & perditionem animæ traxisset: præter fervidam orationem, inquam, & meditationẽ (eâ tamen adhibitâ moderatione, quæ phantasiam servet illæsam) anteactæ vitæ recogitet etiam admissa; eaq; crebrâ animi contritione, & lacrymis deplorare studeat; seqvè per id tempus ad generalem diligenter præparet confessionem delictorum; quæ majoris, & gravioris considerationis sunt, & circumstantiæ, in charta quapiam annotando. Atq; si per Superioris, aut patris Spiritualis arbitriũ liceat, etiam à Sacra Communione, si non sit Sacerdos; si verò jam initiatus Sacerdotio, à Missæ celebratione, quâ se judicabit indignissimum, (sicut & ille Sanctissimâ Venerabilis Eucharistiæ sumptione) vel abstineat; vel, si non permittitur, quantum fieri potest, in oratorio privato, vel saltèm eo tempore, quo minor, aut nulla est in templo, sive Sacello, populi frequentia, sacris mysteriis operetur cum profundissima semper suimet abjectione.

3. Cæterùm ad hanc vitæ novitatem, & ad novam collapsi spiritûs in se reparationẽ plurimum juvabit statis horis, v. g. tempore antemeridiano quidem unâ, pomeridiano verò alterâ, spiritualis alicujus libri lectio, non cursim, & festinanter, sed lentè magna cum animi, sensuumq; collectione per modum meditationis, instituenda, sic, ut ad unam, alteramvé periodũ perlectam, præsertim ubi sentit cor, & mentem inardescere, subsistat; atqve tunc vel cum Deo, vel cum amabilissimo JESU in crucem probrosissimè pro peccatis nostris acto, & in eodem infami stipite inter acerbissimos dolo-

res

res extincto, dum vel in ejus amorem inflammari se, vel in affectuosam animi (sic ut dicam) compassionem experitur accendi, tantisper commoretur: vel cum anima sua ingratissima, tàm perditè vivere, & in Optimi Dei, dulcissimiqvè JESU contumeliam tanta flagitia patrare quòd sit ausa, expostulet; ac reputet peccatorum suorum enormitatem, culparum enormium gravitatem; divinæ bonitatis, quæ peccantem ad hoc usq; tempus, quo possit admissa deplorare, conservavit magnitudinem, & patientiam admiretur; laudet, & ei gratias agat; vel, si materia ferat, beatarum in Cœlo mentium contempletur felicitatem; in qua Deum super omnia dilectum incommutabiliter jam extra periculum, & perturbationem incessabiliter amant, laudant, & benedicunt. Vel animarum in piacularibus ignibus longè majora tormenta pro levioribus culpis, quàm ego miserabilis, ingratissimus, & perditissimus pro gravissimis flagitiis meis, & sacrilegiis, hìc sustineo, patientium; ardentissimam nihilominùs erga Deum justissimum Judicem, commeriti supplicii exactorem æquissimum, dilectionem; cùm ego deses, & frigidus ipsi mihi nimiùm blandiens, intereà tantus, & tàm enormium flagitiorum reus, heu, quàm parùm, aut nihil sustineo! Hæc, & id genus alia meditandi materiam subministrante lectione dum cor, & animum accendunt, immoretur legens huic ardori ad singulas suggestæ materiæ periodos, tamdiù, donec vel ardor incipit sensim imminui; vel ad prosequendam lectionem sentit se excitari. Neq; tunc æstimet, quàm multum, sed quàm benè, quantoqvè cum animæ fructu legat. Siquidem ejusmodi lectio non solùm faciendæ meditationis supplet locum; sed etiam utilior est multò, quàm illa, quæ prælectâ priùs meditandi materiâ mentem vel in varias, etsi fortasè non extra propositum, trahit ratiocinationes, vel in quandam abripit, licèt suavissimam, contem-

plationem, profectui non magnoperè servientem.

4. Jam autem ad hæc spiritualia vacanti exercitia propter renovationem spiritûs, & instaurationem ruinæ, per quam religiosa vocatio, professioq; diù collapsa jacuit, etsi multi sint, & esse possint in promptu libri, ex quibus per id tempus exercitiorum ordinariè bis orandi quotidiè mentaliter, manè quidem mysteria Christi Domini pro nobis indignissima passi, vel Dei beneficia, tàm in genere, quàm in specie, & in peculiari collata; vesperè autem mundi vanitatem, vel hominis quatuor novissima considerandi possit materia sumi: bis item cum lectione pariter unâ antemeridiano tempore horâ; alterâ post meridiem, eo modo, quo proximè dictum est, meditationem instituendi: nihilominùs sufficient pro matutina, vespertinaq; contemplatione Meditationes S. Petri de Alcantara; vel hæ si desint, alicujus alterius Auctoris pii eadem Dominicæ passionis mysteria, sicut & quatuor novissima, considerationi proponentis. Pro secunda verò cum lectione instituenda meditatione, Divi Augustini Meditationes, vel Soliloquia, vel Confessiones ad propositum ex licentiosa vita ad Deum conversi, maximè facientes: aut libellus Spiritualium exercitiorum à S. Ignatio Soc. JESU Patriarcha conscriptus. Cæterùm sicut hæc altera meditandi ratio commendabilis est ad profectum; sic & prima sive mysteriorum Christi Domini, sive quatuor novissimorum consideratio institui solita, plurimum confert seriò applicanti se ad vitæ reformationem.

5. Nec hoc etiam videatur peregrinum; quod, cùm exercitia spiritualia fieri debeant, si non ampliùs, saltem decem dierum spatio, Meditationes autem Divi Petri de Alcantara nonnisi septem contineant dies, & ita pro reliquis tribus, aut pluribus diebus nulla suppetat materia. Non, inquam, peregrinum, aut mirum videatur. Qvia Capita, quæ Sanctus ille, & altissimæ contempla-

plationis munere singulariter illustratus vir proponit, non tantùm in septem, sed etiam in decem, & in plures alios dies prorogari possunt, ita,ut, dum ille uni diei præscribit quatuor, aut plura Capita,devotus, diligens, & addictus meditationi contemplator ea proferre possit etiam in duos, aut tres dies. Nam quod de lectione dictum est, idem & de meditatione planè judicium esto. Non quamdiù, nec quàm multa Capita; sed quàm benè,quàmq; cum animæ fructu meditetur aliquis,interest.

6. Quòd autem horum trium Sanctorum, videlicet Augustini, Ignatii, & Petri de Alcantara lectio, meditationesq; commendentur ad religiosi spiritûs,& vocationis instaurandam ruinam; hoc non ideò fit, tanquam alii minùs idoneè scripserint, & tradiderint ad hoc propositum: siquidem liberum unicuiq; relinquitur quemcunq; Auctorem in animæ rem saluberrimam adhibere: Sed cùm hi tres satis nervosè, prorsusq; ad vivum (ut ita dicam) scripto subijciant intellectui, voluntatiq; satis amplam meditandi materiam; ac præsertim S. Augustinus in Confessionum suarum libris, animæ vanitatibus, & carnis illecebris seductæ vivam in semetipso depingat imaginem, in qua legere,ac pervidere licet tanquam in tabula descriptum hominis, & præcipuè Religiosi lapsi,relapsiq; statum, & miserabilem peccandi consuetudinem diù frequentare perseverantis; vanitatibus, & carnis voluptatibus immersi; per apostasiam, vel quocunq; tandem modo licentiam sibi permittentis, ac per neglectam, contemptamqvè vocationis, & instituti sui professionem illicita plurima patrantis, sed jam ad Deum seriò convertentis se, errores, miseriam, luctam, difficultates experti, nihilominùs & victoriam tandem, divinâ scilicet gratiâ mirabiliter adjuvante, est videre. Devotionis autem spiritum, amorem, & timorem Dei, odium sui, turpitudinem peccatorũ, humanæ vitæ vanitatem, inconstantiam, anteactorum dete-

 stati-

stationem, dolorem, & fletũ; gaudium etiam, consolationem, fiduciam item de misericordissimi Dei vocantis ad pœnitentiam bonitate; gemitus, suspiria, lacrymas in dulcedine spiritûs abundantissimè lectio suppeditabit. Sed & S. Bonaventuræ, S. Anselmi Meditationes; S. Francisci de Sales Philothea, Pugna Spiritualis P. Joannis Castaniza Benedictini, Solitudo Agiophilæ; P. Pauli de Barry, & aliorum divino planè spiritu ad vitæ novæ institutionem scribentium, non mediocrem adferent utilitatem. Præstabit tamen attentè legere, vel adhibere paucos; at proficere multum.

§. II.

Hæc exercitia spiritualia, sunt totius reliquæ vitæ provisio.

1. Memini quidem, alibi me spiritualium exercitiorum attigisse materiam, & necessitatem; atq; inter alia, ab horum primo impendio totius tyrocinii, imò & totius religiosæ vitæ pendere compendium; ideòq; vix operæ pretium videri potest, hìc eandem propè crambem recoquere, forsitan etiam in eodem sensu. Verùm qvia diversa sunt, differuntq; plurimum hæc duo: Ex sæculo vocatum ad Religionem accedere, & in Religione lapsum, diabolicâqvè fraude circumventum in pristinas sæculi vanitates, ineptias, & carnis illecebras relapsum, ad novam, eamq; rigidiorem pœnitentiæ redire disciplinam; ideò etiam aliter illi, aliter isti ordiendum est. Ex sæculo plerumq; innocentes ad Religiosum statum accedunt adolescentuli, nec multi negotii est, ex illo, qui bonus fuit, fieri meliorem; vel ex illo, qui malus fuit, mutari in bonum: ille virtutis amans, spontè virtutem esurit, ac sitit ampliùs; iste vitiorum quâdam nauseâ tandem amplectitur probitatem. Sed qui semel ex improbo factus erat probus, aut ex bono melior; ac deinde per inconstantiam animi, pedem refert à tramite virtutis ad vitia;

tia; is idem facit, quod ex turbido quidem, ſed tamen generoſo muſto factum vinũ generoſiſſimum, deniq; corruptum in aſperrimam aceti mutari acerbitatem, in naturam autem vini priſtini non niſi per miraculũ redituram. Et eſt utriusq; ratio. Qvia muſtum habet diſpoſitionem ad generoſum vinum: ſed acetum jam omnem diſpoſitionem penitùs amiſit. Sic qui bonæ fuit indolis, ſemper habuit diſpoſitionem ad meliorem; & qui malæ, diſpoſitionem pariter habuit ad recipiendam formam bonæ indolis, ſeu virtutis, cujus expers, ſive exſors, & incapax hucuſqve non fuit. Sed qui factus aut ex bono malus, aut ex malo converſus in bonum, rursùm factus eſt malus; hic in ſe non tantùm bonum, ſed ipſam etiam ad bonum diſpoſitionem corrupit, & amiſit; ac propterea majoris eſt difficultatis, & divini planè prodigii, formam boni recipere.

2. Undè Thomas Anglicus explicans illud Apocalypſeos; (a) *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus*, ait: (b) *Sermo eſt de frigido non quantum ad frigiditatem, & culpám; ſed quantum ad diſpoſitionis majorem facilitatem. Quia frigidus* (addit Cornelius à Lapide) *magis aptus, & diſpoſitus eſt ad emendationem, quàm tepidus; qui ſuo tepore facilè eſt ruiturus in profundum peccati, & gehennæ*. Id autem planiùs innuit Caſſianus etiam alibi jam citatus, cùm ait: (c) *Frequenter vidimus de frigidis, atq; carnalibus, id eſt, de ſæcularibus, ac paganis, ad ſpiritualem pervenire fervorem; de tepidis, atq; animalibus omninò non vidimus.* At Divus Gregorius diſertiſſimis omninò verbis hoc ipſum aſſerit, dicitqvè: (d) *Sicut ante teporem frigus ſub ſpe eſt; ita poſt frigus tepor in deſperatione eſt. Qui enim adhuc in peccatis eſt, converſionis fiduciam non amittit. Qui verò poſt converſionem tepuit*; & quod ampliùs eſt, qui tepidus in gravia peccata prolapſus in impietatem deſeivit, *& ſpem, quæ eſſe potuit de peccatore, ſubtraxit.* Quæ omnia ſunt eò dicta, ut intelligamus, quan-

(a) *Apoc.* 3. 15.

(b) *Thom. Anglic. citat. à Cornelio hic*

(c) *Caßian. Coll.* 4. *c.* 19. (d) *S. Greg* 3. *p. Paſt. admon. c.* 35.

quanti sit negotii, Religiosum post primam conversionem suam rursùm ad sæculares ineptias, ad desideria carnis, ad improbitatem reversum in bonam orbitam denuò revocari. Ideòq; novis ipsum exercitiis, & jam sub alia quadam ratione faciendis applicandum esse.

3. Igitur, operante divinâ gratiâ, postquam lapsus, sive relapsus, iterum ad frugem redit; sive professionis, ac votorum temerarius violator, in Religione scandalosè vixerat hucusqve, sive desertor Instituti profugus, & apostata fuerat vagatus, hic non tantùm pristinum religiosi spiritûs fervorem studeat recuperare; sed etiam reliqvum vitæ suæ magis, quàm antè, ad seriam à Deo sibi concessum pœnitentiam impendendum, persuasum habeat, non modò pœnitentiæ, verùm & fructui digno pœnitentiæ. Quem fructum Divus Gregorius explicans, egregiè docet à pœnitentia differre, cùm ait: (a) *Aliud est fructum facere pœnitentiæ; aliud dignum pœnitentiæ fructum facere.* Et paucis interjectis, ostendit; parem operis boni fructum non debere esse ejus, qui minùs, & ejus, qui plus deliquit; aut ejus, qui in nullo, & ejus, qui in quibusdam, & ejus, qui in multis est lapsus: uti contingit in Religioso sive per illicita omnia professionem suam violante, licèt in Religiosorum consortio perseverante; sive per apostasiam ad extrema prolapso. Huic tali non tantùm ad pœnitentiam, & ad pœnitentiæ fructum; sed etiam ad fructum pœnitentiæ dignum enitendum est: ut, cùm alii, qui minùs, aut nihil deliquerunt, possint licitè sibi subindè indulgere in iis, quæ ad honestam aliquam animi recreationem permittit religiosa professio, reus ipse multorum nè licita quidem sibi, quantum est ex parte sua, permittat; multòq; rigidiùs, quàm alii, Vocationis suæ prosequatur statum, ut majora quoq; per majorem pœnitentiam, & dignum pœnitentiæ fructum, faciat lucra; sicut idem Sanctissimus concludit Pater, cùm ait:

(a) *S. Greg. Hom. 20. in Evang.*

ait: *Per hoc ergò, quod dicitur, facite dignos fructus pœnitentiæ, uniuscujusq; conſcientia conveniatur; ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora ſibi intulit damna per culpam.*

4. Hoc quidem Magnus ille Pontifex, & virtutum cultor inclytus inculcat. Sed ego non temerè dubito, ut Religioſus in profundum peccatorum prolapſus hoc à ſe posſit impetrare, quo parem pœnitentiæ fructum, nedum majorem, & dignúm fructum pœnitentiæ culpis anteactis exhibere poſſit, præſertim jam attritus ætate, per multas vitæ, licèt parùm religioſæ, exercitationes, & per illicita plurima fatigatus, in via diuturnæ licentiæ laſſatus: [a] *Laßati ſumus in via iniquitatis, & perditionis; & ambulavimus vias difficiles.* Intereà tamen ſit utcunqve, nihil omittere debet, quo rigidiùs agat ſecum, quàm antè; ſeq; magis obſervantiæ religioſæ, rigoriqvè addicet, ac ſemper minùs ſibi licere, quàm aliis, exiſtimet in licitis; ut ita ſaltèm in eo, quod poteſt, non autem quod vult, & ad quod magis obligatus eſt, reſpondeat digno fructui pœnitentiæ. Hanc autem de ſe exiſtimationem adeò firmiter impreſſam animo teneat, & exerceat; ut eam toto reliquæ vitæ ſuæ tempore ſervet inviolatam; nec aliud ſibi convenire putet, quàm vitam agere verè pœnitentis. Et ideò non ſolùm hunc tenorem ſibi poſthàc ſervandum inviolabiliter conſtituat; ſed etiam cætera in ſpiritualibus his exercitiis ſic jam ordinet, ut pro tota vita ſua reliqua verè pœnitentis ſibi faciat proviſionem non ampliùs anteacta bona opera, vel rigorem ante lapſum, niſi in quantum ea converti posſunt, & adhiberi ad auſteriorem vitæ methodum proſequendam.

5. Hìc ſibi diſponat, & veluti quadam in cella penuaria reponat ordinatè, quid poſthàc in dies ſingulos, & horas agere, præter communia Religionis exercitia, debeat etiam ſupererogatoriè: quomodo, ſi in occaſionem incidat caden-

(a) Sap. 5. 7.

cadendi, eam subterfugere, vel eludere, societatem malam vitare, foris cum sæcularibus, ubi necessitas adegerit, & obedientia, conversari; quid peculiaris operis, aut devotionis, ad placandam Majestatem divinam gravissimè offensam, orando; carnem, inclinationem naturæ, passiones, & affectus inordinatos edomando, non solùm per hoc exercitiorum, sed jam & per omne vitæ reliquæ tempus, exercere proponat, accuratè secum dispiciat, degerat, firmissimèq; constituat. Et sicut is, qui peregrè profecturus omnes circumspicit occasiones; itineris incommoda; casus, & id genus alia, diligenterq; se ad omnibus obviandum, quantum per industriam humanam fieri potest, armat, instruit, & sibi prospicit; vel qui in unius, aut plurimorum annorum, spatium parat annonam; singula certo loco, & ordine diligenter recondit: sic, immò accuratiùs, & majori cum animi collectione provisionem sibi jam in pœnitentia victuro, plurimis post primam conversionē culpis iterum contaminato necessariam præparet; ita victurus in posterùm, & Vocationi, professioniq; suæ advigilaturus, ac si nunc primùm in Religionem ingressus ad nihil pertineat aliud, quàm ut perpetuum tyronem agat; Superioris, & Patris spiritualis arbitrio per omnia subjaceat; suave Christi jugum, & onus sinè recalcitratu vel minimo constanter portet. Nec opus est hìc suggerere quidpiam in peculiari, quidnam sibi constituere debeat, & quomodo propositam provisionē ordinare; tùm qvia in eo casu Spiritus Sanctus ipse Magister optimus in abscondito docet; tùm qvia tàm ex dictis superiùs, in Prima Parte potissimùm; quàm ex dicendis inferiùs, facilè colligi potest; quid, & quomodo in reliquam ordinare debeat vitam, quam Deus ad pœnitentiæ spatium dignabitur prorogare.

§. III.

§. III.

In hisce spiritualibus exercitijs haud aliter gerat se, quàm si pro morte jam se disponat.

1. Etsi quatuor novissimorum consideratio; mortis, inquam, judicii, gloriæ Cœlestis, & inferni, sufficientem suggerat causam inspiciendi suam ex hac mortali vita migrationem, & statum; tamen ad utiliter, attentè, diligenterqvè tempus exercitiis impendendum spiritualibus, efficacissimè procedet ratio, non aliter eorundem exercitiorum tempore, imò in horas, & momenta singula dispositũ esse, quàm si jamjam mundo, rebus, & vanitatibus hujus vitæ omnibus, iis autem præcipuè nugis, & inaniis, quib9 hucusq; totus ad vanam carnis, & carnalis animi voluptatem miser inhiabat, valedicturus; vitam cum morte, præsentaneum tempus cum æternitate, evanida cum immutabilibus; vel gaudium, cui se totum dederat, cum immutabili mœrore, & luctu; vel luctum, pœnitentiamq; brevem, ad quam ultrò totum se condemnat, cum interminabili gaudio æternum, æternum, æternum debeat commutare. Idcircò quidquid aget intereà, sive orabit, sive meditabitur, sive leget, scribet, aut quidpiam aliud manuale propter evitandum otium faciet, non est dubium, quin ita sit expeditur9 omnia, cum ea mentis, & sensuum etiam interiorum æquè, ac exteriorum collectione, tanquã nullus ampliùs ad hæc, quæ sunt in mundo, vel in tota mortali vita, pertineat: apprehendetq; facilè; nihil aliud sibi superesse, quàm ut benè comparatus ad æternitatẽ migret. Quod autem reliqvum suspicari potest ad eam migrationem superesse tempus, id totum in misericordissimi Dei concedentis aliquod spatiolũ agendi pœnitentiam, & pro tàm enormi vivendi genere, quod egit hucusqve, non quantum desideret, nec quantum commeruerit, sed solummodò jam, quantum possit, satisfaciendi, resignet manus.

2. Ex qua consideratione continua sequitur in primis hoc emolumentum; quòd animus induat perfectum mundi, sui, vitæq; contemptum. Dicit enim, & quidem sapientissimè, S. Hieronymus ad S. Paulinum scribens: (a) *Facilè contemnit omnia; qui se semper cogitat esse moriturum.* Quòd si ille, qui tantùm semper cogitat se moriturum esse, facilè contemnit omnia; quid non faciet ille, qui jam in ultimo vitæ suæ termino constitutus aliud non expectat, quàm præsentissimam mortalitatis suæ cum immortalitate commutationem? Valeat mundus; valete sidera, Sol, Luna, stellæ omnes, & quidquid admirabilium operum Dei spectandorum, oculi mei (sed ah, quàm nimis ad vanitatem!) hactenus contemplati sunt; ego jam hæc admiranda naturæ duo lumina claudo: vobis ego, vos mihi, æternum evanescitis: ego spiritum, quem adhuc traho, jam hac in cella Deo redditurus, hìc loculum, hìc tumulum habeo; hìc me totum includo. Alterum ex ea præsentissimi tumuli consideratione emolumentū est: quòd per id tempus ea, quæ facit, cum magna sensuum, animiqvè collectione, & præsentia sine faciendorum confusione, minimè tumultuariè, sicut olim in aliarum rerum expeditione subindè factitabat, perficiat; utpotè qui opus omne etiam minimum arbitratur jam ultimum esse, cætera jam aliis incumbere facienda, perficiendaqvè, non sibi. Ut enim illi, qui licèt infirmi corpore, mente tamen sani, plerumq; tàm in testamento condendo, quàm in reliqua substantia à DEO sibi credita ad filios, ad consangvineos, & ad cognatos, aliosq; ordinanda, disponendaqvè, sunt accuratissimi; sed de domo, deq; rebus aliis in posterùm administrandis, omnem curam deserunt; contenti, bonum ordinem eorū, quæ suis mandant, & relinqvunt, constituisse: sic Religiosus in hoc exercitiorum spiritualium statu, imò jam in ultimo quodam vitæ suæ puncto, non quid posteà, quid cras,

(a) *S. Hieron. Ep. ad Paulin.*

cras, quid perendiè, quid anno toto facturus sit, esse debet sollicitus; sed quàm benè, quàm intimè cum Deo conjunctus; quàm accuratè, quàmq; sedulò æternitati suæ, quam ingressurus est hâc die, hâc horâ, hoc momento, consulat, prospiciatqvè.

3. Videmus insuper moribundos; quàm anxiè singulos inspiciant, & circumspiciant parietes, & angulos; quàm fixis oculis contueantur adstantes; quàm omnibus jam omissis aliis ea tantùm, quæ circa se sunt, sudaria, lintea, tegeticulam, & id genus, exporrectis jam huc, jam illuc, manibus, vel sub axillam, vel ad latus alterutrum, vel supra pectus attrahant, colligant, convolvant, & accumulent, veluti convasatis in unam sarcinulam reculis jamjam peregrè profecturi, suis omnibus eo contuitu, cùm ipsos jam loquela deserat, non ampliùs videndis ultimum dicant Vale. Sic Religiosus in exercitiis spiritualibus, mortem sibi jam imminere, supremumq;, quod adhuc in manibus habet, opus adesse suspicatus in ea, quæ circa ipsum sunt in promptu, simul & in æternitatem fixis mentis oculis, haudquaquam in crastinum, vel saltèm in horam alteram, propositum agendi, peragendiq; benè, pœnitendiq; differat, aut elabi permittat. Sed quod nunc agendum incumbit, summa cum diligentia prehendat, & colligat jam nunc in æternitatis immensã regionem secum asportaturꝰ.

4. Tertium emolumentum ex ea perficiendorum operũ in spiritualibus exercitiis accurata ratione sequitur: quòd habitum quendam contrahat à diligenti bonorum actuum frequentatione in reliqvum etiam vitæ suæ tempꝰ omnia, singulaq; opera, & exercitationes ad professionem & vocationem suam, tùm verò maximè ad Dei cultum, ad animi culturam, & ad Instituti formam laudabiliter exercendam spectantia non perfunctoriè, sed semper cum accurata mentis intentione peragendi. Quæ quidem operum, & exercitationum diligens, & exacta

exacta peragendorum ratio magnam perfectionis, ad quã tendit Religiosus, partem, imò ferè totam perfectionis exercendæ viam continet. In cujus studio non quæritur, quid, & quàm multum facias; sed quàm benè, quàm diligenter, quâ charitate, quâvé mentis, & animi devotione.

CAPVT IV.

§. I.

Exactis exercitijs spiritualibus, sincera peccatorum Confessio instituenda.

1. Postquam, Deo propitio, spiritualia peracta sunt exercitia, negotium erit præcipuum peccatorum, quorum sibi per id tempus accuratè scripto notaverit numerum unà cum circumstantiis gravioribus, aut etiam mutantibus speciem, instituere sinceram, & integram confessionem, æquè non aliter, quàm si jam hæc esset ultima, ad migrandum ex hac vita mortali ad æternitatem, ac præcipuè jam ad tribunal expeditionalis. Pertinebit igitur ad confitentem de singulis intensum animi dolorem concipere, simul & elicere, non quòd propter enormia delicta sua suppliciũ æternum cum apostatis angelis commeruerit, neq; quòd propter eadem Cœlo sese reddiderit indignum; sed purè puteq; proptereà, quòd Dominum Deum, summum bonum suum, Creatorem & Patrem suum tàm enormiter, ac per summam ingratitudinem offenderit. Nec operæ pretium hìc existimo, de Confessione præscribere methodum, regulam, ac per singula tàm serii negotii capita quandam instituere catechesin. Hoc enim & extra susceptæ foret institutum opellæ, & ad Religiosum quantumcunq; lapsũ, atq; à monasticæ vitæ deviũm instituto, conversum tamen, minimè pertinet, ut ei, tanquam ignoranti legem, proponantur ejusmodi rudimenta. Sed satis sit, hoc tantùm innuisse, ut præmissâ diligenti conscientiæ examinatione cum pleno suimetipsius contemptu, cumq; sincera delicto-

lictorum suorum detestatione, purè ex amore Dei, se coram Confessario, enormium noxarum arbitrum acturo sistat; nec ut patronum, sed ut æqvum, quin & rigidum judicem experturus, in nullo blandiri sibi constituat. Ideòqvè tantò magis sibi prævaricatori maximè temerario succensens, accusator sui verus, at minimè patronus excusationum indutus palliastro culpas suas expositurus accedat, nihil fragilitati suæ, nihil aliorum, per quos seductus sit, fraudi; nihil vel ipsius etiam diaboli machinationibus, aut mundi, carnisq; fascinationi; sed uni, soliqvè inconstantiæ suæ, temeritati, pravitati, superbiæ, & contumaciæ, omnia tribuendo.

2. Hic autem sinceritatis, humilitatis, & sui cognitionis actus hoc apud Deum efficiet, quòd non solùm peccatorum veniam clementissimus tribuet; sed etiam pœnas imminuet. Id quod Divus Ambrosius disertè docet, dum interrogantem Deum super cæde innocentis Abelis, & Caini mendacium, tanquam nesciret, occisum à se fratrem, expendens, postquam dixit, à Deo quidem argui negantem, & veluti à sciente responderi inficianti: (a) *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, peccantes autem admoneri ad pœnitentiam, mox appositam subdit rationem, ac dicit: (b) *Confessio enim, pœnarum compendium est.* Tanquam dicat Sanctissimus Pontifex: Confessionem esse tanti valoris, ut maximam suppliciorum pro peccatis commeritorum sustineat partem; imò tanquam Confessio pœnas omnes exhauriat, quas sibi prævaricator consciverat sustinendas. Idq; probat à judicii sæcularis consuetudine; quòd commiseratione citiùs Judices erga confitentem moveantur, quàm erga pertinaciter negantem: *Indè*, inquit, *in judicijs sæcularibus impositi equuleo torquentur negantes; & quædam tangit miseratio confitentis.* Ac prosequitur ultra: *Est quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio, crimen fateri, nec derivare culpam, sed recogno-*

(a) *Gen. 4. 10.* (b) *S. Ambr. de Cain, & Abel, l. 2. c. 9.*

cognoscere. Nimirum ipsa verecundia, pudor, & confusio, quam confitens ad conscientiæ tribunal sustinet coram judice Sacerdote, miserias, & fæditates suas auribus excipiente magna quædam est pœna, & omnium *pœnarum compendium*. Ideòq; Deus ob eam criminum sinceram confessionem, in qua neminem alium, quàm semetipsum accusat pœnitens, & omnem culpam uni sibi tribuit, acceptat in maxima pœnitentiæ portione. Sapientissimè propterea S. Gregorius: (a) *In hoc*, inquit, *mentis nostræ judicio tantò citiùs absolvimur, quantò nos districtiùs judicamus*. Id est; si rigidum suimetipsi9 agat pœnitens accusatorem, & judicem; si culpis suis in nullo blandiatur; si lapsus suos nec in societatem malam, nec in mundi fallacias, & fascinationem, nec in ipsius etiam diaboli fraudes, aut in ullũm alium, quàm in semetipsum retorqueat, & unius suæ tribuat inconstantiæ, & ingenii sui malignitati, quod est districtissimè judicare semetipsum, & condemnare; Deus ex infinita misericordia sua benignum, & clementem aget Judicem; sinceramq; confessionem magni supplicii loco reputabit, & citiùs absolvet: Qvia *Confessio, pœnarum compendium est*.

3. Quam in rem appositissimè scripsit S. Paulus Apostolus ad Corinthios, cùm ait: (b) *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur*. Scilicet oportet illum, qui convertitur ad Deum, inspicere benè conscientiam suam, & illam examinare, non ut vafrum, & ad legum interpretationem ex jurisprudentia mitiùs excusantem peccata patronum, sed ut severum, rigidum, & implacabilem judicem; si vult & malo suo verè mederi, & Deum placatum judicem experiri. Idcircò rectè S. Augustinus: (c) *Peccata, inquit, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt. Quia aut ab homine pœnitente, aut à judicio, Deo vindicante, plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus*

(a) S. Greg. l. 24. Moral. c. 7.

(b) 1. Cor. 11. 31. (c) S. Aug. in Sententijs Sent. 210.

tibus parcere; & , qui semetipsos judicant, non judicare. Undè quod Tertullianus dixit de pœnitentia, hoc idem quadrat etiam Confessioni: (a) *Cùm provolvit hominem pœnitentia, magis revelat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit.* Semper autem intelligendum est de Confessione tali, qualem hìc descripsimus: id est; humiliter, & sincerè confitens extra blandimentum omne conscientiam ut aperiat, rigidior in se judex, & exactor; quàm omnis alius. Ideòq; S. Augustinus inculcat, ac dicit: (b) *Peccata nostra judices nos sentiant, non patronos. Tu agnosce, & Deus ignoscit.* Et ex eodem S. Anselmus: (c) *Ascendat*, inquit, *homo adversùm se tribunal mentis suæ; constituat se ante faciem suam, atq; ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, indè quidam sanguis animi confitentis profluat per lacrymas, versetur ante oculos ejus imago futuri judicij; & quidquid in se viderit, quod à judice venturo reprehendi possit, aut puniri, ipsemet in se reprehendat, & puniat.*

(a) Tertull. de Pœnit. c. 9. (b) S. Aug. Serm. 88. de Temp. (c) S. Anselm. in cap. 11. Ep. 1. ad Corinth.

§. II.

Sincera Confessio non solùm peccatorum veniam impetrat, sed etiam gloriæ Cœlestis aliquam comparat securitatem.

1. *Veniabilis culpa, quam sequitur professio delictorum*, ait S. Ambrosius. Est enim ferè naturâ comparatum, ut læsum occupet miseratio, & ad ignoscendum mirificè provocet animum, quem sincera culpæ confessio studet emollire. Et causas hujus rei cùm adferre possint alias alii, mihi non inepta videtur hæc: quòd, sicut intellectus hominis ultra veritatis non tendit cognitionem, sed eam consecutus jam totus acquiescit, ita voluntas etiam intellectui facilè conformatur, eidemq; consentit ad inhærendum veritati; & ita non procedens ulteriùs vindictam quoq; vel minuit, vel penitùs intermittit, contenta

tenta cum intellectu cognoscente veritatem amare. Hinc in magno illo Imperatore Theodosio duo fuerunt admiranda. *Primum*; quòd tunc ad veniam erat facilior, cùm magis irasceretur. *Alterum*; quòd nulli non daret veniam, qui culpam confiteretur. Utrumq; hoc Divus Ambrosius in Oratione, quam in illius habuit morte, eximiè deprædicat, ac dicit: (a) *Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cùm rogaretur ignoscere: & tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio major iracundiæ.* Et paulò pòst: *Vincere volebat, non plectere; æquitatis judex, non pœnæ arbiter: qui nunquam veniam confitenti negabat.* Quòd si tantum apud hominem mortalem valebat Confessio, ut nunquam frustraretur speratâ veniâ: an non magis etiam apud Deum, qui totus bonus, imò ipsa bonitas est, locum & vim habebit veniam impetrandi?

2. Propositum hoc illustret illa divini Psaltæ parænesis ad prævaricatorē, sic eum compellantis, & ad Confessionem adhortantis: (b) *Revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet.* Quem in versum scribens S. Hieronymus interrogat; quidnam sit hoc, quod dicit; *Revela!* (c) *Numquid aliquid nescit Deus*, ut opus omninò sit, illi revelare? Et respondet: *Non: sed tu, quod habes in corde tuo, patefacere debes in sermone per confessionem tuam. Confitere ei actiones tuas, & spera in eo semper; & ipse dimittet tibi peccata tua.* Idipsum S. Ambrosius eleganter affirmans ait: (d) *Hoc solo versiculo, qualis esse debeas, declaravit. Quis enim revelat viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitro interna sui pectoris confitetur?* Sequitur autem: *Et ipse faciet.* Quid verò faciet Dominus occulta sua peccata sinceriùs revelanti? Respondet, ac mysterium pandit Hugo Cardinalis, cùm ait: (e) *Faciet: non dicit quid. Undè intelligendum est de proprio opere suo, quod est misericordia. Undè dicitur in Collecta: Deus; cui proprium est misereri semper, & parcere.*

(a) S. Ambr. To. 3. Orat. in morte Theodos.

(b) Psalm. 36. 5. (c) S. Hier. hic.
(d) S. Ambr. Enarrat. in Psalm. 36.
(e) Hugo Card. hic.

cere. Et hoc quidem, quantum ad veniam sinceræ Confessionis operâ facillimè impetrandam.

3. Videamus nunc, an etiam ad gloriæ Cœlestis aliquã securitatem idem ipse DEUS faciet? *Faciet* certè. Additur enim continuò: (a) *Educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.* Jam autem quæri potest hoc loco; quænam sit illa justitia, & judicium hominis in vera pœnitentia confitentis, quæ Deus *educet*, *justitiam* quidem *quasi lumen, judicium* verò *tanquam meridiem?* Quæstionem hanc egregiè solvit idem Hugo, dum versiculum istum ad propositum nostrum sic explicat: *Iustitiam possumus intelligere vindictam, quam sumit homo de seipso pro peccatis: judicium autem prudentiam, quâ bonum à malo separavit; & bonum plusquàm malum elegit, ut sumatur hic judicium & pro judicio discretionis, & pro judicio electionis.* Et concludit deniq; vir eruditissimus: *Educet ergò quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem, quando hæc omnia in futuro judicio omnibus revelabit, & pro his luce perpetuâ ditabit.* Quibus ex verbis non obscurè licet animadvertere, quantum apud Deum impetret sincera Confessio; quòd, si alia pœnitentiæ opera sunt vindicta de peccatis, multò magis ipsa Confessio vindicta maxima est, in qua totum se despicit, contemnit, & exinanit homo pœnitens ita, ut omnes aliæ pœnæ commeritæ pro peccatis in una Confessione ceu compendio comprehendantur. Et proptereà, cùm talis pœnitens humiliter confitendo peccata sua sit judex, & vindex in semetipsum, Cœlestis etiam gloriæ propositam habet aliquam securitatem. Siquidem *hæc omnia in futuro judicio omnibus revelabit* Deus, *& pro his luce perpetuâ ditabit.*

4. Doctrinam hanc confirmat collateralis innocenti Christo Domino pendenti è Cruce latro. Hic pro delictis suis etiam ipse pendens è probroso stipite postquam aspirante divinâ gratiâ non solùm flagitia sua penitùs inspexit; sed

(a) v. 6.

ſed etiam ipſum mundi Servatorem, & ſalutem noſtram Chriſtum cœlitùs illuminatus agnovit, ut ab innocente Domino, nocens ipſe tàm veniam delictorum, quàm gloriæ Cœleſtis, & patriæ ſecuram, utpotè morti jam in extremo ſupplicio vicinus impetraret hæreditatem, aliud ſpei ſuæ remedium, ſolatiumqvè non quæſivit, quàm Confeſſionē: publicè ſceleratam vitam ſuam in Cruce tanquam in tribunali confeſſus, id ſupplicii genus juſtiſſimè peccatis ſuis infligi: (a) *Nos quidem juſtè patimur; nam digna factis recipimus.* Et potuit latro pœnitens magis heroicam actionem exhibuiſſe, quàm palàm, & ſincerè confiteri, ſe criminum ſuorum dignas, & juſtas in patibulo dare pœnas. *Digna factis recipimus.* Dixit, confeſſus eſt, & peccatorum veniam, ſimul & gloriam paradiſi ſub his imploravit verbis: (b) *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum:* In hoc nimirum totam impetrandæ veniæ, & æternæ vitæ conſequendæ conſtituens energiam, ſi Dominus in regno ſuo meminiſſet ſui. At clementiſſimus JESUS & veniam mox indulſit, & Cœleſtis gloriæ certum reddidit: (c) *Amen dico tibi; hodiè mecum eris in paradiſo.* Ecce ſinceræ Confeſſionis & meritum ſimul, & præmium. Gratiam, & gloriam conſecutus eſt: *Hodiè mecum eris in paradiſo.*

5. Id ipſum S. Cyprianus in Epiſtola quadam eleganter in hæc confirmat verba: (d) *Sic in Cruce latro confitens non tantùm indulgentiam meruit; ſed familiaris effectus, præmiſſus eſt in paradiſum, & factus eſt particeps regni per Confeſſionem, factus collega martyrij.* Divum Cyprianum imitatus Petrus Damiani loquens de Confeſſione, paulò prolixiore ſententiam hanc exponit oratione, dicitqvè: (e) *Hæc via communis ad Deum; fons tàm juſtis, quàm peccatoribus patens, puteus, qui criminum abundantiam abundantiore liquore detergit; primam reddit innocentiæ ſtolam; & fugitivum filium in paternos reduxit ample-*

(a) *Luc. 23. 41.* (b) *v. 42.*

(c) *v. 43.* (d) *S. Cypr. Ep. ad Fabian. citat. à Cornelio hìc.* (e) *Petrus Damiani Serm. 1. de Dedicat.*

amplexus. &c. In hoc fonte felix ille volutatus est latro, qui brevi fonte, Crucis de patibulo ad regnū, de supplicio in paradisum, translatus est: Consummatus in brevi explevit tempora multa; scilicet per fontem Confessionis & veniam consecutus, & gloriæ securitatem.

§. III.

Sincera Confessio mentem serenat, & in obsequio DEI reddit alácriorem.

1. Ex sincera Confessione major fructus etsi vix vel expeti, vel expectari jam deberet, quàm expensus hìc superiùs; eò quòd ultra veniam, & vitam in Cœlo beatam, aliud non quærat pœnitens. Qui postquam Deo reconciliatus, indulgentiam consecutus est, nec terrena jam curat commoda, quibus impensissimè totus inhiabat olim, nec ipsa Cœli gaudia tantoperè jam habet in pretio, contentus majore portione, Cœlum, terram, & omnia comprehendente, Deo videlicet summo bono, cujus gratiam, amicitiam, & possessionem, in hac etiam mortali vita, mundatus à peccatorum sorde, quodammodò jam prægustat; ideòq; cum sancta illa exclamat anima: (a) *Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Ubi defectio, secundùm S. Hieronymum, non pro diminutione, sed pro desiderio, accipienda est, ita ut anima pœnitens per sinceram expurgata confessionem, divinæ gratiæ splendore plena nihil ampliùs extra Deum desiderat, ipso tanquam verâ, perfectâ, & incommutabili possessione contenta. Etsi, inquam, fructus alius, quàm hic omnium excellentissimus ex Confessione sincera vix jam vel expeti, vel expectari deberet; tamen adhuc alius indè promanat animæ conversæ maximè necessarius ad reliqvum vitæ non solùm utiliter, sed etiam alacriter in obsequio Dei perseverandum. Et hic est mentis serenitas, & mira quædam alacritas animi; quâ tàm in-

(a) *Psalm.* 72. 25.

ceptam novam pœnitentiam, quàm vocationem suam deinceps sine tædio prosequatur.

2. Mentis ergò serenitatem ex sincera Confessione sequi solitam quod attinet: nascitur hæc ex divinæ gratiæ præsentia, mentem luce simul, & amore divino mirabiliter illustrantis, & accendentis. Habent enim peccata præter alias, etiam hasce tres qualitates, miseræ, quam occupant, animæ importunissimas. *Prima* est; quòd eam obscurâ vanitatis, & mendaciorum caligine teneant oppressam, ita ut, quod rectum est, pervidere nequaquam possit. Undè queritur alicubi talis anima, suamq; miseriam deplorans, ait: (a) *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Et alibi: (b) *Cor meum conturbatum est; dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Causam hujus obscuritatis, cæcitatis, & tenebrarum exponit suâ paraphrasi S. Hieronymus, & in persona conquerentis ait: (c) *Quia postposito veritatis lumine in tenebras decideram peccatorum.* Similes accusant tenebras illi, quos jam condemnationis in æterna supplicia præcipites egit sententia: *Ergò erravimus*, ajunt miseri, *à via veritatis; & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Adeò nimirum crudelis est peccatorum tyrannis, ut animum Cœlesti gratiâ destitutum in obscurissimo ignorantiæ carcere, nè lumen veritatis ad operandum benè, possit conspicere, teneat inclusum.

3. *Altera* peccati qualitas æquè animæ onerosissima, est: quòd præter teterrimum carcerem, gravissima quoq; injiciat vincula, ceu manicis, & pedicis constricto peccatori, adeò, ut nullum ad bonum aliquod movere se possit opus. Id quod eleganter exponit Oraculum Mediolanense Divus Ambrosius, cùm dixit: (d) *Qui facit peccatum, servus est peccati; semper in laqueis, semper in vinculis est; nunquam liber à compedibus; quia semper in criminibus. Quàm misera servitus servire peccatis! Naturæ ipsius* nescit

(a) Psalm. 39. 13. (b) 37. 11. (c) S. Hieron. hic.

(d) S. Ambr. lib. de Nabuth. c. 6.

nescit munia, nec somni ipsius novit vices, aut cibi fruitur suavitate. Pariter os illud aureum S. Joannes Chrysostomus idipsū egregiâ similitudine illustrans ait: (a) *Quemadmodum, si Rex quispiam barbarorum servus fiat, omnium est miserrimus: sic qui in peccato vivit. Barbarum namq; peccatum est. Quod cùm animam semel captam ita, ut contra suadere nesciat, in suis sordibus demerserit, sub tyrannidem redigit.* Sub tyrannidem, inquam, durissimam, in qua miser peccator vinctus, & compedibus, atq; catenis oneratus, alligatusqvè, serviendo miseram servitutem, *naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsi9 novit vices.*

4. *Tertia* peccatorum indoles, & qualitas est; quòd incumbant animæ instar gravissimi cujusdam oneris ita, ut continuè gemat quidem peccator, sed nunquam experiri possit aliquod levamentum. Hinc illa suspirantis animæ sub delictorum onere ponderosissimo lamenta: (b) *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Sicut pondus grande* (S. Hieronymus (c) aliter effert) *sic peccata mea super me.* Et S. Joannes Chrysostomus ad Theodorum Monachum lapsum: (d) *Benigno, inquit, jugo dißipato, abjectoq; onere levi, in vicem illorum ferreis vinculis collum insertâsti; &, quod ampliùs est, lapidem molarem, quem asinariam nominant, de tua ipsius cervice dependisti.*

5. Jam igitur omnem hanc tyrannidem peccati tollit sincera Confessio. In primis enim lumen, & splendor divinæ gratiæ mentem illustrat, & totam reddit serenam, simulatq; revelaverit peccator injustitiam suam. Ad quod propositum observat Divus Ambrosius in illo Psalmi versu, quo confitetur David pœnitens; se conceptum in iniquitatibus, & peccatis, at continuò post eam Confessionem lumine veritatis illustratum, cùm ait: (e) *Ecce enim veritatem dilexisti; incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.* Dicit ergò Sanctissimus Præsul: (f) *Dum hæc dicit, & pecca-*

(a) *S. Joan. Chrysost. Homil. 8. in 1. Corinth.* (b) *Psalm. 37. 5.*

(c) *S. Hieron. hic.* (d) *S. Jo. Chrys. ad Theod. lapſ.* (e) *Psalm. 50. 8.* (f) *S. Ambros. Apolog. David. cap. 12.*

catorum specialium, atq; communium colluviem confitetur, subitò ei splendor veritatis, & candor gratiæ spiritualis effulsit. Et inferiùs paulò Davidem introducit ita gratulantem sibi: *Ecce jam non in umbra, nec in figura, nec in typo; sed in veritate lux aperta resplendet. Ecce nunc veritatem aspicio; splendorem veritatis agnosco; nunc te majori, Domine Deus noster, veneror affectu. Ecce enim veritatem dilexisti, non per speciem, non in ænigmate, sed facie ad faciem te mihi, Christe, demonstrâsti: in tuis te invenio Sacramentis.*

6. Undè verò tanta gratia, tanta lux, fulgor, & splendor affulsit animæ? Indè: qvia Deus in delictorum Confessione dilexit veritatem; illam scilicet veritatem, quâ conscientiam humiliter, verè, ac sincerè confitetur, & aperit; agnoscendo, se vel ab ipso statim sui conceptûs in utero matris exordio non aliud, quàm iniquitatum, & immunditiæ fuisse vas, & adhuc esse: *In iniqnitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hanc, inquam, veritatem, qvia de se dixit fidelis anima, Deus respexit, & dilexit: *Ecce enim veritatem dilexisti.* Et ideò quoq; subsecuta statim, & exorta Cœlestis lux, & illuminatio mentem mirificè serenavit, illuminavit, & divinarum illustrationum participem cumulatissimè fecit, dispulsisqvè omnibus undiqve mendaciorum, falsitatum, & fascinationum carnalium tenebris, *incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.* Igitur pœnitens anima, postquã peccata sua sincerè confitetur, verè Christum invenit *in Sacramentis* pœnitentiæ, & Venerabilis Eucharistiæ cum mentis serenitate; quem ante Confessionem invenire non poterat; jamq; Cœlestis illustrata gratiæ splendore tota fertur in Deum, & absorbetur in illo, majore jam affectu, ac desiderio, quàm aliàs unquam: quod inter offusas peccatorum tenebras non poterat impetrare.

7. Solvit & vincula peccatorum Confessio sic, ut, quæ fuerat anteà pigra, ad virtutũ exercitia prorsùs immobilis anima;

nima; qvia ſenſibus ad iniquitatum laqueos, & vincula catenatis, aliud agere non potuit, quàm quòd inſtar mancipii cogebatur volvi de peccato in peccatum, nec manus, nec pedes ad opus aliquod bonum movere; jam per Confeſſionem criminum in libertatem aſſerta gratias agit Deo liberatori ſuo, ſeq; totam illi dedicat, & offert in holocauſtum, atq; cum regio Pſalte feſtivum concinit epinicion: (a) *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* In quæ verba ſcribens S. Hieronymus ea quidem ſolis tribuit Martyribus, ac dicit: (b) *Martyr, ſi & poſt baptiſmum peccaverit, tamen ſecundo baptiſmate martyrij abſolutus, ſecurus vadit ad Dominum.* Mox autem alacritatem martyris ad tormenta pergentis, & magno animo exclamantis: *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, exponens, etiam de Religioſis martyrii quoddam genus ſectantibus in vitæ puritate, continuaq; mortificatione, ſic addit: *Hæc eſt laus martyrum. Sicut enim martyres laudant Deum purè in regione vivorum; ita & Monachi, qui die, & nocte pſallunt Domino, debent eandem puritatem habere martyrum: ſiquidem ipſi martyres ſunt.* id eſt; quorum tota vita prolixum martyrium eſt. Ex qua Sancti Doctoris ſententia rectè demùm concluditur; Religioſum lapſum, ſed Dei miſeratione converſum, & pœnitentem, poſt vincula peccatorum per Confeſſionem dirupta, verè ad novum martyrium tàm corpus, quàm animam offerre in gloriam Dei. Et ita Martyr etiam ſine ſanguine lætus ad religioſæ profeſſionis exercitia coram Domino proteſtatur: *Dirupiſti vincula mea; tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

8. Deponit tandem & graviſſimum peccatorum onus, ac molam aſinariam è collo pendentem præcidit, & abrumpit Confeſſio. Hinc Doctorum Aquila Divus Auguſtinus acutè de latrone de Cruce pendulo advertit; ipsũ non auſum fuiſſe priùs in regno Chriſti Domini rogare memoriam ſui, niſi poſtquam grande peccatorum per Confeſſio-

(a) *Pſalm.* 115. 17. (b) *S. Hier. hic.*

fessionem deposuit pondus: (a) *Et dicebat*, (argutè vir Sanctus ait) *non est ausus antè dicere*; Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum, *quàm per Confessionem iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorum deponeret.* Nimirum Confessio delictorum fecit, ut exoneratus gravissimâ scelerum sarcinâ jam audentior fuit ad orandum, ad implorandam veniam, ad in Cruce Christum Dominum, ejusq; divinitatē, & potestatem regiam confitendum, ad cum ipso in acerbissima probrosi supplicii pœnitentia moriendum. Cæterùm totam propositi hujus materiam expedit pulcherrimè S. Laurentius Justinianus, cùm ait: (b) *Confessionis Sacramentum velut sinus pacatissimus est; in quo hominum conscientiæ religantur, nè à procellis absorbeantur delictorum: dejecta eriguntur; amissa reparantur; & quidquid immunditiæ inundantibus tentationum procellis, aut operante malitiâ, in navim conscientiæ perfusum est, reijcitur, & purgatur.*

9. Tantis ergò sublatis ab anima per Confessionem peccatorum impedimentis; illâ videlicet atrâ caligine, quæ mentem hactenus intra delictorum obscuritatem offundebat; illo teterrimo carcere, vinculis, & catenis, quæ miseram animam in summa vivendi licentia, flagitiorumq; fæditate tyrannicè attinebant; illo gravissimo onere, & molâ asinariâ, quæ lapsum, & fortasse centies, & ampliùs lapsum, aut relapsum Religiosum in profundum iniquitatum, absurdarumq; fæditatū, ac scelerum mare demersum, jamjam præfocabat, tandem per sinceram Confessionem liberatus, ô quantum subitò divinæ lucis, & gratiæ fulgorem in anima experitur! Tot manicis, pedicis, sed & mole onerosissimâ, quæ sibi misero incumbebat, jam expeditus, & in libertatem assertus, ô quàm alacriter viam mandatorum Dei, religiosæ vocationis, & professionis, exercitationum, & actionum heroicarum jam pergit currere! In rebus arduis imperterritus, in difficilibus invictus; in horridis,

(a) S. Aug. Serm. 130. de Temp. (b) S. Laur. Justin.

dis, acerbis, & aſperis alacer, ac lætus. Verè jam tunc impletur in ipſo illud Evangelici vatis Oraculum; quòd non ampliùs in homine, carne, aut mundo confidet: ſed *ſperabit in Domino; mutabit fortitudinẽ; aſſumet pennas, ut aquilæ; curret, & non laborabit; ambulabit, & non deficiet.* (a)

CAPVT V.

§. I.

Etiam qui malè cœpit, & meliores ætatis annos in ſua Vocatione perperam impendit, poteſt benè finire.

1. Ea ſolet eſſe propoſitorum humanorum inconſtantia, ut, quod bonum in animo ſuo probat, & conſtituit homo, vel levitate potiùs, quàm conſilio ſerio, muturâq; deliberatione ductus adit inſtitutum, fortaſſis etiam genio ſuo, & indoli minimè adæquatum, facili poſtmodùm de cauſa mutato propoſito, ſicut iſte ſemper in iisdem vitiis, quæ ſecum in clauſtrum intulit, hærens, nunquam bona ponit initia, ſic & ille mutabilis, in alium, abeat ſenſum; & ita neuter incipiat benè; mores, & inclinationem, ac vitia retineat eadem; & inter mala principia boni quoqvè finis oblitus, habitu ſolùm, & nomine Religioſum agat, non autem vitæ, morum, inſtituti, & regulæ profeſſione: planè ſicut ille, qui ducturus in tabulam rectam lineam rudi tantùm, & abſq; regula ſicut incipit extra rectum à primo puncto deflectere manu, calamo, vel penicillo; ſic nonniſi ſinuoſam huc, & illuc, ſurſùm, deorsùm evagando producet, nuſquam initiali puncto rectè, & è diametro reſpondentem. Ad eundem modum iſte ſeu tyro, ſeu profeſſus qvia prima ſtatim manu quodammodò fallere cœpit initia, nec unquam ſpiritum religioſæ vocationi conſentaneum animo concepit; ſed communi vivendi generi, caſu tantùm, non autem ex deliberato, profeſſioni, & exercitiis religioſis intentus; ideò benè quoq; progredi nequaquam poteſt, ſed neqve vult.

(a) *Iſa.* 40. 31.

Qvia malum exordium nec bonum propositum, nec bonum ducit progressum. Et est deniq; verum, quod Spiritus Sanctus in libro Sapientiæ notatum esse voluit: nempè quòd *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* (a) Sit aliquis adolescens etiam innocentissimus, & omnis expers malitiæ: nihilominùs ea est concupiscentiæ, cum qua nascitur homo, inconstantia; ut tanquam fascino quodam circumventa juvenilis indoles ex bono facilè transvertatur in malum; & ibi fingat sibi propositi sui rectum tramitem, quò temerarius animi rapit impetus; & quædam experiendi curiositas; non autem quò Spiritus Sanctus, qui semper agit suaviter, & nunquam violentus est, vocat, & ducit.

2. Contingit igitur ex hac humanæ mentis ob nugacitatis fascinum vera bona plerumqve obscurantem, inconstantia; quòd vel non seriò bonum sibi propositum aggrediatur; vel non eò, quò divinus impellitSpiritus, mentem, & acta sua dirigat homo, vel non eum finem, ad quem religiosa tendit vocatio, sibi proponat; vel media, quæ ad sanctum hunc finem, qualis est vitæ perfectioris consecutio, pertinent, multum improbet; vel deniqve sub ratione boni cujusdam alterius, quod nihilominùs aut malum, aut saltèm ab aliqua specie mali non alienum est, seductus mutet propositum ex proposito, & ita nullum instituti suscepti bonum ponat principium, contentus vivere secundùm sensum, & persuasionem humanam; non autem secundùm spiritum, qui semper carnis illecebrosis sensib9 adversatur, vitam instituere. Undè nihil mirum est; quempiam, etsi duci quidem videatur, quin & ducitur, curâ, studioq; Magistri, vel Patris Spiritualis, qui certum divinæ operationis instrumentum est, bonum quâ potest industriâ instillantis, malè tamen incipere; nec percipere ea, quæ sunt spiritûs, & ita perperam Vocationis opus pro-

(a) Sap. 4. 11.

prosequi. Nam inconstantia concupiscentiæ dominatum obtinet, ut humana mens instar rhombi in gyrum circumacta nusquam consistat firma tamdiù, donec ad veritatis lumen (quod divinæ miserationis, & gratiæ peculiare donũ est) aperiat oculos, ibiq; divinitùs illustrata in manifesto Cœlestis lucis fulgore clarum pervideat, perspiciatq; tàm suum ad Dei comparationem nihilum, & inane; quàm rerum omnium creatarum, quas summo studio sectabatur hactenus, putissimam vanitatẽ.

3. Hæc autem ad semetipsũ, & ad vitæ suæ, quam parùm ex decoro secutus est Religiosus, inconstantiam, & evanidas sensuum illecebras ex quacunq; tandem occasione, causa, & impulsu sive interiore, sive exteriore, (sic ut dicam) reflexio non habet initium à naturæ semper ad malum ab adolescentia sua pronæ impulsu; sed est instinctus, & motio Dei vocantis ad pœnitentiam, & nolentis animam in bonæ professionis malè cœpto perire. Cùm igitur semel, iterum, ac pluries animum, & conscientiam hæc admonitio, sive motio vellicat, & pulsat; tanquam Dei singulare donũ, & gratiam, pulsum hunc agnoscat malus hucusqve, solùmq; nomine tenus, & habitu Religiosus; & corrigat malè cœptum, ac pedem referat in eum tramitem, qui cæteros, cum quibus vivit, ad studium ducit perfectionis. Neqvè putet is, qui malè cœpit, & fortassis etiam diù in pervicacia sua perseveravit, exercitationem aliquam bonam animo sincerè Deo serviendi nunquam exsecutus semper idem, qui cum malis habitibus in claustrũ venit, inconstans, insolens, hypocrita, cuticulæ, non autem spiritûs curator, impostor, & vanitatis sectator; non putet, inquam, hic talis esse sibi præclusam viam ad probitatem, ad religiosæ professionis serium exercitiũ, ad malè cœpta corrigenda, & ad emendationem. Sicut enim invitamentum ad pœnitentiam, Dei vocatio est; nam (a) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est,*

(a) *Jac.* 1. 17.

descendens à Patre luminum, Divus Jacobus Apostolus ait; ita qui inspirat, pulsat, & benignè vocat, dare paratus est gratiam ad benè tandem incipiendum, proficiendum, & perficiendum. Ideòqve quantumcunq; malè quis incepit, & benè, religioseq; vivendi rudimentorum incapacem hucusq; se præbuit, non est, cur propterea non corrigat errorem. Sed cognito, quòd procul aberret à via veritatis, in se reversus audiat dicentem sibi Prophetam: (a) *Derelinquat impius viam suam* à malo principio in absurdissimos errores ad hæc usq; tempora ducentem, *& vir iniqvus derelinquat cogitationes suas; & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus: & ad Dominum Deum nostrum. Quoniam multus est ad ignoscendum.* Audiat, inquam, & dicat ex animo cum illo convertente se ad Deum: (b) *Dixi; nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

4. Undè nullum jam dubium est; quin Deo bonam voluntatem per prævenientem gratiam & concomitantem promovente, benè finiturus sit. Incepisse malè, humanum erat: jam malè cœptum corrigere, & in bonam orbitam reduci, & redire, sicut DEI gratiâ suâ prævenientis est; ita benè prosequi, & finire, tàm Dei miserentis, & adjuvantis est, quàm & hominis liberè agentis, ita ut Deus operetur in liberè agente perficere, continuando videlicet eandem gratiam, quâ misericorditer operatus est velle. Hinc rectè Divus Paulus Apostolus, postquam patheticè Philippensibus inculcavit, ut *cum metu, & tremore salutem* suam operentur, hanc adhortationis subdit rationem: (c) *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate sua. Velle,* inquam, præveniendo, excitando, & promovendo; *perficere* autem non sine vobis cooperantibus continuando: idqvè *pro bona voluntate sua,* & immensa liberalitate erga salvandos. In eadem Apostoli verba scitè S. Augustinus: (d) *Deus, inquit, est, qui operatur in nobis Velle, & operari. Certum*

(a) Isa. 55. 7. (b) Psalm. 76. 11.

(c) Phil. 2. 13. (d) S. Aug. de grat. & lib. arb. c. 16.

tum est; nos facere, cùm facimus; sed ille facit, ut faciamus, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis. Luculenter autem, & pulcherrimè docet etiam S. Bernardus; quomodo Deus hæc tria, videlicet *Cogitare, Velle, Perficere,* operetur in nobis: [a] *Primum,* ait, *scilicet Cogitare, sine nobis; Secundum, scilicet Velle, nobiscum; Tertium, scilicet Perficere, per nos facit.* Ac statim seipsum explicans ait: *Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensũ jungit; ministrando consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internꝰ opifex innotescit.*

5. Cùm igitur cerum sit; quòd Deus suaviter pulsando, *Velle* præveniat illius, qui malè cœperat; eodemq; DEO suggerente cogitat jam incipere benè, proficere, & perficere; superest, ut præventus, & excitatus humiliter cooperetur Deo ministranti facultatẽ consensui, & bonum opus perficere pro bona voluntate sua intendenti: ita tamen cooperetur, nè id opus attribuat vel suæ voluntati, vel necessitati Dei liberum arbitriũ cogentis. Sed diligenter auscultet, quid iterum dicat Divus Bernardus; qui superiorẽ doctrinam suam, cùm *Cogitare,* & *Perficere* sæpè non sit in potestate nostra, sic concludit: [b] *Cavendum ergò; nè, cùm hæc invisibiliter intra nos, ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, quâ plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat appetitũ; sanat, cùm immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, nè sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat; in cæteris comitetur, ad hoc utiq; præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur; ita tamen, quòd à sola gratia cœptum est, ab utroq; perficiatur; ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim; per singulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt.* Hucusq; S. Pater Claravallensis adeò disertè, ut ejus verba

[a] *S. Bern. de Grat. & lib. arbitr. ad fin.*

[b] *Idem ibidem.*

ulteriore non indigeant explicatione ad benè *velle*, *operari*, & *perficere* illi, qui malè cœpit, conversus autem, aliter, id est, benè prosecutus est, & finivit benè suam professionē.

§. II.

Malum principium subindè major est ad benè finiendum stimulus.

1. Est certè commiseratione dignum, videre quempiam ad ipsa religiosæ vocationis initia minùs religiosè vivere, nec ad ea, quæ suscepti requirit instituti status, animum applicare: videturq; Religiosus ejusmodi nullam inter sæcularem, & religiosam, quam obligatus est profiteri, vitam ponere differentiam; mores, quos secum intulit in claustrum, pravos; affectus, & passiones inordinatas, habitus alienos à religiosa professione, consuetudinem malam secum attulisse, non ut ista corrigat, frenet, ac succidat; sed ut cum aliis etiam communicet, in alios diffundat, & novam quandam Libertinorum erigat Synagogam. Qui licèt principio, præsertim in tyrocinio, non solùm pravam indolem, & sinistrum propositū magnâ quâdam arte scit occultando dissimulare, sed etiam specioso modestiæ, scilicet violentæ, pietatis, & devotionis pallio tegere, (secùs enim ad professionem non haberet successum) & omnibus, quibuscum agit, egregiè velum obtendere; quin etiam per actionum indoli pravæ contrariarum frequentationem, aliquam morum mutationem sensim in meliùs (ut videtur) induere: cùm intereà, quia nihil serii fuit in proposito, nec nisi respectus quidam ad virtutis, & bonarum exercitationum speciem induxit; ideò fictum, commentitium, & violentum studium durabile saltèm est tamdiù, donec ad professionem admissus, in commune cum professis consortium susceptus, ad studia promotus, & ad scientias, aliquantò liberiorem confingit sibi magis, quàm habet, campum. Et tunc ingenii pravi se jam explicat inclinatio; mores,

mores, habitus, & mala consuetudo prodeunt in apertũ; linguæ procacitas, animi fastus, affectuum inordinatorũ effrenatio, cervicis ad obediendum durities, amoris, & judicii proprii pertinacia, in omnem deniq; licentiam effusa petulantia, magno Superiorum dolore, contubernalium infirmiorum ruinà, communitatis totius dispendio, sæcularium eam licentiam considerantium offendiculo.

2. Nec alia conversationis hujus insolentissimæ causa est; quàm quòd malè cœperit; & ubi probitatis ingenuæ ponendum erat solidum fundamentum, ibi radicem in claustrum improbitatis illatæ magis solidavit hypocrisis. Vivit igitur sine lege, correptionis impatiens, disciplinæ refractarius; culpæ, vel pœnæ pro culpis impositæ, contemptor, & durus detrectator, observantiæ religiosæ corruptor. Sed Deus, qui prædestinationis ejus effectũ juvandum, ac promovendum aut gratiæ Religionis reservavit, aut sanctis orationibus aliorũ permittere voluit; aut ipsius posteà convertendi pro multorum ædificatione sapienter ferventiori studio dissimulavit, (*novit enim Dominus, qui sunt ejus*) tandem ita mutat, & ad pœnitentiam vocat efficaciter, ut refractarii voluntatẽ emolliat, & ad assentiendum bonis instinctibus inflectat. Id quod verè Dei gratiâ suâ suaviter prævenientis, non hominis ipsius, est opus, dicente Threnico Prophetâ: (a) *Converte nos Domine ad te*, per gratiam scilicet prævenientẽ, & excitantem; *Et convertemur ad te* per voluntatem adjuvanti gratiæ cooperantem. Ideoqvè scitè Corderius super illud apud Jòélem invitamentũ suavissimum, ac planè paternum, *Convertimini ad me in toto corde vestro*, (b) scribens ita Deum alloquentem inducit: (c) *Priùs quidem ego converti me ad vos, à somno peccatorum excitando, & vestram molliendo duritiem. Convertimini igitur & vos ad me, vocationi meæ respondendo, & meam inspirationem accipiendo; ut ego tandem convertar ad vos, justificando, & gra-*

(a) *Thren.* 5. 21. (b) *Jòél.* 2. 12.
(c) *Corder. in Job Elucid.* c. 29. 2.

gratiam, atq; amicitiam meam vobis dando. Et inferiùs paulò: *Primò*, inquit, *clementissimus Dominus, & verissimus miserationum Pater, peccatorem in peccatis dormientem excitat; fugientem vocat; & nullis ejus poscentibus meritis, imò multis divinam indignationem provocantibus demeritis, ad supernaturalem amicitiam suam, & familiaritatem invitat.*

3. Religiosus igitur hucusqve malè moratus, & pessimè conversatus, ac sine spiritu, sine regularum observantia, sine ullo spirituali animæ fructu, postquam vel malè cœpit, vel à benè cœpto descivit, & initia bona mox invertit, sed tandem in se reversus, excitante Deo, vitam, & conscientiam suam inspicit, malæq; suæ conversationis examinat statum; salutis etiam periculum, in quod se conjecit, dispicit; ingratitudinem suam ergaDeum Optimum pro tàm manifesto divinæ gratiæ testimonio, quòd è medio mille discriminum animam perdendi sit ad Religionem vocatus, securum videlicet salvandi sui portum, agnoscit; abusionem etiam divinarum illustrationum, aliorumq; donorum tàm naturalium, quàm supernaturalium diligenter advertit; quomodo bona consilia, monitaq; salutaria contempserit hucusqve; tempus acceptabile, diesq; salutis inutiliter effluere permiserit; majorem melioris, ac vegetioris ætatis partem obsequio divino subtractam, vanitatum apinis impenderit; Deum vocationis scopo, Religionem optimâ spe, seipsum ultimo fine, beatitudine videlicet æternâ, frustratus sit. Hæc, & id genus alia, Deo pulsante, excitante, movente, & mirabiliter adjuvante dum penitùs inspicit; oritur in voluntate quædam anteactorum abominatio, detestatio, neglectorũ bonorum dolor, & pœnitudo; futurorum timor; aspirantis, præsentisqvè divinæ gratiæ delectatio, Dei monentis, moventis, & vocantis humillima veneratio; bonitatis ejus, qui tamdiù recalcitrantem sustinuit, admiratio; erga Deum, ejusq; sanctissimã legem

legem prompta summissio, & mentis, ac voluntatis obedientia; erga beneficum Creatorem, & ad hæc usq; tempora Conservatorem providum gratitudo, ita ut omninò constituat apud semetipsum non alii, quàm uni tantùm, paternâ planè providentiâ vitæ suæ transactæ statum ad meliora dirigenti servire Deo; qui etiam improbissimum se à beneficiis suis, & gratia, non exclusit.

5. Hæc ergò seria consideratio, quam Dei gratia præveniens excitat, conversionem inculcat, animam ad respondendum motioni divinæ provocat; ad apprehendendam disciplinam, ac pœnitentiam excitat, Deo videlicet interiùs operante; & dum ob sinceram delictorum detestationem, & confessionem justificans accedit gratia, removetur omnis asperitatis horror; amor in Deum effervescit ardentior; odium, & despicientia sui nascitur efficacior; & qui nuper in observanda regula fuit nullus, in oratione rarus, in culpis admittendis assiduus, in exercitiis ad religiosum institutum pertinentibus hypocrita, in edomandis inordinatis affectibus peregrinus, in votorũ custodia prævaricator subdolus; jam repentè mutatus, illos etiam anteit, & superat, quorum probitatem, & probatam vitam à multis annis nemo non probabat, laudabat, & suspiciebat. Et hoc Dei miserentis opus est; qui de lapidibus facere potest filios Abrahæ, & de tenebris educere lucem. Miraculum hoc (sic enim dicere licet) fecisse videtur Deus in Religiosis olim monasterii Fontanensis. Qui tepidum, & ignavum vitæ genus sectati cùm fuissent diù, haud dubiè Vocationis suæ vel nullo bono principio posito, vel à bono principio desciscentes, in pristinam, sæcularium more, conversationem degenerârunt, eos deniq; S. Bernardus admonitionibus suis ad fervidam, & perfectam religiosæ disciplinæ reduxit vitam, Deo scilicet per ipsum mirabiliter operante. Ideòq; posteà Sanctus idem Pater ad ejus monasterii scribens Ab-

batem, in hæc erupit verba: (a) *Digitus Dei est iste. Quis dabit mihi, ut transeam, & cum Moyse videam visionem hanc magnam? Nec enim minùs mira, minùsq́; jucunda ista promotio,* & miraculum *est*; *quàm quod* in rubo illo ardente, incombusto tamen, *Moyses conspexit.* Et paucis interpositis: *Multò facilius*, inquit, *reperies multos sæculares converti ad bonum, quàm unumquempiam de Religiosis transire ad melius* à vita tepida, remissa, & licentiosa.

5. At hi divinâ gratiâ postmodùm præveniente, excitante, & mirabiliter promovente illuminati, & adjuti, ubi disciplinam apprehenderint, adeò tenaces ejus sunt, tantoq; prosequuntur fervore, ut, quantum anteà Superiores in eorum frenanda licentia laboris adhibere conati sunt, ac desudabant; tantum operæ necesse sit in eorum cohibendo fervore nimio collocare. Alacres, generosi, fervidi, ad opera pœnitentiæ primi, ad actiones heroicas excitati; ut jam magis oporteat eorum mutationem admirari, quàm nuper arduum erat eorum segnitiem, ignaviam, & licentiam refrenare. Nimirum in erroris, & vanitatis adducti cognitionem compensant alacriùs intermissa, & anteactam licentiam rigidiore cohibent disciplinâ. Rectè propterea quidam è nostris Patribus in suo manuscripto, in quod fortè incideram: (b) *Sit inglorium*, inquit, *errâsse; tamen multis proficuum, imò etiam post erratum in orbitam justitiæ redactis gloriosissimum.* Adducit deindè Mendozam ad hoc propositum eleganter alicubi disserentem in hæc verba: (c) *Sacerdotes, & Levitæ Zorababele filio Salathielis, & Iosue filio Iosedech, qui ante captivitatem Babylonicam in suis ministeriis erant negligentes, post captivitatem diligentissimi exstiterunt.* Non absimilem Bachiani cujusdam ad eandem materiam recitat idem Pater sententiam ita scribentis: (d) *Nonné sic fecit ille Nazaræus* (intelligit Samsonem) *ex promissione natus? Quem cùm in perniciem sui, mulieris blandimenta vicissent; postmodùm*

(a) *S. Bern. cit. à Roderic. Part. 1. Tract. 2. c. 8.*

(b) *P. Joseph à Matre Dei Polon.*
(c) *Mendoza.* (d) *Bachian.*

modùm in fine obitûs sui sub martyrij passione majorem inimicorum exercitum prostravisse, quàm antè, quando Nazaræus, hoc est, immaculatus, fuerat, reperitur.

6. Ita & Religiosus, qui tanquam alter Samson immaculatæ vitæ, quam profitendā susceperat, infregit initia, à concupiscentia sua abstractus, & illectus, parùm modestè, nihil ad regulæ præscriptum, per omnem verò licentiam instituit vitam, deniq; suos agnoscens, ac detestans errores, surgit majore cum spiritu jam major seipso, fortior omnibus hostibus animæ, pugnat generosiùs, ac velut alter Samson vincit, ac *sub martyrij passione majorem inimicorū exercitum prosternit* gloriosiùs; & qui nec unum hucusq; vitium emendare studuit, jam adversùs omnes vitiorum cuneos alacriùs, & potentiùs irruit, prosternit, & fugat, verè jam *oblitus sui sub martyrij passione*, (qualis est religiosa professio) majorem infernalium hostium, *quàm antè, quando Nazaræus, hoc est, immaculatus*, sive (materiæ nostræ accommodatiùs ut dicam) quando claustrum ingressus, religiosum habitum indutus, per sacram Confessionem à peccatis admissis in sæculo mundatus, & immaculatus, vota religiosa professus fuerat, vicisse reperitur.

7. Et est fervoris hujus, acriorisq; spiritûs in resipiscente ad disciplinam ratio ferè triplex. *Primò*, quòd vehementiùs accendatur in vindictam negligentiæ, vel potiùs effrenatæ licentiæ suæ, quàm tunc, quando vitam auspicatus est religiosam, partim gratiâ divinâ fortiùs operante, partim sanctâ quâdam verecundiâ, rubore, & zelo contra tantam ignaviam, & malitiam stimulante. Ibi namq; temerarius inter sæcularem, & monasticam vitam vix aliquid discriminis habuit; hìc factâ jam comparatione, Deo efficaciùs adminiculante, gratiam Optimi Creatoris omni hominum favori, disciplinam omni libertati, seu licentiæ, æterna bona momentaneis, & caducis omnibus anteponit. *Deindè*, quòd consuetudine quâ-

quâdam licèt valdè langvidâ, religiosæ mortificationes usu quotidiano, quamvis ad externam tantùm speciem, sensim redditæ familiariores, gratiâ voluntatem ad easdem solidiùs adjuvante, non ampliùs illum adferunt horrorē, quem anteà, dum per socordiam exigua, vel etiam nulla spiritualium exercitiorum habebatur ratio, & cura: & jam illa Jobi verba de se quoq; dicere potest in sensu morali: (a) *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* id est: quæ propter supinam desidiam meam, & ignaviam, propter licentiam, & disciplinæ contemptum, exercitia spiritualia, mortificationes, inedias, & jejunia, paupertatis experientiam, & incommoda; precandi quoqve, carnem affligendi, passiones, & affectus inordinatos edomandi studium horrebam adeò, ut nè digito quidem ea, nisi coactus ob aliquem respectum, tangere voluerim; jam nunc præ temporis angustia, quod mihi reliqvum est ad pœnitentiam agendam, præ angustia etiam animi Deum meum anxiè quærentis, & divinam iram justè in me parantem ad vindicandum supplicia placare adnitentis; etiam præ rubore, pro vindicandi insaniam meam desiderio, *cibi mei sunt*; ut istis instar delicatissimarum epularum animū meum pascam; atq; contra omnia carnis superanda lenocinia magis convalescam, ita, ut pro amore Dei, veritatis, & virtutis, *præsentis vitæ cruciatus*, (ait (b) S. Gregorius) asperitates, & incommnda, *tantò pòst fortiùs appetam, quantò priùs infirma fugiebam.*

8. *Postremò* ratio est; quòd ob reliquæ vitæ brevitatem (semper enim moriturum se jam expectet, & omnem diem, horam, ac momentum suspectum habeat) quandam spiritualium exercitationum, & operum pœnitentiæ concipiat avaritiam, ita, ut quàm plurimum intra breve tempus congregare desideret. Et quemadmodum avarus in sæculo, quidquid pecuniæ, auri, argentiqvè corradere potest, non cogitat, quantum habeat,

(a) *Job.* 6. 7.

(b) *S. Greg. l.* 7. *Moral. c.* 7.

ſed quantum habere cupit, inſatiabili nummorum fame, ſitiq; flagrans undiq; deſiderata colligit, & in magnarum divitiarum ſpem accumulat, ut ſibi ſit benè, nullum intereà ſibi præfigens terminum fruendarum opum, ſemper egenus, inops, & ipſis etiam, quas habet, opibus deſtitutus. Ita Religioſus inopiam ſuam, virtutum, bonorum operum, & ſanctarum exercitationum, egeſtatem, in quam per neglectum, & ſummam incuriam ſuam incidit, arbitratus angitur vehementer, & quantumcunq; facit, & congregat, nihil facere ſe, nihil etiam congregare putat, non contentus unquam eo, quod facit, aut fecit; ſed in illud ſemper intentus, quod ſibi faciendum incumbit; diſpiciendo, quàm inops, & egenus operum bonorum ſit; quàm hucusq; nihil eorum, quæ ſibi necaſſaria ſunt, fecerit ad contingendum finem ſuum.

9. Figuram hujus rei præferunt illa quatuor apud Evangelicum Vatem, & in Apocalypſi Joannis, animalia: quorum unumquodq; tanto divini obſequii ſolerter explendi fervebat deſiderio, ſimulq; deſiderium hoc ſuum ferventiſſimum tantâ promovebat efficaciâ, ut (a) *in circuitu, & intùs plena oculis* ad pro divinis laudibus, & majeſtatis ſupremæ juſſibus invigilandū ibi jam eſſent affectu, quò greſſibus adhuc minimè contingebant. Horum alacritatem, & promptiſſimum, indefeſſumq; animum obſequendi, graphicè non ſine magna energia ſatis innuit illa Iſaiæ phraſis: (b) *Vnumquodq; eorum coram facie ſua ambulabat. Vbi erat impetus ſpiritûs, illùc gradiebantur; nec revertebantur, cùm ambularent*; ſcilicet aliò non intenta, quàm ut metam contingerent, ad quam ſpiritûs impetus impellebat, ac dirigebat. Sic & Religioſus iſte jam Dei miſerante gratiâ poſtquā in orbitam rediit bonam, præ deſiderio proficiendi, ſed & perficiendi, quod incumbit, reliqvum indefeſſus ambulat; nec unquam ad nuperrimum, aut heſternum, aut hodiernū, & quodcunq; præteritum reſpe-

(a) *Apoc.* 4. 8. (b) *Iſa.* 1. 12.

ſpectat; ſed tanquam uno paſſu totum, quod ſupereſt, perfectionis iter perfecturus, omnia tàm intermiſſa, quàm in poſterùm facienda comprehendere cupit; & ibi jam eſt deſiderio, quò tendit proficiendo.

10. Cæterùm pro ſpiritualis hujus avaritiæ praxi ſolidiùs inſpicienda, atq; condiſcenda, ſicut & exercenda, remitto religioſum Lectorem ad *Proviſiones Senectutis per tres Partes diſtributas*, operâ, ſtudio, ſpirituq; verè religioſi P. Gaſparis Drużbicki Soc. JESU, viri in hoc genere illuminatiſſimi. Et cùm omnes; ac ſingulæ non ſine magno animæ profectu, fructuq; legi poſſint, tùm præcipuè Primæ Partis Proviſionem decimam; Secundæ verò Partis Proviſionē primam Religioſo ſive Vocationis, profeſſionisqvè ſuæ principia negligenter, & malè auſpicato; ſive per annos aliquot inſtitutum laudabiliter proſecuto quidem, ſed poſteà per humanam inconſtantiam lapſo, relapſoq;, diù etiam malè converſato, diligenter, & accuratè legendas, expendasq; commendo. Diſcet cùm ex aliis omnib9, tùm ex his duabus præcipuè; quid compenſare, quid ad perfectionis ſtudium deſiderare, quònam cum omnibus actionibus ſuis, bonis propoſitis, exercitationibus, aſpirationibus, ac deſideriis collineare debeat; quo compendio propter imminentem vitæ terminū multa, magna, ſuâqvè facultate prorsùs inſolubilia debita, quibus obſtrictus eſt Majeſtati divinæ perſolvere, non jam quantum vult, & debet, & deſiderat; ſed per humanam infirmitatem poteſt.

11. Hujus Authoris adhortationem pro converſi, pœnitentis, & vitam ſuam ad meliora dirigentis inſtructione ſit è re hùc inſeruiſſe. Sic igitur ille: (a) *Ergò inveteratè dierum tepidorum, & ignaviæ conſecratorum, vel nunc in effluentibus iſtis vitæ annis te reſpice, & ſaltèm ut eos aſſequare, quos longiſſimè præire, atq; poſt te relinquere & putabaris, & potuiſti, & debuiſti, inter tanta, inter tot auxilia divina, Sanctorum exem-* pla,

(a) *Part. 1. Proviſ. 5.*

pla, ſtatûs tui media, annorumq́ curricula. Quibus omnibus ſi ad usq́ hactenus non ex æquo, debitoquè reſpondiſti, imò penitùs, ut reſponderes, intermiſiſti, *in hoc quidem vitæ reſiduo non tantùm reſpondere, verùm etiam præteritas jacturas compenſare, nec tantùm compenſare, ſed etiam ſuperare toto animi conatu elabora.* Et alibi ſic exponit: (a) *Ex his autem luculenter conſtat; quid hac in parte faciendum ſit illi, qui per tot annorum vitæ ſuæ decades tantis gratijs Dei abundavit, & eis non utiq́ ſatis reſpondit hactenus. Hoc utiq́ reſtat, ut, invocato Dei adjutorio totum ſe ad hoc convertat, ſimulq́ aliquam rationem ineat; hoc eſt: talem ad acquiſitionem perfectionis in Dei obſequio conatum aſſumat, & adhibeat per hoc, quod adhuc reſiduum habet vitæ, ac temporis; ut & præteritarum, & præſentium gratiarum, beneficentiarumq́ Dei vaſtitatem, capacitatemquè exæquet. Quod quidem etſi forſitan re ipsâ minùs præſtabit; non parùm tamen coram bono Domino ſuo faciet, ſi totum, quod in ſe eſt, exclusâ omni negligentiâ, & ceſſatione, adhibito omni, quo prævalet, conatu, & inſtantiâ faciet. Sed ad hoc ipſum præſtandum exuere omnem præteritum inconſideratiùs, & negligentiùs, inordinatiùsq́ vivendi modum, induere autem, & exercere ordinatum, accuratum, præmeditatum, ſollicitum, & fatigari, ceſſareq́ neſcium oportet, exſtimulante ad id ſemper ſemperq́ tùm brevitate remanentis adhuc ad laborandum vitæ; tùm obligationis, & debitorum jam explicatâ immani, & immensâ mole, atque magnitudine.*

(a) *Part. 1. Proviſ. 10.*

12. Et hæc quidem inculcat memoratus Author iis, qui licèt graviùs lapſi non ſint, ſed tamen negligenter, & parùm accuratè vocationem tractabant ſuam: lapſus autem graviùs, & per ſummam licentiam profeſſionis, & inſtituti ſui religioſi per unam alteramvé decadem annorũ plus, aut minùs, contemptor applicet eundem negligenter exactum ſtatum ad ſuum pervicaciſſimum, in quo diutiùs perditè vivendo, Deum graviſſimè offenſum ibat, & videat; ad quanti damni, jacturæ, ruinæq; ſuæ reparationem ſit obligatus; & quantâ conténti-

tentione totum animum, omnes etiam cùm animi, tùm corporis vires, ac studia debeat applicare; & his etiam acriùs expensis, deniq; dum semetipsum impensè, diligenterq; colligit, magis ad avidè, fervidè, cæteris autem contubernalibus suis, solertiùs obsequio Dei, maximè pœnitentiæ, residuum vitæ suæ tempus impendendum exstimulatus accenditur, exardescit, & inflammatur.

§. III.

Qui propter respectum aliquem, puta propter admissum flagitium, aut aliam ob causam fictè Religionem ingressus, aut etiam professus, malè cœpit; potest nihilominùs finire benè.

1. Quocunq; proposito, vel quacunq; de causa religiosum habitum suscipere, vel demùm etiam vota nuncupare quempiam contingat, non illi propterea via præcluditur ad benè finiendum, postquam malè cœperat, & ad salutem animæ consequendam. Cùm enim tàm hic, quàm ille, quàm omnis homo creatus sit à Deo, non ob alium finem, quàm ut Creatorem suum amet, laudet, eoqvè fruatur in æterna beatitudine, non est dubium, quin Deus Optimus tàm illi, qui desiderio perfectiùs eidem Optimo Creatori suo serviendi, quàm huic, qui non expenso religiosæ vitæ statu, sed potiùs, aut miseriam suam sublevandi, aut hypocrisin suam exercendi, & hominibus egregiè imponendi, (quamquam paucissimos hujus generis impostores sit reperire) aut admissi flagitii pœnam commeritam effugiendi, aut importunitati parentum satisfaciendi causâ, temerariè, fictè, & hypocriticè Religionem ingressus est; non est, inquam, dubium, quin Deus Optimus paratus sit dare, sicut & dare solet, gratiam ad propositum male conceptum in meliùs commutandi. Cùm enim Deus communis omnium Pater, in omnes benignus, clemens, & misericors sit, faciens (a) *Solem suum oriri super bonos, & malos*, & pluens *super justos, &* inju-

(a) Matth. 5. 45.

injustos; & cùm velit omnes fieri salvos; simul etiam omnes ad pœnitentiam vocat, impostores, hypocritas, blasphemos, publicanos, sacrilegos, & nescio quibus aliis flagitiis, ac sceleribus infames, non requirit aliud ab unoquoqve peccatore, quàm conversionem, & pœnitentiam. Venit Dei Filius in hunc mundum, mortalitatis humanæ sagum indutus; circumivit Judæam, Galilæam, & alias circa regiones, & quàm multos, in Judæa præsertim, & Hierosolymis invenit hypocritas! quàm multi venerunt ad ipsum non tàm doctrinæ Cœlestis avidi; quàm ut vel caperent ipsum in sermone, vel tentarent, vel curiosiùs observarent; vel ut à docente peregrini quidpiam audirent, vel signum aliquod divinitatis ejus ut experirentur! non tamen ideò, quia tales erant, ipsos vocare; mentes, & conscientias eorum pulsare; conversionis offerre gratiam destitit: neqvè, conversos ad pœnitentiam, repudiavit; imò qui misericorditer ad ipsos dixit, (a) *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, idem omnes, quotquot ad ipsum venerunt, & conversi sunt, misericordissimè suscepit, gratiam contulit, veniam impertivit, amicitiâ suâ dignos effecit.

2. Jam sicut tunc se propitium omnibus exhibuit; sic & hodiè sinum suæ pietatis aperit omnibus, & in omnes. Sed multò liberaliùs in eos, qui relictâ improbitate viam arripiunt veritatis, ad justitiæ lumen aperiunt oculos, & ad Solem intelligentiæ convertunt cor pœnitens, adeò quidem, ut (b) *ita gaudium sit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ*. Undè quicunq; demùm, qualis, & quantuscunq; peccator est; convertatur ad Dominum, & convertetur Dominus ad ipsum. Ideòq; monet Divus Ambrosius, ac dicit: (c) *Nè vereare, nè te non recipiat. Non enim delectatur Deus perditione vivorum; jam occurrens venienti tibi cadit supra collum:*

(a) c. 11. 28. (b) Luc. 15. 7. (c) S. Ambr. Com. lib. 7. in Luc. c. 15. ad fin.

collum : Dominus erigit elisos: Osculum dabit, quod est pignus amoris, pietatis. Stolam, annulum, calceamenta, proferri jubebit. Tu adhuc injuriam metuis ; ille restituit dignitatem: tu supplicium vereris ; ille osculum defert: tu convitium times ; adornat ille convivium. Ita S. Ambrosius. Ex quo liquidè patet: nemini, etiam illi, qui fictè, vel necessitate quâpiam compulsꝰ, perverso proposito, Religionem ingressus est, & professus, ad conversionem, & pœnitentiam, ad gratiam & veniam, atqve justificationem, ad salutem, & beatitudinem æternã, aditum intercludi. Nec hoc terrere quempiam debet; quòd auspicatus malè nihil hucusq; boni fecerit; imò fortaßè pejor fuerit, quàm olim in sæculo; quòd hypocrita vixerit; habitum religiosũ pro forma tantùm gestârit; propositum nullum bonum habuerit, & id genus alia. Sed bonum principium tunc reputet, cùm declinare cœperit, & declinârit à malo, fecerit autem bonum. Non enim stanti surgendum est, sed jacenti. Non imponitur justo pœnitentia, sed peccatori: & quod lapso de statu justitiæ, relapso, malam consuetudinẽ diù secuto remedium est; hoc & isti, qui nunquam benè cœpit, semper malè vixit, agere benè nunquam cogitavit: & hoc in magna parte bonitatis, & probitatis censendum est, malo renuntiâsse, probitatem apprehendisse, bonum jam nunc inchoâsse.

3. Post mortem religiosissimi Regis Ezechiæ successit in paterni regni sceptrum, sed non virtutum, hæres impius Manasses. Regnandi principia profectò mala posuit: [(a)] *Ædificavit excelsa, quæ dißipaverat Ezechias pater ejus.* Erexit aras Baal, & fecit luces, sicut fecerat Achab Rex Isràël, impium Achab, non patrem religiosissimum imitatus. *Adoravit omnem militiam Cœli, & coluit eam.* Fecit ampliùs: templum Domini prófanavit, *& exstruxit altaria universæ militiæ Cœli in duobus atrijs templi.* Multa, paucis ut comprehendam: Fecit abominationes pessimas super omnia, quæ fecerant A-

(a) 4. *Reg.* 21. 3.

mor-

morrhæi ante eum. Et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis, monstrum impietatis, universo Judæ scandalum; Dei, divinorum, & sacrorum omnium hostis. Hæc fuerunt Regis Manasse, dum regnare cœpisset, initia. Quid igitur? an Rex principio pessimus, esse posteà bonus non debuit? Impius initio, finire desperatus? Paternæ, veræq; Religionis eversor, flagitiosissimam vitam debuit non corrigere? Absit. Nec casui tribuat aliquis, aut rerum humanarum mutabilitati; quòd exorto bello contra Jerusalem ab Assyriis captus, catenis vinctus, in duram captivitatē à barbaris abductus; regno, & regiis insignibus exutus sit: à Deo factum est ipsum ad saniorem mentem vocante; qui *superinduxit principes exercitûs Assyriorum, ceperuntq; Manassen, & vinctum catenis, atq; compedibus duxerunt in Babylonem.* (a) Methodus ea fuit, quâ Deus impii Regis insolentiam arguere voluit, & castigare; castigando ad pœnitentiam vocavit; ad gratiam, & justificationem ipsum disposuit; catenæ, vincula, & compedes, erant camus, & frænum, quibus illius indomitæ, ferocissimæq; belluæ maxillas constrinxit; recalcitrantem in bonam orbitam reduxit, & ferocitatem ejus compescuit. Subdit propterea sacer Historicus de Manasse; quòd (b) *postquam angustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum.* Non qvia malè cœperat, perseveravit in pessimè cœptis; nec qvia tanta mala perpetraverat, desperatâ veniâ, salutis remedia quærere; pœnam, in qua se deprehendit, libenter tolerare; catenas, & compedes, quibus erat constrictus, Dei manum ad saniora ducentem agnoscere, noluit. Non ita: sed ad Deum conversus, audi, quid dicat; quàm humiliter oret; quàm culpas agnoscat suas, & confiteatur: (c) *Tu igitur*, ait, *Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis Abraham, Isaac, & Iacob, ijs, qui tibi non peccârunt; sed posuisti pœnitentiam*

(a) 2. *Par.* 33. 11.

(b) *v.* 12. (c) *Oratio Manasse, quæ habetur extra seriem Canonic. libror.*

am propter me peccatorem. Quoniam peccavi super numerum a-renæ maris. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, Domine; multiplicatæ sunt iniquitates meæ; & non sum dignus intueri, & aspicere altitudinem Cœli præ multitudine iniquitatum mearum. Non feci voluntatem tuam; & mandata tua non custodivi. Statui abominationes, & multiplicavi offensiones. Peccavi, Domine, peccavi; & iniquitates meas agnosco. Sic oravit Manasses vinctus; sic peccata confessus est; sic ad pœnitentiam conversus est; & Deus (a) *exaudivit orationem ejus*, (uti sacra testatur historia) *reduxitq; eum Ierusalem in regnum suum. Et cognovit Manasses, quòd Dominus ipse est Deus.*

4. Jam & Religiosus quocunq; proposito claustrum ingressus, & vocationem suam perperam auspicatus, imò fortasè diutiùs malè cœpta prosecutus, in religiosæ disciplinæ catenas, compedes, & carcerem, velut alter Manasses, incidit; persuadeat sibi, non casu, neq; temeritate quâpiam magis, ac sine consilio, sine deliberatione id evenisse, quàm Dei nutu, consilio, sapientissimâqvè providentiâ, hunc injectum esse collo suo veluti funem, seu catenam, quâ traheretur exorbitans anima ad pœnitentiam, & occulto Dei judicio monasticæ professioni, tanquam inextricabili cuidam inclusum esse labyrintho; sicq; captum de peccatorum vinculis in meliorẽ assertũ esse libertatem, quàm in licentiosa vita si permissus fuerat interire. Quod dum agnoscit Religiosus quantumcunq; invitus, aut (ut ipse putat) temerè sive religiosum habitum suscepit, sive professus, at parùm religiosè, nisi tantùm ad speciem instituti regulam, asperitates, & id genus alia, sensui carnis plurimum adversa, progressus; & partim lectione spirituali, partim adhortationibꝰ, exemplis, tùm & internis inspirationibus, ac impulsibus excitatus, (quæ Dei miseratio, & vocatio est) advertit errorem suum; hanc autem, cui se intricavit professionem etsi moribus, & genio suo contrariam,

(a) 2. Par. 33. 13.

am, asperamqvè; saluti tamen æternæ comparandæ necessariam: dico plus; etiamsi nondum habeat hoc lumen, quòd religiosa professio sit ultimo fini, qui Deus est gloriosus, perquàm congrua, sed tantùm ut honestam vivendi rationẽ, & divinæ legi conformiorem, quàm fuerat vita sua, dum erat in sæculo, probaret: sciat nihilominùs, hanc esse DEI Vocationem ad pœnitentiam ducentis: ideòq; dicere potest cum pœnitente Manasse: *Domine Deus, posuisti pœnitentiam hanc propter me peccatorem. Peccavi, Domine, peccaui, & iniquitates meas agnosco.* Atqve hoc dicto jam novum incipiat vivendi genus: nec difficultatem horreat, nec veniam desperet, nec adjuvanti gratiæ diffidat; sed alacriter vota religiosa tanquam injecta sibi vincula suscipiat, exercitia spiritualia adeat, per sacram Confessionem anteacta delicta sua eliminet; & ita reducetur in regnum suum, rex futurus non populi, sed affectuum, & passionum suarum inordinatarum; sed concupiscentiæ suæ, cujus ipse mancipium hucusq; miseram sustinuit servitutem.

5. Nec ipsum deterreat, aut in animum ejus inducat desperationem emendationis hactenus flagitiosa vita, inter innumera Dei beneficia sine gratitudine, sine sedula beneficiorum Dei memoria, sine spiritu, sine divinæ legis, & consiliorum Evangelicorum observatione traducta. Rex, quem hìc commemoravimus, hem, quantus prævaricator fuit! quàm impia regnandi post Ezechiam patrem piè demortuum in juventute principia posuit! & Dominus ad pœnitentiam conversum non rejecit; deprecationem ejus audivit; pœnitentem, & sincerè confitentem à captivitate liberavit; regno restituit; gratiam, & auxilium ad vitam in melius mutandam, traducendamq; non negavit. Quare S. Joannes Chrysostomus id expendens, ita Theodorum Monachum lapsum erigit ad pœnitentiam, & ad optimam spem, ac dicit: (a) *Post Achab*

 Manas-

(a) *S. Jo. Chrys. Paræn. ad Theod. Mon. lapsum.*

Manasses cunctos insaniâ anteivit, ac tyrannide. Legalem evertit cultum; templum clausit; idolorũ errorem Deo adversum invexit, universis, qui ante se vixerunt, impietate præstans. Is posteaquam aliquando resipuit, relatus est in numerum amicorum Dei. Si conspectâ imagine suarum iniquitatũ de reditu desperâsset, ac de immutatione; decidisset profectò ab his bonis, quæ postea obvenerunt. Nunc verò quia perpendit, quàm exiguum sit vel excessus tantus suorum peccatorum respectu infinitæ commiserationis Dei, diaboli vincula dissipavit, evasit victor, bonum cursum consummavit. Hucusq; S. Joannes Chrysostom9. Eadem prorsùs est in claustro malè, & licentiosè vitam suam transigentis ratio. Qui demùm ad pœnitentiam vocatus, etiamsi per aliquam temeritatem, inconsiderantiam, (sicut nonnulli subindè suam aliquam accusare solent susceptam professionem) per hypocrisin, imposturam, & nescio quo nomine vocandam aliàs malitiam, ingressus Religionem, aut etiam professus; tamen in se reversus ubi divinam in hoc agnoscit, & adorat providentiam, heroicè suum institutum prosecuturus, ad pœnitentiam confugit, & *conspectâ imagine suarum iniquitatum de reditu, ac de immutatione sua* non desperet; sed auxilio Dei confisus, pro Dei gloria strenuè militare constituat: quidquid in religioso instituto arduum est, fortiter aggrediatur, & diaboli vincula dissipabit, evadet victor; cursum, quem malè cœperat, benè feliciterq; consummabit.

CAPUT VI.

§. I.

Ad strenuè reparandam Vocationis ruinam plus desideret facere pœnitens, quàm opere possit exequi.

1. Quia superiùs innueram aliquid super avaritia spirituali, materiam subministret præsens paragraphus aliquid prolixius adferendi: ubi de Religiosi lapsi, pœnitentis autem, agendum est studio, voluntate, ac desiderio, quo ipsum flagrare necesse est ad repa-

reparandam, quam intulit sibi, jacturam, & ruinam. Postquam enim sive dæmonis fraude, sive pravæ indolis inclinatione, sive communi naturæ humanæ semper ad malum pronæ inconstantiâ, & corruptelâ; sive rerum mundanarum, vanitatum, & voluptatum fascinatione deceptus, seductus, & in sensuum illecebras abreptus, majorem ætatis, & professionis suæ partem in sæculi, carnisq; vanitatibus absumpsit, & instar filii prodigi portionem, ac substantiam suam omnem abligurivit miser Religiosus, factus ab omni parte per id tempus assectationis suæ vanissimæ spiritu egentissimus, eò quòd huc-usqve, quidquid ad divinæ Majestatis honorem, & gloriam in se, in proximo, in aliis, promovendum, augendumvé per Dei gratiam poterat operari, totum penitùs intermiserit, tanquam negotiator olim quidem lucri fortaßè studiosus, sed mox in torporem, supinamq; desidiam prolapsus, non solùm lucrandi studium abjecit omne; verùm etiam antè comparata, per summam incuriam, perditè vivendo, perdidit. Jam autem Dei miseratione rursùm ad meliorē pœnitentiæ statum vocatus, & in Dei, Patris Optimi, admissus amplexum duo cogitare debet.

2. Primum quidem, anteactam ætatem in appetentiarū inordinatarum nugis, & vanitatibus sine lucro ad beatam æternitatem spectante, maximo verò damno suo, miseram, non beatam, æternitatem inducente, consumptam. Quo tempore ô quantum animæ suæ commodare poterat! quantum divinæ gratiæ, donorum Cœlestium, illustrationum, bonarum exercitationum, operum quoq; bonorū, spiritualium divitiarum thesaurum accumulare! quàm in sublimem perfectionis, & sanctitatis evadere gradū! quàm multis etiam ferventissimè DEO servientibus anteire! quàm multis heroicis actionibus in Dei conspectu fieri gloriosus! Cùm intereà totum illud tempus instar fumi sine lucro spirituali, sine fructu,

ctu, sine profectu prorsùs evanuit; ut verè de se conqueri possit, ac dicere cum Regio Psalte: (a) *Defecerunt sicut fumus dies mei*, in vanitatibus, & mundi, carnisq; desideriis explendis *ossa mea sicut cremium aruerunt*. Vel cum patientissimo Job: (b) *Habui menses vacuos*, (ah! menses, annos, dies, & horas habui vacuas) *& noctes laboriosas enumeravi mihi*; quibus ad hæc usq; tempora quàm multum divinæ gratiæ, Cœlestis etiam gloriæ comparare mihi poteram! Et intereà, ah, infelicem me! (c) *Dies mei transierunt; cogitationes meæ dissipatæ sunt, nunc jam torquentes cor meum*. Vecors ego, negligens, & socors præterquam quòd per multa flagitia bonam beneficiorum, donorum, & gratiarum mihi Cœlitùs anteà concessarum partem, ac substantiam pergræcatum stolidissimus ibam, omne quoq; lucrum aliud spirituale per tantum temporis spatium penitùs negligebam, & verè plurimos annos, menses, dies, & horas *habui vacuas, & noctes laboriosas enumeravi mihi*.

(a) *Psal*.101. (b) *Job*.7.3. (c) c.17.11.

3. Alterum verò, quod post conversionem suam Religioso pœnitenti considerandum venit, est ipsa vitæ brevitas: cujus reliqvum ô quàm exiguum est! tàm ad compensandum amissa, neglecta, & per summam vecordiam consumpta; quàm ad consequendam per opera pœnitentiæ gratiam, & vitam in æternitate beatam. Quæ duo in comparatione ad actiones, exercitationes, & studia per pœnitentiam, & quidem intra tàm breve tempus, quod superest, exercenda prorsùs aliud non sunt, quàm stipula quædam exigua, vapor ad modicum parens, imago vultûs in speculo præsentata citissimè disparens, vanitas, nihil. Et tamen oportet tàm ad compensationem neglectorum, quàm ad expiationem perperam admissorum; culparū, inquam, offensarum enormium, & injuriarum; quibus indignationem divinam provocando, cumulatissimè in se coacervavit, satisfactionem, sicut & ad Dei misericordiam, gratiam, eamq; præcipuè finalem impetran-

petrandam; ad promerendam quoq; vitam æternam, quæ tota pendet à Dei miſerentis inexplicabili bonitate, ac liberalitate, adniti. In qua conſideratione prorsùs illud divini Pſaltæ conſcientiam urget effatum: [a] *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Dies, inquam, meos antiquos illos, in veteris Adami turpiter olim lapſi, non illius ſecundùm Deum creati, neq; in Chriſto renovati, deſideriis, & in vanitatibus rerũ caducarum conſumptos cogitavi: *Et annos æternos*, illam ſcilicet æternitatem ſive beatam pro diebus ad Dei gloriam, & ad animæ tàm ſuæ, quàm proximi ſalutem impenſis; ſive miſeram pro flagitiis, in divinarum miſerationum abuſione patratis, utramq; interminabilem, *in mente habui*: hinc æternum terret ſupplicium; indè beatitudo, ſi verè pœnitens vocationem, & profeſſionem meam ad finem usq; vitæ fideliter, & conſtanter proſequor, conſolatur, & erigit. Et quoniam confido, quòd non [b] *in æternum projiciet Deus, & apponet, ut complacitior ſit adhuc*; nec *in finem miſericordiam ſuam abſcindet*; nec *obliviſcetur miſereri Deus*; nec *continebit in ira ſua miſericordias ſuas*; ideò ad miſericordiſſimũ Creatorem, & Patrem meum ſupplex confugio; & jam illi ſoli, cujus in me dextera fecit admirabilem mutationem, totus adhæreo. Ah, Deus meus! *Dixi*, & dico: *Nunc cœpi*; *hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

4. Jam in hac cùm malè actorum dierum, tùm etiam reliquæ vitæ, ſed jam breviſſimæ, & incertæ, nihilominùs ad pœnitentiam, ad compenſationem, ad amiſſæ gratiæ, donorum, & beneficiorũ Dei recuperationem concedendæ conſideratione deſiderium vehemens, inſatiabilis fames, & ſitis exſtimulet mentem ad ſtrenuè reparandam ſpiritûs, & vocationis ſuæ ruinam ita, ut multò plus jam deſideret facere, quàm vires, & facultates animi, corporisqvè; quàm temporis, & vitæ brevitas permittant; plus, quàm naturæ dona, quàm gratiæ menſura (quamvis hæc ſine men-

[a] Pſalm. 76. 6. [b] v. 8.

mensura sit) patiantur: ut, si charitatis erga Deum eliciat actum, velit, cupiat, & desideret amare Deum toto ipso Deo, cui ex animo, per affectum uniri desideret; velit,ac desideret amare Deum toto se; omnibus totius curiæ Deum ardentissimè, & verè amantium cordibus, & excessivis Cherubinorum, & Seraphinorum amoris affectibus complecti. Item si ad recitandum Officium divinum, ad Laudes, & Horas Canonicas, ad Deum laudandum, in ipso Deo, in Beatissima Deipara Virgine MARIA, vel in quocunq; Sancto jam secundùm animam in Cœlum recepto, accingitur; optet, cupiat, & desideret laudare Creatorem suum toto pariter ipso DEO, toto se, toto universæ Deum in veritate laudantium curiæ excessivo charitatis affectu; laudare, & orare pro se, pro universa Ecclesia Sancta militante, & purgante; totum autem in balneo infinitorū meritorum acerbissimæ Passionis, & mortis,in pretiosissimo sanguine amabilissimi Filii Dei JESU Christi.

5. Si gratiarum actionem pro omnibus tàm generaliter, quàm peculiariter in se, in universa creata collatis,& conferendis instituit bonis,& beneficiis, eam sic instituere, Deoq; gratias agere cupiat, ac desideret, secundùm omnē modum intensivè, & extensivè; sicut, & quo modo Deus ipse magis scit, & vult, & dignus est, ut sibi gratiæ agantur. Si pœnitentiæ, doloris, & contritionis actum pro peccatis, & culpis suis elicit; eum elicere sic desideret, & eliciat, ut purè, puteq; propter Deum summè bonum offensum, ex amore Dei solius,non autem ex metu gehennæ, vel ob hæreditatis æternæ amissionem doleat, nisi quatenus ea amissio excludit ab amore, & fruitione Dei, quem & hìc,& in æternum amare desiderat, amando possidere, possidendo frui. Cupiat insuper eo intentissimo, & perfecto doloris, & contritionis sensu, affectu, & actu dolere; quo & divina Majestas ipsa gravissimè offensa requirit, & peccata sua expostulant; eo intensissimo,

ſiſſimo, & perfecto doloris, & contritionis ſenſu, affectu, & actu dolere; quo magni quondam pœnitentes Maria Magdalena, Petrus Apoſtolus, Zachæus, Maria Ægyptiaca, Jacobus Eremita, Pelagia, Thais, Auguſtinus, & doluerunt, & peccata ſua deploraverunt. Deniq; cupiat, & deſideret totius Curiæ verè pœnitentium corda, intenſiſſimos, & perfectos doloris, contritionis, & pœnitentiæ ſenſus, affectus, actus, & lacrymas habere, & elicere, atqve his omnibus deplorare peccata ſua.

6. Sic in his, ſic in aliis quibuscunq; divinum cultum, amorem, timorem, honorem, adorationem Dei, religionemq; ſpectantibus actibus procedere ſtudeat. Et licèt ea conſequi, habere, elicere, & præſtare, quantum ad effectum ob humanam imbecillitatem minimè ſciat, intelligat, poſſitq; pœnitens, imò nec ullus alius; qvia Deus incomprehenſus, ac ſummè bonus ut ſatis ametur, in hac præſertim mortali vita, honoretur, laudetur, & ſuperexaltetur, cognoſcaturqvè, ſecundùm guſtum, & ſanctiſſimum cor ſuũ, hoc quidem omnem naturæ præſertim jam corruptæ facultatem excedit; deſiderandum tamen eſt ſemper, & adnitendum voluntate, & ardentiſſimo deſiderio facere, quod infirmitas humana operè præſtare non poteſt. Sic unum Dei amantem hominem habere multa, imò omnia totius curiæ verè Deum amantium; unum pœnitentem, habere omnia verè pœnitentiũ, corda, deſideria, affectus, & actus eſt quidem impoſſibile: ſed tamen deſiderare, ſi fieri poſſit, ut habeat, nihil implicat. Atq; hæc eſt illa ſpiritualis avaritia, quam non ſolùm Religioſi pœnitentis anima; ſed & omnis Chriſtianus vitæ ſuæ fini ſenſim appropinquans concipere debet, ita ut, ſi fieri poſſet, unâ die, unâ horâ, uno momento, ſingulos, & omnes ſimul virtutum, & exercitationum ſpiritualium actus exteriores, & interiores, elicere, & exercere velit, ac deſideret; velit etiam, ac deſideret

uno die, unâ horâ, uno momento totum, quod sibi reliquæ superest vitæ, fideliter, integrèq́; explere; desideret uno die, unâ horâ, ac momento millies mille annos, imò totius æternitatis, pœnitentiæ actus, uno virtutis alicujus exercendæ actu, omnium virtutum animo, voluntateqvè complexarum, elicere, & exercere, non aliter, quàm si dies omnis, omnis hora, omne momentum jam ultimum sibi foret: nec aliter vivat, & omnes actus, ac singulos exercere studeat, quàm singuli jam forent ultimi. Quod ipsum non ad solum pœnitentem, & ex plurimo vitiorum cæno, & tenebris rursùm in Dei lumē, & gratiam, emergentem; sed ad omnem etiam, cui perfectio religiosa cordi est, pertinet: ita nimirum omni die, horâ, momento vivere; ut semper unicuiq; bono operi, omnium bonorum operum, actuum, & affectuum voluntate explendorum, per desiderium summam imponat manum. Quam in rem æquè sapienter, ac eleganter Seneca Lucilium suum instituens ait: (a) *Qui quotidiè vitæ suæ summam manum imponit, non indiget tempore.* Et paucis interjectis: *Ideò,* inquit, *mi Lucili, propera vivere, & singulos dies,* (horas, & momenta) *singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidiè fuit tota, securus est.* Ita Seneca Christianè.

7. Jam si omnis bonus Christianus ita vitam suam ad securitatem instituere debet, multò magis Religiosus, ac maximè post lapsū notabilem conversus ad pœnitentiam, ita vivat necesse est, & avaritiam spiritualem, de qua hìc egimus, concipiat, exerceatq́;. Ad quod propositum memoratus antè P. Gaspar Drużbicki Soc. JESU præsentem materiam aptè prosequitur alibi, cùm ait: (b) *Hæc igitur sit una etiam senectutis, declinantisq́; ad occasum* (in eo præsertim, qui Vocationis suæ jacturam subiit, & ruinam) *ætatis, ac vitæ provisio; ut, siquidem desideret multas uno labore, ac tempore, conatuq́; spirituales opes meritorum tàm gratiæ, quàm gloriæ, conquirere,*

(a) *Senec. Ep.* 103. (b) *P. Gasp. Drużbicki Part.* 2. *Provis.* 6. *Num.* 1.

rere, plurium simul virtutum actũ exercere, plura simul poscere, & obtinere, plures obligationes exsolvere, plures simul perfectiones operi suo etiam unico adhibere, det operam; ut per voluntatem suam plura, & plura simul intendat; plurium virtutum motiva operi suo præfigat; plura promovenda Dei dona designet; plura postulanda sive naturalia, & temporalia, sive supernaturalia, & spiritualia proponat; plures obligationes explere statuat; pluribus personis Religionis honorem juxta cujusq; gradum exhibere desideret, plures perfectiones, perfectionumve sublimitates operi unico annectat, totumq; hoc solius voluntatis suæ efficaciâ faciat; & , quod desiderat, totum pro latitudine, simulq; fervore, & conatu voluntatis (quod devotionem spirituales vocant) assequetur. Hucusq; vir ille bonorum, ac sublimium desideriorum, sed & operum, actuumq; heroicorum plenus.

§. II.

Totum hoc intra breve tempus plurima, imò omnia exercendi, exhibendiq; pœnitentiæ, virtutum, perfectionum, & obligationum opera desiderium consistit in intentione, & effectum suum consequitur per voluntatem vivã.

1. Jam, sicut ex dictis hucusq; facilè potest colligi, tametsi fames, sitis, & insatiabilis spiritualium rerum, operum, & opum avaritia expleri, voluntas etiam ac desiderium unico opere omnia complectendi, connectendi, implendi, exercendi, præstandi in effectum deduci minimè possit; totam nihilominùs horum omnium uno actu consequendorum, aut exhibendorum efficaciam supplet intentio, voluntas ardens, & viva, ac desiderium adeò quidem, ut, quantumcunq; Deus animam sic affectam gratiâ suâ, donis, ac meritis cumulet, quantumcunq; etiam ho-

mo sic comparatus in perfectione proficiat; illustrationibus, & inspirationibus sanctis ad opera pœnitentiæ exercenda, ad actus charitatis tàm erga Deum, quàm erga proximum affectu simul & effectu heroicè eliciendos; ad exteriores, interioresq; virtutum, & perfectionum generaliter, peculiariter; affectu, actu, desiderio, voluntateq; exercendos excellere pergat, non tamen fieri possit, ut simul omnia uno perficiat opere, & actione; suamq; famem, sitim, ac sanctam avaritiam in hac mortali vita expleat; sed benè semper magis, ac magis velit, desideret, ac concupiscat; scilicet minimè satiandus, nisi in illa beata, quam per Dei misericordiam, & per infinita Christi Servatoris, ac Domini merita, quib9 omnes, & singulas actiones suas, intentiones, & desideria semper conjungere studeat, & unire, consecuturum se sperat, æternitate: in qua Deus in omnibus omnia est, & ubi nulla jam est vicissitudinis obumbratio; sed perpetua lux, & claritas omnes, ac singulos in lumine gloriæ suæ beatos efficit, (lux, inquam, increata, quæ Deus est) suâq; claritate sic ambit, ut nihil aliud ampliùs aut desiderare velint, aut habere, quàm id, quod effectu jam ipso desideratissimum habent, ac possident plenè; Deum scilicet ipsum essentiâ, majestate, gloriâ, æternitate, bonitate, sapientiâ, incomprehensum, nulliqvè rei creatæ comparandum, ipsum summũ bonũ, ac summam ipsissimam bonitatem; ut verè cum insatiabili pariter illa anima continuè, dum vivit adhuc in terris, suspiret, ac dicat: (a) *Satiabor, (Cœlesti refectione*, S. Hieronymus addit) *cùm apparuerit gloria tua.* Et hic est verè beatus esuriens, (b) & sitiens justitiam; quoniam ipse saturabitur, sed nonnisi in illa justitia consummata *in gloria*, non jam per speculum, & in ænigmate, neq; per imaginẽ, aut per quamcunq; speciem, sed *in gloria* perfecta, sed in ipso Deo, qui solus est gloria, & tota, perfectaq; beatitudo beatorum. Huc ferè videtur respe-

(a) *Psalm.* 16. 15. (b) *Matth.* 5. 6.

respexisse Apostolus, ubi scribens ad Colossenses ait: (a) *Cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis unà cum ipso*, satiabimini, & omnia bona desideria vestra, fames, sitis, & inexplebilis Cœlestium, ac divinarum rerum avaritia, plenè satiabuntur *in gloria*.

2. Cùm ergò, quidquid in hac mortali vita fecerit, ac facere boni desideret anima pœnitens, nunquam in exercendis, exsequendis, & exhibendis operibus ad Dei gloriam, ad ædificationem, & subsidium proximi, ad animæ suæ salutem; cùm etiam centum, mille, bis mille, & ampliùs hic in mundo si viveret annos, nunquam pro neglectis, amissis, à se quoq; perperam admissis, pro Dei gratia concilianda, impetrandaq; faceret satis; qvia bona, quæ neglexit, amisit, ac perdidit; quæ etiam recuperare, compensare, exercere, impetrare, perfectè implere desiderat, nec hujus tàm brevis, quod superest, temporis angustia permittit; nec imbecillitatis humanæ facultas, in ætate præsertim jam provecta, & ad occasum jam declinante, patitur; Cùm, inquam, ita se res habeat, ut nunquam, quantum est ex se, satisfacere, & exsequi omnia, ac singula possit, quæ desiderat, & ad quæ obligatus est pœnitens Religiosus; ideò nihilominùs desiderio, voluntate vivâ, & intentione per ea, quæ adhuc potest facere, & facit, quantumvis exigua, semper, & in omnibus actionibus istis, quas in reliqua religiosæ professionis exercet vita, tàm diligenter, & exactè studeat exercere singulas, ut uno eodemq; simplici precationis, adorationis, honorationis, laudationis, gratiarum actionis, super omnia verò charitatis, & alio quolibet erga Deum amandum, colendum, adorandum, deprecandum, & placandum actu, statim omnes alios, quos tantùm potest complecti, vel desiderat complecti, nec tamen jam in tota reliqua vita sua, multò minùs uno eodemqvè die, horâ, vel momento exercere, & exsequi; simul omnes

(a) Coloss. 3. 4.

mnes animo, voluntate vivâ, & intentione, quantum homini fas est, comprehendat, & in actum producere velit, desideret, & intendat; pœnitentiæ, virtutum tàm exteriorũ, quàm interiorum, & bonarum exercitationum actiones. Atqve hoc est, quod religiosissimus Asceta superiùs inculcat: *Vt, siquidem desideret multas uno labore, ac tempore, conatuquè spirituales opes meritorum tàm gratiæ, quàm gloriæ conquirere; plurimos simul virtutum actus exercere, plura simul poscere, ac obtinere; plures obligationes exsolvere, plures simul perfectiones operi suo etiam unico adhibere, det operam, ut per voluntatem suam*, & ardens, efficaxq; desiderium, *plura, & plura simul intendat, plurium virtutum motiva operi suo etiam unico præfigat; plura promerenda Dei dona designet; plura postulanda proponat*, &c. Quæ omnia, & singula nonnisi vi voluntatis, intentionis, ac desiderii fiunt efficaciâ.

3. Hinc jam luculenter patet; non solùm, cur Sancti Patres, & omnes Magistri spirituales orationi, & omni operi bono præmittendam intentionem esse suadeant, sed etiam omninò, si non possit intentio præmitti per omnium, & singulorum, quæ impetrare, implere, exsequi, & exsolvere desiderat: unico opere, commemorationem, & enumerationem expressam voce, saltèm mente, sive unico ardente suspirio simul omnia comprehendens, uti subindè propter ingruentes occupationes, & negotia multa, & gravia usuvenit, offerat Deo cum addito hanc, aut illam, v. g. Dominicam orationem, vel aliam; meditationem, Rosarii, Divini Officii, B. V. MARIÆ horarũ recitationem; hoc jejunium, flagellationem, chameuniam, aut aliam quamcunq; castigationem corporis, & opus pœnitentiæ, ad eandem offerre se velle, & offerre intentionẽ, quâ solet aliàs, & desiderat semper; item quâ Deus ipse magis scit, & vult, secundùm voluntatem, gustum, & sanctissimum cor suum. Secùs Oratio, vel opus quodlibet bonum

bonum ſine intentione factū, vel eſt tantùm tentare Deum, vel nuda, caſu tantùm exercita, ſine fructu, & ſine effectu, operatio. Propterea monet ſapientiſſimè Eccleſiaſticus, aut potiùs per hunc ipſe Spiritus Sanctus: (a) *Ante orationem præpara animam tuam; & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.*

4. Undè S. Joannes Chryſoſtomus expendens illa duorum fratrum Caini, & Abelis ſacrificia, videtur hanc eandem materiam ſcitè tangere, dum Caini ſacrificium ideò minùs fuiſſe Deo gratum obſervat; quòd is ſine voluntate viva, ſine intentione, DEO placendi de terræ fructibus ea ſacrificârit, quæcunq; fuerunt obvia. Abel verò ſemper voluntate vivâ, cum delectu, & diligentia, conſideratè, cum intentione ſacrificabat, & offerebat (b) *non tantùm de ovibus, ſed de primogenitis*, (Sancti Doctoris ſunt verba) *hoc eſt, de pretioſiſſimis, & maximè eximiis, & ex illis ipſis primogenitis pretioſiſſima quæque; & de adipibus eorum, hoc eſt, pingviſſimis, & optimis.* Idq; faciebat Abel cum magno delectu, cum voluntatis, & mentis, animiqvè intentione; ut ita Dei gloriam, honorem, & cultum eximiè, non autem perfunctoriè, & caſu fortuito, ſicut faciebat Cain, expediret. Proſequitur ergò Sanctus Doctor, & ait: *Contemplare hìc obſecro, dilecte, quàm meritò pœnas luit is, qui ob ſuam ignaviam amittit ſalutem. Neq; Abel doctorem aliquem habuit, neq; Cain ſuggeſtorem, & conſiliarium; ſed uterq; conſcientiæ ſuæ magiſterio, & ſapientiâ divinitùs humano generi ſuppeditatâ ad hanc oblationem excitatur: ſed varietas mentis, & voluntatis* (certè & intentionis) *illius quidem acceptiſſimam fecit oblationem; hujus autem repudiatam. Deus enim acceptor perſonarum non eſt: ſed à voluntate examinans mentem, & intentionem coronat.* Hucusq; S. Joannes Chryſoſtomus.

5. Igitur à mente, voluntate, & intentione tàm oratio, quàm quodlibet opus aliud bonum ad Dei cultum, ad pœnitentiam, & ad virtutum exer-

(a) Eccli. 18. 23. (b) S. Jo. Chryſ. cit. in Men. Spirit. cibor. Verbo, Intentio. Num. 1.

exercitationem exhibitum, aut exhiberi desideratum, efficaciam suam habet, adeò, ut, quantum impetrare voluerit, & intenderit homo, etiamsi plurimum, tantum ex intentionis effectu, Deo voluntatem examinante, mentem, & intentionem coronante, feliciter impetrabit. Jam si voluntas, & intentio omni Christiano, omni etiam Religioso pernecessaria est ad non otiosè, neqve per cæremoniam (quod ajunt) orandum, & operandum benè, quantò magis est necessaria Religioso illi, qui post multam in sua vocatione socordiam, post magnam spiritûs, & religiosæ professionis jacturam, atqve per gravem lapsum, aut lapsus plures, ruinam, iterum Deo miserante vocatus ad conversionem, & pœnitentiam adniti debet, ut plurima compenset, plurima impetret, plurima lucretur, & quidem si ætate jam ad occasum inclinante? Qui non triginta, non viginti, non decem, sed nè duos quidem annos, dico minùs: nè duos quidem menses, aut diem unum audet, vel potest, sibi promittere. Quia deniq; verissimum est, quod ex patientiæ suæ cathedra pronuntiavit Job: (a) *Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te*, Deus, *est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Videlicet à Dei nutu pendet hominis uniuscujusq; vita, non ab arbitrio, voluntate, ac voto, vivere cupientis, aut proponentis. Et hoc quidem omnis in hac mortali vita firmissimè tenere debet.

6. Quod cùm ita sit, quid jam ille, qui consenuit in vitiis, nec antè ad suæ religiosæ professionis orbitam rediit, quàm ubi multos annos impenderat vanitati, & sensuum voluptati? Hic, præterquam quòd à Deo numerum mensium suorum minui commeruit, etiam ipse sibi vivendo licentiosè, perq; multa illicita dies agendo vacuos attrivit valetudinem, & Deo permittente præstituto mensium numero plurimum ademit: & tamen in tanta vitæ infirmitate, atq; incertitudine, in tàm

(a) *Job.* 14. 5.

exiguo

exiguo vivendi tempore, anno, mense, aut die, quem divinâ fretus misericordiâ sperat utcunq; sibi superesse ad pœnitentiam, sic ipsi vivendum, sic operandum, sic pro animæ suæ salute laborandum est; ut amissa plurima recuperet, multos annos neglecta compenset; plurima facienda expleat; debita, & obligationes exsolvat. Hoc autem aliter jam fieri nullâ ratione potest; quàm per vivam inter exigua, quæ adhuc adnititur facere, opera, & exercitationes, voluntatem, & intentionem; ut scilicet velit, cupiat, ac desideret uno opere, quod hodiè, quod nunc facit, omnia imploratoria, satisfactoria, impetratoria, ad veniam, ad gratiam, ad gloriam, & ad horum similia plurima, quæ sibi jam ad mortem properanti incumbũt, adimplere.

7. Et ideò studeat Religiosus, qui de statu suæ professionis miserabiliter prolapsus incomparabilem perdidit thesaurum, & multos annos in abusione vocationis absumpsit, jam autem Deo miserante denuò conversus ad pœnitentiam, quàm avidissimus esse debet spiritualium exercitationum, & eorum, quæ sibi necessaria sunt ad salutem, ita, ut nullum orationis, virtutis, & pœnitentiæ exerceat actum sine multorum simul exercendorum desiderio, voluntate vivâ, & intentione. Cùm enim per humanam conditionem omnia simul explere non possit; Deus tamen voluntatem, & intentionem sic acceptat in unico opere, tanquam cætera omnia exhiberentur. Nam *Deus acceptor personarum non est; sed à voluntate examinans mentem, & intentionem coronat.*

§. III.

Intentionum multiplicitatem, & spiritualium divitiarum accumulationem supplet una Charitas.

1. Divus Paulus Apostolus postquam Corinthiis seriò commendavit charismatũ meliorum æmulationem; id est: ut sectarentur, & peterent à Deo dona, quæ meliora sunt, eaq;

eaq; studerent in mutua quadam & sancta contentione per æmulationem exercere; in Dei donis, in spiritu, in studio, vitaq; Christianæ perfectionis proficere, mox subdit: (a) *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Quam deindè viam sequenti Capite non aliam esse docet, quàm charitatem; adeò quidem, ut, quidquid Christianus homo faciat, & operetur, quantumcunq; laboret in obsequio divino, cultuqvè, ad suam, ad proximorum, aliorumq; salutem, nihil omninò putet à se fieri, nisi charitatem, quæ Dei donum gratum faciens, & sanctificans est, habeat, eâq; jugiter ferveat. Charitas enim est forma, quæ rebus, & operibus omnibus, ac singulis dat esse, formam, & vitam; est aurum optimum, quod omni bonæ exercitationi dat pretium, æstimationem, & excellentiam; & propterea vocat ipsam Apostolus *excellentiorem viam* ad virtutum omnium complementum, ad omnium bonarum intentionũ consequendũ, contingendumqvè scopum; ad Deum pro modulo præsentis statûs, & capacitate, comprehendendum; ad capessendam beatitudinis æternæ possessionem: Charitas est, sine qua perfectionis omne studium est inane, sine qua omnis intentio aberrat à scopo suo; labor omnis exercitationi spiritualium divitiarum assequendarum impensus irritus, ac mercede, seu præmio suo destitutus est. Ad quod disertissimè docendum satis erat Apostolo linguas hominum, & Angelorũ, prophetiam, mysteriorum omnium, omnisq; scientiæ cognitionem, fidei magnitudinem, ac sublimitatem, quâ montes etiam transferantur, omnium facultatum in pauperum cibos erogationem, deniq; corporis ipsius exustionem, hoc uno complecti aphorismo: *Charitatem si non habuero; nihil sum, nihil mihi prodest.* (b)

2. Benè propterea scribitur Angelo, sive Episcopo Laodiciæ Ecclesiæ jactanti se, ac dicenti: (c) *Dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* *Et nescis;*

(a) 1. Cor. 12. 31.

(b) c. 13. 2. & 3. (c) Apoc. 3. 17.

scis; quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Fuerit Episcopus ille doctus; fuerit & dives opum; ac etiam in pauperes erogaverit facultates multas; excelluerit & castimoniâ; virtutum aliarum quasi chorum aliquem ducere probatus fuerit plurimarum: sed quia caruit charitate; ideò virtutes illæ, quibus eminere videbatur in populo, nullius fuerunt pretii; per hypocrisin ad ostentationem plus ipsum jactantiæ, quàm sinceritatis, & veræ virtutis habere probavit Deus. Nè tamen qualitates, quæ reperiebantur in illo Præsule, satis ad hominum æstimationem sublimes, suo pretio præmioq; destituerentur, suadetur ipsi, (a) *emere sibi aurum ignitum probatum, ut locuples fiat, & vestimentis albis induatur, & non appareat confusio nuditatis* ejus. Ubi per *aurum ignitum* Richardus, & alii Interpretes intelligi volunt charitatem, quæ sola virtutes omnes, & opera bona vestit, ornat, & decorat in Dei conspectu. Hinc & Regius Psaltes describit reginam, id est, animam adstantem à dextris Cœlestis Regis (b) *in vestitu deaurato*; ubi per vestitum *intelliguntur opera*, (inquit (c) Cardinalis Hugo) *sine quibus homo nudus est. Per aurum autem charitas, quæ est optima inter virtutes, sicut aurum inter metalla.* Concludit deniqve: *Vestitus ergò deauratus. sunt opera in charitate facta.* Ideòq; rectè Corinthios hortatur Apostolus: (d) *Omnia vestra in charitate fiant.* Ex quo satis intelligitur; nullum esse bonum opus aliquod sine charitate; ita, ut homo quantumlibet abundet bonis operibus, ac donis tàm naturalibus, quàm supernaturalibus, careat autem charitate, coram Deo sit nudus: *Nescis; quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

3. Igitur & intentionum multiplicitas, ad honorem, & cultum Dei, ad exercitationes, ad virtutes, ad exsolvendarum coram Deo obligationum, & operum pœnitentiæ multitudinem tendentium, volun-

(a) v. 18.

(b) *Psal.* 44. 10. (c) *Hugo hìc.*

(d) 1. *Cor.* 16. 14.

voluntas & desiderium multa simul uno opere explendi opera, divitiarum Cœlestium thesaurum intra breve tempus, & per exercitationum paucarum, quas ætas ad occasum declinans adhuc permittit, disciplinam Religiosus ad pœnitentiam post lapsum, & ruinam suam conversus ut plurima comprehendat simul, aliam compendiosiorem, & excellentiorem non habet viam, quàm charitatem; ad quam omnia collineare debent opera, & tanquam auro purissimo deaurata splendere. Amet Deum anima; & omnium intentionum, quas habere, & elicere desiderat ad suppletionem, & compensationem negligentiarum, ad expiationem gravissimarum culparum, ad impetrationem veniæ, gratiæ, & gloriæ, pro se, pro aliis, in communi, in peculiari, pro nunc, pro semper, pro omni momento, pro tota æternitate compendium habet: modò charitatis hanc intentionem, seu charitatem intentionis (ut loquitur memoratus anteà R. P. Gaspar Družbicius) unius, solius, simplicis, nudæ, & puræ, frequenter exerceat, exercendo frequentet is, qui Cœlestium bonorum thesauro locupletari, & plurima simul, uno licèt opere, ad gratiam, & gloriam sibi necessaria contendit accumulare.

4. Qua in re, si quis alius, ille certè, qui meliorem, ac nobiliorem partem ætatis in Religione sine disciplina, sine timore Dei, sine serio religiosæ vocationis, & professionis exercitio consumpsit, & à sua vocatione totus descivit, allaborare debet; ille, inquam, qui tantorum Dei beneficiorum, gratiarum, donorumq; tàm naturalium, quàm supernaturalium contemptorem, & asotum egit; sed jam denuò respectus à misericordissimo Deo, & ad pœnitentiam conversus, intelligat: quantum, & intra quàm breve tempus, quanto labore, contentione, intentione, precibus, & cumulatione plurimorum erga Deum obsequiorum implorare, & impetrare; quàm ad multa cùm sibi, tùm

tùm aliis, ſed ſuper omnia Deo, cui, per id tempus ô quantum honoris, & gloriæ (licèt is ſemper in ſe glorioſiſſimus, ac ditiſſimus bonorum noſtrorum non egeat) derogavit, ſubtraxit, & in profanos abuſus ſuos convertit, obligatus maneat, & obſtrictus! Nec opus eſt obligationis hujus enumerare cauſas: ſiquidem ex dictis hucusq; crebrò commemoratæ ſufficientiſſimè colliguntur. Hæc autem compenſatio, ſicut & theſauri, quem perdidit, & quem ad beatam æternitatem promerendam ſibi comparare debet, collectio, cumulatio, & avidiſſima congeſtio, non niſi per intentionum ardentiſſimam charitatem, & per charitatis intentinem opera plurima in uno tantùm opere perficiendi crebriùs exercendam poteſt exhiberi.

5. Itaq; Religioſi pœnitentis anima dum aliquid vel agit, vel patitur; orat, vel operatur; caſtigat, vel mortificat ſe; in omnibus, & ſingulis intendat, velit, ac deſideret in charitatis ſimplicitate, & unitate ea agere, pati, orare, operari, omnia, & ſingula, ad quæ agenda, patienda, imploranda, operanda, vel impetranda, ad Summi DEI gloriam, & honorem, ad ſuimetipſius pro delictis plurimis contemptum, caſtigationemqvè; ad veniæ, gratiæ, & gloriæ impetrationem obligatus eſt, ſimul exſequi; atqve pro omnibus, & ſingulis facere ſatis pro nunc, pro tota die, pro omni momento, pro tota vita, pro tota æternitate. Quam charitatis intentionem, ac deſiderium omnium, ac ſingulorum Deo exhibendorum non poterit idem Deus Optimus ob infinitam bonitatem ſuam ab infimo plaſmate ſuo non acceptare. Qui cùm benè cognoſcat figmentum ſuum, nos, inquam, non eſſe tanti, ut ei pro omnibus, & ſingulis ſatisfaciendo reſpondeamus, amantis flagranti deſiderio placatus, affectum cenſet in effectu.

§. IV.

§. IV.

Hæc intentionum per charitatem unitas consistit in omnimoda suimetipsius in Dei voluntatem resignatione.

1. Quoniam charitatis est proprium; nihil sibi retinere sui; totam se ad amati DEI nutum effundere; omni, quod natura, seu potiùs philautia ad proprium commodum quærit, ac desiderat, interesse exspoliare se, ac nudare non aliter, quàm ipse Dei Filius hominum amore salvandorum totum exinanivit semetipsum; sic & anima Deo per charitatem conjuncta, præcipuè verò divinâ miseratione non solùm ad novam pœnitentiam, sed etiam ad suavem Dei misericordissimi Patris amplexum admissa, totam se propter Deum omni privato commodo, seu bono exspoliet, nudet, & eviseceret. Id quod nec meliùs, nec faciliùs, nec compendiosiùs fieri potest, quàm ut totam se divinæ permittat voluntati tàm in iis, quæ ad præsentis vitæ pertinent statum suum, quàm in iis, quæ totam spectant æternitatem, in publicis, & communibus; in privatis, & singulis; in prosperis, in adversis; in omnibus quibuscunq; sine omni exceptione: atqve ita totam Deo se tradat, ut nihil omninò sit, nihil habeat, nihil retineat sui tàm in tempore, quàm in æternitate, ne minimum quidem gustum, satisfactionem, & in re quacunq; desiderabili quietudinem: sed ita rebus omnibus, desideriis, ac voluntate suâ propriâ nudata sit; ut solus Deus Optimus secundùm sanctissimam voluntatem suam, desiderium, gustum, & cor suum omnia tàm secum, & in se, quàm cum omnibus, & in omnibus aliis rebus creatis, ordinet, disponat, & dirigat ad laudem, honorem, & gloriam suam maximam.

2. Nec aliud Cœlestis ipse Magister Christus Dominus in oratione, quam discipulos suos, & consequenter in discipulis suis, omnes in ipsum posteà credituros, & credentes, & in quibus nunc per fidē regnat,

regnat, posteà verò per consummatam charitatem æternùm regnaturus est, docuit, innuere voluit, quàm hoc ipsum, quod hìc est in argumento, sicut memoratus jam sæpiùs, R. P. Družbicius advertit; & est hæc doctrina verissima: Nimirùm ut in omnibus, & ab omnibus, & per omnia nostra sanctificetur nomen Dei, ac Patris nostri; (a) *qui est in Cœlis; Adveniat regnum ejus, in omnes creaturas, & propagetur magis, ac magis, semper inter eas; & fiat voluntas ejus sicut in Cœlo, & in terra; sicut in corde Dei, ita in corde omnis creaturæ, idq; totum ob aliud nihil, nisi ut sanctificetur nomen ejusdem Dei, & Patris, & adveniat, floreatq; regnum, & gloria majestatis ejus; & fiat voluntas ejus sicut in Cœlo, & in terra. Quia hæc est dignitas voluntatis ejus, & voluntas dignitatis illius. Quod totum impletur intentione simplici, unâ, & nudâ, & defecatâ; operari videlicet, aut pati ad unius, soliusq; Dei Optimi, Maximi, dignissimi voluntatem, ad exaltationem ejusdem, & gloriam, ad contentationem, expletionem, gustum, & voluptatem puram, solam, quatenus ejus, & quia ejus, & quomodo ejus est. Et (sicut jam dictum aliquoties) sine ullo vel ad suum, vel alicujus creati beneplacitum respectu; sine ullo ad ipsius operantis, agentis, patientis, aut intendentis proprium gustum, commodum, & bonum intuitu; sine ulla ad semetipsum conversione; sine ulla suimetipsius in operando, & operatione ope, quæsitione, consolatione; sed purè, putèq;, ut solus glorificetur, & regnet in omnibus Deus; ut impleatur, & fiat ab omnibus, & in omnibus perfectiùs, & perfectiùs semper voluntas Dei; nec ob aliud quidquam, nisi quia Deus ipse dignus, & ejus voluntas imperans, dirigens, informans, seu transformans est.*

(a) P. Gasp. Družbicki Part. 2. Provis. 7. num. 6.

3. Jam qui sic comparatus, & sic in Dei voluntatē transformatus, à semetipso totus exivit, seq; per charitatem, ac voluntatem perfectè Deo permiserit totum, & quodammodò cum ipso univerit; sibi, omni rei creatæ, toti mundo, secundùm omnes, & singulas ejus atomos fuerit mortuus:

hic omnem, imò omnes intentiones bonas, licèt unius operis intentione, & expletione, tàm ad operandum, quàm ad patiendum, ad orandum, exsecutus est; hic veniam, gratiam, æternam vitam in futuro scilicet possidendam; hic Deum ipsum non essentiâ, sed charitate, nondum gloriâ, sed gratiâ tantùm complexus est. Benè propterea S. Franciscus in Ecstasin raptus exclamabat: *Deus meus, & omnia?* Qvia in Deo, & cum Deo omnis gratia, quies, beatitudo per voluntatis, ex charitatis intentione, abnegationem, atq; per plenam sui in Dei voluntate resignationem acquisita. Quod ipsum religiosissimus ascetici spiritus magister Thomas à Kempis egregiè advertit, dicens: *Statim, ut te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc, vel illud pro tuo libito, seu velle, quæsieris, sed integrè te in ipso posueris, unitum te invenies, & pacatum. Quia nihil ita benè sapiet, & placebit; sicut beneplacitum divinæ voluntatis. Quisquis ergò intentionem suam simplici corde sursùm ad Deum levaverit, seq; ab omni inordinato amore, seu displicentia, cujuslibet rei creatæ evacuaverit; aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit.* Hucusq; Thomas à Kempis.

4. Cæterùm qvia titulus huic paragrapho præfixus, quin & ipsum paragraphi totius argumentum innuit plenam, & perfectam sui per omnia resignationem per charitatem, & ex charitate in Dei voluntatem tàm in vita, quàm in morte; in tempore, in æternitate; verbo, in omnibus; hujus integræ, perfectæq; resignationis, & nudationis actum graphicè suggerit iste neutiquam prætereundus, qui sub nomine S. Francisci Xaverii circumfertur in hæc verba: *O Deus! ego amo te. Nec amo te, ut salves me; aut quia non amantem te, æterno igne punies me. Tu, tu, mi IESV. totum me amplexus es. In Cruce tulisti clavos, lanceam, multamq; ignominiam, innumeros dolores, sudores, & angores, & mortem; & hanc propter me, ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, ô IESV amantissime?*

me? Non ut æternùm salves me; nec præmij ullius spe; sed sicut tu amâsti me, sic amo, & amabo te, solùm quia Rex meus es, & solùm quia Deus meus es.

§. V.

Intentionum ad unum opus multiplicandarum aliquot proponuntur praxes.

1. Cùm, sicut dictum est, intentio multiplex esse possit etiam in uno tantùm opere perficiendo, & nihilominùs plurimis, æquè ad communes, ac privatas uniuscujusq; necessitates intentionibus, vel pluribus operibus, quæ simul omnia fieri, perficiqvè non possunt, unâ intentione applicando; operæ pretium erit, intentionum ejusmodi praxes aliquot inseruisse. Quarum prima sit illa, quam Venerabilis Thomas à Kempis ad tremendum Missæ Sacrificium celebrandum, quo uno opere plura per intentionem multiplicatam exhiberi possunt, proponit, & est hujusmodi: [a] *Domine Deus meus! omnia tua sunt, quæ in Cœlo sunt, & quæ in terra. Desidero, volo, & intendo meipsum tibi hodie in spontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuò permanere. Domine, in simplicitate cordis mei offero me ipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium, & in sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi Corporis, & Sanguinis, quam tibi hodie in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero, ut sit pro me, & pro cuncto populo tuo in salutem. Domine, offero tibi omnia peccata mea, & delicta mea, quæ commisi coram te, & Sanctis Angelis tuis à die, quâ primùm peccare potui, & peccavi usq; ad horam hanc, super placabili Altari tuo; ut tu omnia pariter incendas, & comburas igne charitatis tuæ, & deleas universas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculū pacis me misericorditer assumendo. Offero tibi etiam omnia bona mea à te mihi misericorditer concessa; & si quæ ego feci, ut tu ea emun-*

(a) Thom. à Kemp. lib. 4. c. 9. de imit. Christi.

emundes, & sanctifices; ut grata habeas, & accepta tibi facias, & semper ad meliora trahas, nec non ad beatum, & laudabilem finem me pigrum, & inutilem homuncionem perducas. Offero quoq; tibi omnia pia, sanctaq; desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumq; charorum meorum, & eorum, qui mihi, vel alijs propter amorem tuum benefecerunt, & adhuc benè faciunt; & qui orationes, & Missas pro se, suisq; omnibus dici à me desiderant, & petunt, desideraverunt, & petierunt, sive in carne adhuc vivunt, sive jam sæculo defuncti sunt; ut sibi auxilium gratiæ tuæ, opem, consolationem, protectionem à periculis, liberationem à pœnis advenire sentiant; & ut ab omnibus malis erepti gratias tibi magnificas læti persolvant. Offero etiam tibi preces, & hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo læserunt, conturbaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum, vel gravamen intulerunt, mihi nocuerunt, nocere conati sunt, nocent, & nocere conantur. Pro his quoq; omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi verbis. factis, scienter, vel ignoranter; ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra, & mutuas offensiones; auferas autem à cordibus nostris omnem suspicionē, indignationem, iram, & disceptationem, & quidquid potest charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuere.

2. Altera intentionum in uno opere bono quocunque vel quotidiè generaliter ante omnia, quæ totâ die sunt, & occurrent facienda, (imò & patienda) praxis esse potest, quam sæpè memoratus R. P. Gaspar Drużbicius inter intentionum paradigmata sua fæcundiorem probat, hanc videlicet: (a) *Per omnes, ac singulas actiones, & passiones meas universaliter, & incessabiliter, & irretractabiliter toto me Primò intendo unam, solam, semper, ubique, per omnia momenta majorem Sanctissimæ Trinitatis DEI nostri gloriam, gustumq; voluntatis, & exaltationem dignitatis ejus propter illum ipsum per IESVM Christum, juxta intentiones Dei, atque Christi, erga se, & erga nos, ad intra, & ad extra.*

(a) *P. Gaspar Drużb. Parte 2. Provis. 6.*

Secun-

Secundò, *intendo exaltationem Domini nostri IESV Christi, pretiosissimæ parentis ejus, omniumq; electorum propter Deum per eundem IESVM Christum.* Tertiò, *intendo animarum in purgatorio auxilium, quantum ego possum, & illæ capaces sunt, juxta, & propter voluntatem, voluptatemq; Dei, & Christi, & pretiosissimæ parentis ejus, Electorumq; omnium.* Quartò, *intendo dispositionem mei omnimodè perfectam ad gratiam, & charitatem, & ad dona Spiritûs Sancti, ejusq; fructus, & ad omnem virtutem in omni gradu congruo.* Quintò, *intendo dispositionem mei ad gratias actuales omnes, opportunas, copiosas, efficaces, finales, tàm in sacrificio, quàm in Sacramento, quàm extra illud in omni actione, & passione.* Sextò, *intendo emundationem mei coram Deo ab omni tàm culpæ, quàm pœnæ, præsertim spiritualis, obligatione in Sanguine IESV Christi Domini nostri.* Septimò, *intendo auxilium agonizantium, & in peccato mortali, ejusq; periculo, & in gravi calamitate existentium.* Octavò, *intendo auxilium totius Sanctæ Ecclesiæ militantis, Religionis, & domûs, omniumq; meorũ, quos Deus scit, & vult, amicorum, & benefactorum; inimicorum quoque, & malefactorum persequentium me, Religionem, & domum.* Nonò, *intendo præparationem mei ad sanctam mortem, ad pœnitentiæ, unctionisquè extremæ Sacramentum, & ad finalem in bono perseverantiam.* Decimò, *intendo deniq; omnem affectum, & effectum adoratorium, laudatorium, gratiarum actorium, impetratorium, satisfactorium, meritorium, imitatorium, suppletorium indulgentiarum; non tamen propter ullum bonum meũ quatenus privatum meum, sed purè, nudè, totaliter propter suavissimum gustum Dei: & omnia toto me, toto universo, totisq; atomis universalizatis, toto deniq; super omnia Deo meo, ut sit id, quod est, & quia est id, quod est; in clibano ignis Seraphici, Mariani, Theandrici, in IESV Christi Sanguine: & volo, intendoquè; ut omnis motus meus sit renovatio, & ratificatio hujus totius intentionis, atq; approbatio illius æterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

3. Potest etiam alia praxis, præ-

præsertim ante recitationem Officii Divini, & B. V. MARIÆ, adhiberi manè semel pro tota die, hæc v. g: *Domine Deus meus; ego miser peccator has Laudes, & Horas Canonicas, quas nunc ex infinita misericordia tua recitaturus sum, & hodiè quocunq; tempore recitaturum me spero ad majorem gloriam tuam, Sanctissimæ Virginis Matris MARIÆ honorem, Sancti, vel Sanctæ N. N. & omnium Sanctorũ tuorum, totiusq; Curiæ Cœlestis, offerre volo, & offero, in primis ad intentionem Sanctæ Ecclesiæ tuæ, laudando te, benedicendo te, adorando te, & gratias agendo tibi, sicut intendit Ecclesia Sancta tua;* (a) *deprecando te, supplicando tibi pro omnibus necessitatibus, & secundùm omnes necessitates Ecclesiæ Sanctæ tuæ militantis; pro omnibus statibus, & ordinibus in Ecclesia Sancta tua militante, secundùm omnes eorum, & singulorum necessitates; pro omnibus fidelibus vivis, & defunctis, sicut intendit Ecclesia Sancta tua. Deinde etiam offerre volo, & offero* (b) *pro me misero peccatore. Et quidem ex parte mea in primis in plenum, & perfectum actum adorationis, honorificationis, & glorificationis Sanctissimæ tuæ Majestatis; in plenum, & perfectum actum gratiarum actionis pro omnibus & universis beneficijs tuis, indè jam ab instanti creationis mei hucusq; mihi præstitis secundùm sanctissimum beneplacitum tuum, specialiter tamen pro beneficijs Creationis, Redemptionis, illuminationis, & Vocationis ad sanctum servitium tuum,* &c. &c. *Cupiendo Majestati tuæ divinæ gratias agere, & gratias actum esse secundùm omnem modum intensivè, & extensivè, sicut tu Domine magis scis, & dignus es, ut tibi gratiæ agantur; in plenum etiam, & perfectum actum perfectissimæ charitatis ab universa creatura tua rationali tibi debitæ elicitum, & eliciendũ: idq; nunc semel pro semper, pro tota die, pro tota vita mea, pro omni momento, pro tota æternitate, atq; totum in balneo infinitorũ meritorum acerbissimæ passionis, & mortis dilecti Filij tui Domini Nostri IESV Christi. Deinde etiam in plenum, & perfectum deprecationis pro omnibus gravissimis culpis, & peccatis meis, & nescio*

(a) Pro S. Ecclesia militante.
(b) Pro se.

nescio qualiter adhuc confessione expiatis, nullâ adhuc pœnitentiâ defletis, ut tu clementissime Deus ea mihi clementer dimittere digneris: in expiationem eorundẽ, & in satisfactionem pro ijsdem, uniendo, & immergendo hanc meam indignissimi actionem infinitis meritis acerbissimæ passionis, & mortis dilecti Filij tui Domini nostri IESV Christi. Deniq; in plenum, & perfectum actum implorationis, & impetrationis donorum ad salutem mihi necessariorum, specialiter tamen doni N. N. N. veræ pœnitentiæ, perseverantiæ, & gratiæ. Idquè totum in clibano ignis Seraphici, Mariani, Theandrici, in IESV Christi Sanguine. Offerre etiam volo, & offero (a) *pro parentibus meis,* (si vivunt) *consanguineis,* &c. *ut tu clementissime Deus in curam tuam paternam susceptos fovere, & protegere digneris succurrendo clementer eorum necessitatibus omnibus, tàm temporalibus, quàm spiritualibus, ad salutẽ eorum in vitam æternam. Pro nostris etiam, & meis omnibus benefactoribus, & amicis vivis, & defunctis N. N. N. illis etiam omnibus, qui se meis commendaverunt, vel adhuc commendant precibus: ut tu clementissime Deus vivis consolationem tuam, auxilium tuum opportunum largiri digneris, gratiam tuam, & misericordiam, veniam, & remissionem peccatorum ad salutem eorum in vitam æternam; defunctis, qui decesserunt in gratia, beatitudinis æternæ refrigerium. Pro nostris etiam, & meis omnibus inimicis, & persecutoribus; sed præsertim pro meis privatis inimicis, persecutorib9, obtrectatorib9, calumniatoribus, & quomodocunq; mihi nocentibus, & nocere conantibus, & qui mihi jam hucusq; nocuerunt, & nocere conati sunt: pro diffamantibus me; odio, & invidiâ persequentibus me, & quomodocunq; mihi malè affectis, & mali quidpiam de me sentientibus, opinantibus, suspicantibus, & spargentibus quibuscunque, tibi, Domine, magis notis, quàm mihi; ut tu, misericordissime Deus, omnibus illis peccata sua dimittere digneris; ipsis omnia ✠arc bona tàm in præsenti, quàm in futura vita; nosquè, & me ab eorum inimicitijs, odijs, & persecutionibus, potenti virtute tuâ eripere, & liberare digneris. Pro universo*

(a) *Pro suis.*

verso etiam populo, & exercitu Christiano pugnante contra Turcas, hæreticos, & infideles quoscunque; ut populum, & exercitum tuum Christianum eruere, & liberare digneris ab omni paganorum nequitia, incursione mala, periculo, & anxietate; & dare ipsi victoriam ad majorem gloriam tuam, ad populi tui Christiani consolationem, totiusq; Ecclesiæ tuæ Sanctæ Catholicæ consolationem, pacem, & tranquillitatem. Pro illis etiam omnibus, quibus aliquando fui scandalo, vel per temeritatem meam occasio fui peccati, vel perditè cum ipsis conversatus sum: ut pariter omnibus illis peccata sua dimittere digneris; eorum, qui adhuc vivunt, corda à mundi, & cujuscunq; rei creatæ amore avertere, & ad te convertere, meq; posthàc ab eorum, & horum similium commercio liberare. Deniq; offerre volo, & offero pro defunctis meis parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis, propinquis. Pro Religionis nostræ defunctis N. N. N. Ac demùm universè pro omnibus fidelibus defunctis; ut etiam his sit in refrigerium, solatium, & auxilium, secundùm divinæ tuæ dispositionis ordinationem; idq; totum in clibano ignis Seraphici, Mariani, Theandrici, in IESV Christi Sanguine.

Possent adhuc alia proponi paradigmata intentionis, aut intentionum. Sed hæc sufficiant. Quibus addere, demere, alia mutare, pro devotionis affectu, vel pro arbitrio, licet. Sic & in his pauca quidem addita, dempta, mutata sunt. In eis autem Spiritus Sanctus, illi præcipuè, qui graviter lapsus, at divinâ miseratione denuò conversus est ad pœnitentiam, Optimus erit Magister.

CAPVT VII.

§. I.

Quò mágis à pœnitentia sensus abhorret, eò generosiùs est amplectenda.

1. Assvetus diuturnæ licentiæ, forsitan & flagitiis patrandis, ubi demùm adjuvante Deo animum applicuerit ad conversionem, majorem in modum incipiet aversationem ad pœnitentiam experiri, quàm

quàm tunc, dum habitum suscepit religiosum, aut in perpetuum religiosæ professioni se votis obstrinxit. Hujus autem majoris aversationis causam est deprehendere duplicem. *Prima* est ab ipsa diuturna consuetudine, quæ jam in alteram ob habitum malũ, & frequentatos actus abiit quasi in naturam, quam superare velle, penitusqvè præcidere, perindè est; ac ipsam animã à corpore avellere, & exturbare. Quòd si S. Cyprianus asserere non dubitavit; (a) *Quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare; sed salvo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere*: Eaq; fuerint sub tempus illud in Ecclesiis consuetudine recepta; videlicet de Baptizandis illis denuò, qui baptizati fuerant ab hæreticis, aut jam non baptizandis: & de Sacerdotibus, qui deficientes ab Ecclesia accesserunt ad sacrilega sacrificia paganorum, recipiendis quidem, si resipiscant ad pœnitentiam; non tamen amplius ut Sacerdotio fungantur: cùm tamen id in quibusdam Ecclesiis aliter usurpatum fuerit. Quòd si de his, inquam, consuetudine receptis, quæ nihil in corporis, & animæ sensus invehunt voluptatis, asseveravit Sanctissimus Præsul, tenacissimos esse propositi sui homines, nec facilè mutare morem, ac ritum, quem semel imbibitum usurpatione, & consuetudine firmârunt diuturnâ; quantò magis ea, quæ corpus simul, & animam oblectando vitæ cujusdam delicatioris illecebrosam propinant escam, & pulpamentum, vel potiùs irritamentum, non dimittet homo? Libertas, & licentia per plurimos annos usurpata, cor & animam ipsam adeò devinciunt; ut, ubi consuetudo fuerit resecanda, cordi, animæq; vis adferenda sit ea, quæ mortem, si non statim adferre, saltèm accelerare videatur; tùm quòd consuetudo licentiosè vivendi, peccandiq; sit quidam carcer firmissimus, ex quo difficillimum sit erumpere, & ex malè vivendi usu ad

(a) S. Cypr. lib. 2. Ep. 1. ante finem.

vitæ probitatem evadere. Undè non immeritò Sanctus ait Gregorius: (a) *Omnis homo per id, quod malè agit, quid sibi aliud, quàm conscientiæ suæ carcerem facit? Qui cùm, judicante Deo, in malitiæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur; nè evadendi locum inveniat, quem invenire minimè meretur. Nam sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorundem pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt.*

2. *Altera* horroris à pœnitentia causa est; Qvia diabolus illum, qui semel ejus evasit vincula, si rursùm capiat, sicut fit cum Religioso, qui semel spreto mundo statum adiit ducentem ad perfectionem, rursùs autem in adversarii laqueos incidat, jam arctiùs multò, quàm anteà vincit, carcere vitiorum includit, & compedibus innectit durioribus, veritus, nè denuò tàm bonam, qualis est in ruinam lapsus iterum Religiosus, deperdat offam. Ad hoc propositum scitè S. Patianus: (b) *Si quis, ait, redemptionis ignarus rursùs ad angelorum* (videlicet apostatarum) *servitutem transierit, antiquis illis compedibus, & catenis, id est, peccati vinculis, alligabitur, & fient novissima ejus deteriora prioribus. Quia diabolus eum quasi perfugum victum, & vinctum vehementiùs alligabit.* Quæ verba latiùs exponens in historiam Job interpres, eleganter ait: (c) *Etenim ille, qui contritis dæmonis laqueis, & mundi contemptis illecebris, ad exercitum, & partem filiorum Dei victor, & ovans transierat, si postliminiò rursùm per peccatum, quasi terga dans Christo, & socios despiciens Angelos, ad Satanæ vexillum evolârit; dux impius, & animarum hostis antiqvus, servum recognoscens, & perfugam militem superiori custodia claudens, durioribus compedibus, & strictiori vinculo nectit, nè iterum fugam meditetur.* Fit nimirum cum Religioso lapso, ab instituti sui professione deficiente, novaq; licentiosè vivendi consuetudine irretito; quod cum servo quopiam captivo. Qui solis compedibus innexus, & levi-

(a) *S. Greg. lib. 11. Moral. c. 15. citat. à Corder. in Job. 12. 14.* (b) *S. Patian. Orat. de Baptismo, circa finem.*

(c) *Corder. in Job. c. 12. 14.*

ori carcere custoditus, si ruptis pedicis fugiat, captus iterum, jam & pedicis, & manicis, & ad collum catenâ fortiùs alligatus, arctioriq; carceri inclusus ampliùs effugere non potest. Sic Religiosum ad pristina relapsum arctiùs constringit diabolus, & majorem ad pœnitentiam redeundi suggerit horrorem, quàm olim, dum spreto mundo religiosum adiverat institutum; nè rursùs eâdem facilitate, quâ olim, ipsum eludat. Habet igitur Religiosus ejusmodi duplicatum injectum sibi vinculum, & carcerem. Qvia & superiore dæmon ipsum arctiùs includit custodiâ, scilicet & desertæ quondam libertatis, voluptatis, & illecebrarum ipsi nova licentiæ sub specioso Religionis titulo reverentiam, honorem, & auctoritatem non tàm conciliantem sibi, quàm vendicantem per arrogantiam insertat vincula, mentemq; catenat; & horrorem magis ingerit ad resipiscendum, atq; ad novam suscipiendam pœnitentiæ vitã, quàm olim, dum simplici tantùm quodammodò carcere, & vinculo attinebatur in mundo.

3. Verùm hæc quantò fortiùs illigant; tantò majorem vim, robur, & alacritatem ad ea confringenda jam exserat, est necesse, diabolum hâc generositate, & heroico spiritu, magis exterritum, & consternatum victurus, attonitum certè, tùm novo certaminis, ad quod in arenam descendit pœnitens, ausu; tùm gratiæ divinæ auxilium operosiùs subministrante fiduciâ, sic, ut nihil huc requiratur ampliùs, quàm, ubi voluntas anteactorum conscientiâ vehementiùs in delictorum vindictam inflammata exarserit, fortiter incipere, atq; contra pravam consuetudinem collectis animi viribus omnibus in hostẽ irruere; quod unicè veterator stygius extimescit. Nam hoc primo facto per animi generositatem impetu, cætera versutissimi hostis omnia ruunt machinamenta. Præclarè S. Joannes Chrysostomus ad hoc propositum pro consolatione lapsorum, & denuò resipi-

ſipiſcentium animos addendo perorat in hæc verba: [a] *Adverſarius cum his rebus cognitis planè intelligit eos, qui malè facta quantumlibet immania perpetrârunt, ut primùm cœperint pœnitere, quòd majore ſtudio id facient, tanquam conſcij delictorum ſuorum, vehementer timet, ac formidat; nè quando rem exordiantur. Gradu enim facto, ampliùs detineri nequeunt: conflagrant per pœnitentiam, tanquam vehemens ignis, & auro puto, puroq; animas ſuas puriores efficiunt, tanquam vento rapido conſcientiæ, ac memoriâ præcedentium peccatorum in virtutis portum convehuntur.* Addit inſuper idem aureum os, ac dicit: *Et hoc eſt, quòd peccatores plus poſſident, quàm qui nunquam ceciderunt. Quoniam majore alacritate reditum tentant, tantùm rem, ut ſic dicam, auſpicentur.* Quaſi dicat: Aſſueto licentioſæ vitæ, peccandiq; conſuetudini, nihil eſſe difficilius, quàm incipere pœnitentiam: at poſtquam primum clivum (ut Sanctus idem loquitur) & veſtibula contigerit pœnitentiæ; jam deinceps majori cum alacritate, multaq; facilitate pulcherrimam depugnabit pugnam: ideòq; ad horrorem, quem primâ fronte concipiunt ſenſus ad aſperiorem vitam, infringendum, majore jam opus eſt animo, & generoſitate, quàm tunc, dum ex ſæculo religioſum aggreſſus eſt ſtatum. Ibi namq; ſolùm exſtimulabat ſtatûs aliquod perfectioris deſiderium: hìc autem & amiſſi ſtatûs ejusdem verecundia, & recuperandi cupiditas impellit, tanquam militem pro duplici pugnaturum corona: Videlicet, ut & illam, quam in prima pugna temerarius amiſit, recuperet; & iſtam, pro qua denuò Chriſti caſtris adſcriptus fortiter decertat, certa victoria conſequatur.

[a] *S. Joan. Chryſ. Paræn. 1. ad Theod. lapſum.*

§. II.

Majorem horrorem pœnitentiæ, victoria ſequitur glorioſior.

1. Pulcherrimum eſt; indè ſibi victoriæ texere coronam, undè victoriam ſperat adverſarius. Ideò nequam ſpiri-

ſpiritus horrorem pœnitentiæ ſuggerit animo, nec aliam ob cauſam aſperioris vitæ faſtidium movet, quàm ut ex concitato tædio pugnantis adversùs carnis, & ſenſuum illecebras enervet, ac penitùs extingvat vires. At ſicut in re militari ars eluditur arte, & unũ ſtratagema ſtratagemate retunditur altero, veluti dum actus ab hoſte cuniculus alio paulò ſuperiùs, acto obruitur, & ibidem opprimitur hoſtis non ſine victoris ingenti gloria; vel cùm incurſionem ex inſidiis facturus inimicus, in iiſdem ex inopinato præoccupatus occumbit: ita quò majus animum pulſat faſtidium pœnitentiæ, & nihilominùs etiam hoc contempto dum contra vaferrimum veteratoris aſtum itur audentiùs, ignominioſum adeò eſt diabolo, ut penitùs omnem artem ipſe quidem deſperet, doleatqvè, ſe deprehenſum, & captum in eo, in quo capere voluit: pugnans autem in pœnitentia, victorqvè, majorem indè ſibi parat gloriam, & coronam. Vicit enim & tentatorem dæmonem; & naturam, geniumq; ſuum aſpera ſemper refugientem ſuperavit.

2. Hinc obſervatione dignum eſt, quàm ſubtili Chriſtus Dominus in deſerto Satanam triumphavit arte. Super baptizatum diebus abhinc quadraginta Dominũ in Jordane Cœlo delapſam diabolus audierat vocem: (a) *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, captavit hinc occaſionem opportunam, ut eſuriuntem poſt quadraginta dierum, totidemq; noctium inediam aggrederetur, ac tentaret. Validius autem ab ipſo Patris æterni teſtimonio ſumpſit initium: & ſicut ibi vox intonuit de Cœlo: *Hic eſt Filius meus dilectus*; ſic iſte blandus inimicus ut exploraret, Deinè Filius, ac verus Deus naturam indutus humanam; an verò tantùm ſit purus homo; ideòq; tot jam dierum inediâ maceratum haud dubiè eſurire, ab eadem Cœleſti voce tentationem orditur: (b) *Si Filius Dei es*, & gulam ut irritaret in homine eſuriente, productis lapidibus ait: *Dic*

(a) Matth. 3. 17. (b) c. 4. 3.

ut lapides isti panes fiant. Quasi diceret tentator; Jam non sum dubius Cœlestis oraculi, quod te Filium Dei pronuntiavit; hoc enim audivi. Sed tu da tuæ divinitatis indiciũ, ut credam: *Dic*, & loquere lapidibus istis; ut te vel ipsa insensilis natura Deum confiteatur, obediendo voci tuæ; *Dic*. Cùm verò te videam & hominem, & quidem esurientem, *dic*, *ut lapides isti panes fiant*; ut naturam hominis famentis panes isti reficiant, ac sustentent, ex quo mysterium possim intelligere; quomodo, qui Dei Filius es, simul etiam sis homo; qui sine pane vivere non potest. Hæc nequam spiritus, & deinde plura, suggessit, per quæ Christi humanam ad gulam, ad vanam gloriam, ad idololatriam sollicitare ausus exploraret, an verè Dei Filius esset; an verò purus homo tantùm dictus filius Dei per similitudinem, sicut & alii hõmiues justi, & sapientes; quos Sacra Scriptura Dei filios appellat. Quid autem Dominus? Tàm in prima, quàm in altera, & tertia tentatione semper Satanam elusit adeò cautè; ut nihilominùs semper dubius, confusus, & victus succumberet; cùm aliud non accepit ad machinamenta sua responsum, quàm *Scriptum est*. Oraculum Cœleste diabolus adhibuit, & Scripturam: sed æquè Scripturæ testimoniis, tanquam ex iisdem principiis, ex quibꝰ ille tentandi sumpsit occasionem, convictus ita fuit, ut nec Dei Filium verè consubstantialem Deo Patri, nec verè purum hominem esse potuerit intelligere; captus, confusus, & cum ignominia sua victus pari stratagemate, quo vincere parabat ipse, palmam, & gloriam Victori Christo Domino vel invitus relinquens. Id quod Divus Gregorius egregiè videtur advertisse, cùm ait: (a) *Portat* Dominus, *quem punire poterat; ut hoc in laudem ejus altiùs cresceret, si hostem suum non extinguendo, sed interim patiendo superaret.* Astutus impostor machinationibus suis, & quibusdam quasi cuniculis expugnare Dominum voluit: sed pari-

(a) *S. Greg. Hom. 16. in Evang.*

bus

bus ipſe cuniculis circumventus, imò ſuis in inſidiis captꝰ, & oppreſſus, majorem humanitati Chriſti gloriam paravit: *Vt hoc in laudem ejus altiùs creſceret*, & Domino glorioſior eſſet victoria; quo Deum, aut hominem experiri voluit inimicus.

3. Ita planè Religioſus lapſus, ubi pœnitentiam aſſumit, certam videlicet ſalutis ſuæ lucrandæ ſuſcipit pugnã, quò magis ipſum horror quidam à propoſito retrahit; eò magis ſtrenuè tali faſtidio reſiſtens, glorioſiorem indè reportat palmam, quàm ſi nullam per inimici dolum ſenſiſſet repugnantiam, horrorem ſuperans forti ſuimetipſius contemptu, ſenſilem appetentiam auſu magnanimo, ignaviam ſtrenuitate; & tanquam ex ipſis adverſarii machinis fortiter pugnandi, vincendiq; materiam ſibi conſertans. Et ſicut ille, qui plus laborat, plus etiam mercedis accipit; ſic qui pugnat fortiùs, & per magis ardua reportat victoriam, victor meretur ampliorem gloriam; & *creſcit in laudem altiùs*, quod difficilioris ſerit pugnæ materiam.

4. Propoſitum hoc illuſtrat egregiè illa de magno Credentium omnium patre Abraham hiſtoria. Bis illi mandata dederat Deus, & quidem difficilia. *Primum* erat; [a] quòd ipſum egredi juſſerat de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, & peregrè proficiſci in terram alienam, à Deo ſibi monſtrandam: proponitur ſtatim & promiſſio præmii pro exantlato per obedientiam labore. *Alterum* mandatum erat duriſſimum; & à quo exſequendo vel ipſa debuit abhorrere natura, filium ſuum unigenitum, ſibiq; dilectum, Iſaac ut tolleret, in montem pariter à Domino ſibi monſtrandum pergeret, ibiq; ſenectutis ſuæ delicias, in holocauſtum offerret: [b] *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac; & vade in terram viſionis, atq; ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi*, Deus ad Abraham dixit. Durum erat exire de terra ſua patria; patrem, matrẽ,

(a) *Gen.* 12. 1. (b) *c.* 22. 2.

& cognationem deserere; domum hæreditariam sibi, relinquere; peregrinum in aliena terra sibi quærere mansionem. Sed longè durius, imò durissimum erat, filium unigenitum, prolem sibi charissimam, propriâ manu suâ interimere; in holocaustum offerre; & tamen utrumq; jussum Abraham fide integrâ, alacritate summâ primum quidem explevit; alterum educto gladio, manu jam in ictum extentâ paratus erat explere, nisi promptam voluntatem Angelus anteverterat, & ictum sustinuerat. Obedientiam hanc utramq; Deus certis est prosecutus, & consolatus promissis præmiis; sed multum disparibus. In primo, ita Deus ad Abraham: (a) *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus.* In altero; postquam dixerat: (b) *Nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, prorsùs (ut ita dicam) eviscerat se Deus cum promissa benedictione: neq; contentus promisisse, dato juramento fidem insuper suam interponit, dicitqvè: (c) *Per memetipsum juravi: Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas, & velut arenam, quæ est in littore maris; & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, quia obedîsti voci meæ.* Promissio maxima. Quâ major an dari potuit, aliis examinandum permitto. Cur autem hæc altera priore major, imò maxima?

5. Sed antequam rei hujus edicam causam, in duobus hisce promissis occurrunt duo ponderanda. *Primum*; quòd Abraham licèt ad unguem Dei mandatum exsecutus, exiverit de terra, de domo, de cognatione sua; non tamen ad factum hoc satis heroicum audivit, Deum cognovisse, quòd ipsum timeret, sicut audivit, cùm filium suum offerre paratus erat in holocaustũ: *Nunc cognovi, quòd times Deum.* An non & ibi cognovit, quòd timeat, ubi vix accepto mandato, *Egredere de terra tua*, statim obediens, egressus est? Certè

(a) *c. 12. 2.* (b) *c. 22. 12,*

(c) *v. 16.*

Certè cognovit ille, cujus oculis aperta, & nuda sunt omnia; & tamen nulla cognitionis hujus ibi fit mentio; sed primùm hìc: *Nunc cognovi.* *Alterum*, quod expendendum inferunt hæc promissa, est: Cur hìc Dei testimonio magis acceptatur, & æstimationem obtinet voluntas, quàm ibi factum? An non præclarius erat, reliquisse domum, patrem, matrem, & omnia; quàm hìc voluisse tantùm, & non fecisse? Ita quidem videtur. Nam facta rem commendant ipsam; voluntas effectui minimè data, suo valore destituitur.

6. Primam hanc quæstionem, cur videlicet Deus ibi non dixerit; se cognovisse, quòd Deum timeret Abraham; hìc autem luculenter contestatus sit: *Nunc cognovi*. Interpretum variæ solvunt sententiæ, singulæ verò Scripturæ Sacræ testimoniis innixæ, & firmatæ. Et quidem non ignoro; quid Sancti Joannes Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, Hilarius, & cum his Interpretes alii respondeant; sed illorum nemo pandit mysteriū, cur in oblatione filii, licèt tantùm voluntate, primùm sit illi dictum: *Nunc cognovi, quòd times Deum*, & non etiam tunc, cùm parentes, & omnem terram, atqve cognationem suam deseruit? Respondeant alii pro suo quisq; ingenio. Ego quæstionem hanc, aut potiùs Abrahæ factum ad perfectæ obedientiæ lancem examinando, putarem sic expediendam. Ibi Abraham terram suam reliquit, & cognationem, sed non omnem. Nam, ut sacra testatur historia, (a) *tulit Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamq; substantiam*; eratq; illa peregrinatio, licèt in terram alienam longinqua, honestum quoddam spatiari. Cum uxore, cum nepote, cum ejus filiis, cum cognatis, cum vernaculis suis, cum universa substantia peregrinatus obedivit voci Domini; sed ubiq; dives, opulentus, ubiq; dominus, & majoribus insuper promissis invitatus: *Faciam te in gentem magnam, benedicam tibi, magnificabo nomen tu-*

(a) *Gen.* 12. 5.

um. At nondum sic ad vivum probata fuit ejus obedientia, sicut hìc in offerendo unigenito filio, quem diligebat, Isaac. Hìc terribilis, & durissimus ei frangendus erat cortex; ubi Deo præcipiente dilectum filium, unigenitum, divitiarum ac possessionum amplissimarum hæredem; primam, & ultimam posteritatis suæ spem, senectutis suæ solatium, sine ullo præmii promisso; tantùm nudè; *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac; offeres eum in holocaustũ*; hunc, inquam, ipse pater manu suâ occidere, in partes secare certas, in holocaustum offerre debuit. Quod ipsum nihil erat aliud; quàm uxorem, cognationem, universam substantiam, deniq; semetipsum pariter ire perditum; & tamẽ ob Dei timorem, amorem, & cultum, nihil hæsitans, aut moratus, alacer ad explendũ mandatum ivit Abraham cum charissima sibi victima in montem, pyram exstruxit, filium ligavit, imposuit lignis, educto gladio manum extendit, ictum jamjam daturus, ni Deus per Angelum celeriter inhibuisset. Igitur in egressu de terra, & cognatione sua, nepos, & cognatus Lot, peregrinationis socius, obedientiæ præceptum nonnihil lenierat, illudq; reddiderat tolerabile. Sed hìc filius unigenitus, & dilectus Isaac immolandus in holocaustum omnia secum rapere solatia debuit, & simul æternùm sepelire. Atq; hoc erat ab omni parte perfectissimè, sine solatio, sine promisso præmio, sine ulla spe vel minimi præmii obedire. Quæ demùm res, & heroica actio in tanto fuit apud Deum pretio; ut, cùm in deserenda terra, & cognatione arbitratus ejus obedientiam, sed accepti secum nepotis lenocinio conditam, ideòq; nondum satis probatam, & perfectam explorârat Dominus, hìc jam non tantùm à cognatione, sed etiam à semetipso Patriarchã expertus exivisse, virtutem ejus in obtemperando sic probârit, ut, quam ibi silentio, nondum licèt ab omni parte perfectam, acceptavit tamen, hìc jam numeris omnibus absolu-

ſolutam collaudaverit: *Nunc cognovi:* id eſt, (ut Divus Auguſtinus explicat) Nunc feci, ut tibi planè innoteſceres, quòd timeas Deum; ſive, juxta S. Joannem Chryſoſtomum: (a) *Nunc omnibus declarâſti, quomodo ſincerè colas Deũ.* Hucusq; Sanctus Patriarcha per innumera probatus adverſa, quòd, & quàm ſincerè timeret Deum, & coleret, expertus in ſe non fuit: ſed ubi perfectiſſimam obedientiam exhibuit in ſuimetipſius difficillima, ſed & glorioſiſſima, victoria; tunc primùm perfectè quoq; cognovit, ſe obediviſſe Deo; ſe timere, & colere Deum: tunc, inquam, cùm in tàm ardua cum affectu paterno pugna ſeipſo fortior, divinæ obediens voci, dignus fuit audire: *Nunc cognovi quòd times Deum.*

7. Ad alteram textûs hujus quæſtionem venio: cur videlicet Deus hìc magis acceptaverit voluntatem, quàm ibi factum? Et ad hoc reſpondet S. Ambroſius: quòd nimirum Deus non habuerit, nec habeat, opus humano ſanguine; ſed neq; voluerit adoleſcentulum occidi: ſed experiri tantùm voluit, vel potiùs ipſi Patriarchæ cognitum, & experimento probatum eſſe; Deumné plus amaret, quàm unigenitum, & impenſiſſimè dilectum filium Iſaac? Igitur ſic Mediolanenſe definit, ac dicit, oraculum: (b) *Non volebat Deus à patre immolari filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit. Sed tentabat affectũ patris, ſi Dei præcepta præferret filio; nec paternæ pietatis contemplatione vim devotionis flecteret.* Et qvia Patriarcha prætulit amorem, & timorem erga Deum, ejusq; mandatum amori, & pietati erga filium præpoſuit, paratus illum omninò occidere, & in holocauſtum offerre Deo; ideò voluntas heroica, parata, niſi Deus ipſe vetuerat, explere mandatum, accepta fuit pro facto. Undè & dicitur; non, quia facere voluiſti, ſed *quia feciſti rem hãc, & non pepercisti* (non autem; non parcere voluiſti) *filio tuo unigenito propter me.* (c)

Iiiii 2 8. Itaq;

(a) *S. Joan. Chryſ. citat. à Pererio hìc.*

(b) *S. Ambr. Tom. 4. lib. 1. de Abrah. cap. 8.* (c) *Gen. 22. 16.*

8. Itaq; jam expeditis duabus hisce quæstionibus, nunc videamus; quàm Deus in duobus Abrahæ promissis, quibus ejus obedientiam remuneraturum se pollicitus est, diversâ methodo exhibuit se erga Patriarcham. Ad primã illam obedientiam nonnihil langvida, simplex, & (ut ita dicam) jejuna fuit promissio: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* (a) Ad alteram verò, se (sicut jam dixi) quodammodò totum eviscerat Deus, & promissionem suam insuper juramento firmat: *Per memetipsum juravi*: tùm verò totum se liberalissimè in benedictionem effundit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*; & super omnia: (b) *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hæc secunda promissio primam illam infinitis superat parasangis. Nam præter immensam ejus seminis multiplicationem promittit insuper Deus id, quo majus illi polliceri non potuit: nempè nasciturum ex Abrahæ semine Christum Filium Dei unigenitum, mundi totius Servatorem. Promissio, & benedictio maxima. Quare Burgensis explanans hæc duo promissa, sic ait: (c) *Licèt utroq; in loco idem sit Latinum verbum* Benedicentur; *Hebraicè tamen illic est verbum non aliud significans, nisi fore, ut alij precantes sibi, vel alijs benedictionem dicerent: Deus benedicat mihi, vel tibi, sicut benedixit Abrahæ. In hoc autem loco pro Latino verbo,* benedicentur, *est Hebraicum verbum significans eum, in quo dicitur benedicendas essè omnes gentes, fore principalem causam efficientem illius benedictionis: quod sanè perspicuum est, in alium neminem, nisi in Christum Domini convenire possè.* Deniq; promissionis hæc verba Pererius ita pergit exponere: (d) *In semine tuo, id est; per, vel propter semen tuum benedicentur omnes gentes: id est; benedicent se, æstimantes, & prædicantes se benedictas, & beatas esse propter Christum; quod erit semen tuum secundùm carnem.*

9. Quod cùm ita sit; quare

Deus

(a) *Gen.* 12. 2. (b) *c.* 22. 17.

(c) *Burgens. citat. à Pererio Tom.* 3. *in Gen. c.* 22. *v.* 18. *Disput.* 13. *nu.* 87.
(d) *Perer. ubi suprà.*

Deus hìc tàm liberalis, etiam per juramentum, ad remunerandam obedientiam Abrahæ prosecutus est promissionem, ut præter seminis in immensum multiplicationem, etiam Verbum æternum, Filium suum sibi consubstantialem promitteret assumpturum carnẽ ejus ex semine; Christum, inquam, nasciturum, in quo, & propter quem omnes gentes benedicerent, æstimarent, & prædicarent se benedictas, & beatas? Causam, quæ nunc occurrit, aperio. Propterea Deus in secundo promisso liberalissimus fuit. Qvia non tantum horrorem in obediendo fuit expertus Patriarcha, quando cognationẽ, patriam, & terram suam deseruit, quantum hic, ubi filium unigenitum in holocaustum offerre jussus est. Longè plus in hujus, quàm in illius, expletione mandati, certare secum, & cum ipsa natura debuit, ac laborare. In quo tamen nihil tenerrimus in prolem suam affectus, nihil adolescentuli ætas florida, nihil Saræ conjugis pro filio anxietas, & mœstitia; nihil Abrahami sanguinis, & seminis in unigenito dilecto Isaac interitus, quæ singula paternum cor, & viscera lancinabant, & lacerabant, evincere potuerunt; tantùm jam trucidandus erat dilectus Isaac; fundendus paternâ manu filii sanguis; immolandæ in holocaustum patris deliciæ: Deus jussit: *Tolle filium tuum unigenitum.* Abraham nihil reluctatus; *extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.* [a] Holocaustum igitur, ad quod vel ipsa horrere debuit natura, perfectissimâ obedientiâ, & voluntate promptâ, licèt facto minimè completum, ampliore Deus honoravit promisso; promissam benedictionem amplissimam in ejus semine adimplevit, hoc ipso protestatus; hanc Abrahæ victoriam sui multò gloriosiorem fuisse, quàm dum paternam domum, cognationem, deseruerat, ad mandatum factus à suis omnibus exul, & peregrinus. Jam sicut Abraham majore coronatus est gloriâ, quò magis ab immolando

(a) *Gen.* 22. 10.

filio refugiebat natura, ipse nihilominùs alacriter ad Dei vocem, naturæ vicit affectum: ita Religioso, seu cuicunq; demùm occurrit labor, & horror pœnitentiæ; eò gloriosior commendat victoria pœnitentem.

CAPUT VIII.

§. I.

Conversus ad pœnitentiam, memoriâ peccatorum confundi non intermittat.

1. Inter alia pœnitentiam constanter prosequendi, nec ad peccatum denuò revertendi media præcipuum sibi constituat pœnitens Religiosus, peccatorum suorum, ac perditæ vitæ frequentem memoriam, non ut eorum sordibus animum oblectet, hoc enim esset ultrò pristinæ peccandi consuetudini cor inserere, sed ut horum memoriâ, partim divinam in se laudet, adoretq; misericordiam, partim in semetipso confusus, & delicta sua detestatus, intra limites verè pœnitentis ut se contineat; de se pessimè semper sentiat; semetipsum assiduè condemnet; magis semper, ac magis in cognitione sui proficiat: Verbo; jam non alium se cognoscat, quàm maximum peccatorem, miserum, miserabilem, nudum, cæcum, & claudum. Hùc spectâsse videtur celebris ille, totoq; mundo proclamatus pœnitens, qui coram Deo sæpè contestabatur (a) *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper.* Hoc videlicet præsentissimum habuit Rex ille remedium sensus suos formandi; quòd & cognoverit se peccâsse, majestatisq; divinæ gravissimè læsæ reum agnoverit; & peccatum suum adulterii, simul & homicidii fœdissimum semper tanquam in tabula descriptum ante mentis oculos versari sibi voluerit, ut eâ continuâ gravissimæ noxæ recordatione hinc quidem ad vindictam de semetipso sumendam accenderetur, & exardesceret; indè provocatam in se divinam indignationem placaret, veniamq; faciliùs impetraret; ac deniqve tàm atrocis criminis

(a) Psalm. 50. 5.

admissi memoriâ, peccandi fugeret occasionem; eâ crebrâ gravissimi peccati sui versatione veluti carcere quodam inclusos, vinctosq; contineret sensus. Hinc S. Gregorius recitata verba Davidis, *& peccatum meum contra me est semper*, exponens, ipsum ita loquentem inducit: (a) *Non posui super dorsum, quod feci; non intueor alios oblitus mei. Non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trabem, quæ in oculis meis est, considerare. Peccatum meum contra me est semper.* Hanc iniquitatum recordationem inculcat & Galfridus haud inutilem pœnitenti, cùm ait: (b) *Sicut in corpore suo Christus retinuit cicatrices certâ quâdam dispensatione; sic in nostris etiam animabus cicatrices patitur residere Salvator. Siquidem ex recordatione peccatorum suorum magis, magisq; sibi quisq; vilescit; erga proximũ mitescit; dulcescit ei Salvator suus; iniquitatem præteritam exsecratur; præsentem amplectitur gratiam; securitatem futuræ beatitudinis ampliùs concupiscit.*

(a) *S. Greg. Exposit. quarti Psal. pœnit.* (b) *Galfrid. citat. in Men. Spirit. cit. verbo: Peccatum. num.* 79.

2. Itaq; sicut cognovit iniquitatem suam David, & peccatum suum semper coram faacie sua constituit, sibiqvè magis indè semper, ac magis viluit, ut de se diceret: (c) *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis*; sic & Religiosus olim, per superbiam, vocationis suæ contemptor, ac desertor, & in gravia peccata lapsus, ubi denuò conversus ad Deum inspicit conscientiæ suæ latebras, & illuminante divinâ gratiâ mentem, pervidet peccata sua clariùs, aliud de se jam non potest pronuntiare, sed nec existimare, quàm quòd sit *vermis* ex fæda putredine generatus: *Putredini dixi; pater meus es, & mater mea. Vermis, & non homo* præditus intellectu; sed propter sensuum appetentiam in peccata prolapsus enormia, jumentum, & bestia; verè *opprobrium hominum, & abjectio plebis*, utpotè qui gravissimè peccando naturæ prævertit ordinem, & invertit. Et licèt totus hic Psalmus, ex quo desumpta sunt hæc verba, sit de

(c) *Psalm.* 21. 7.

Christo

Christo Domino à morte resuscitato, quod ipsum præfixus indicat titulus: *In finem pro assumptione matutina David*, eò quòd (uti S. Hieronymus exponit) *matutina assumptio resurrectionis Dominicæ, & ascensûs ad Patrem significat Sacramentum:* [a] tamen moraliter etiam omni homini post peccatum justificato possunt attribui. Siquidem à peccati morte resuscitatus ad vitam spiritualem, dum reminiscitur peccatorum suorum non potest habere causam aliquam altè de se vel in minimo sapiendi; sed re verâ perspectis, & probè cognitis iniquitatibus suis, centies millies inculcat sibi: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

3. Ubi *vermis, & non homo, significat humilitatem*, (ait [b] per quam peccator in sui cognitionem absorptus, abyssum miseriarum suarum agnoscit: *Opprobrium hominum, & abjectio plebis*, indicat ipsam peccatoris, etsi jam ad Deum conversi, præteritam, in qua jacebat, abjectionem, factus *opprobriū* non solùm coram Deo, & Angelis ejus, universaq; Cœlesti curia; sed etiam coram hominibus, in quorum oculis ob peccandi cum scandalo ignominiosam fœditatem factꝰ est *opprobrium, & abjectio*, ita, ut videntes homines ipsum à statu vitæ perfectioris ad probrosum vivendi desciviſſe genus, insaniam ejus, etiam nolentes, per risum exploserint; aut parùm prudenter humanam imbecillitatem reticentes sine commiseratione cachinnum sustulerint dixerintqvè: [c] *Ecce, qui docuit multos, & manus lassas roboravit; vacillantes confirmaverunt sermones ejus; & genua trementia confortavit: nunc autem defecit.* Vel: [d] *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Et ita jam in reminiscentia peccatorum verè de se dicere potest: *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs, & moverunt caput.* [e]

4. Hæc igitur secum meditanti crebriùs, occurrit odium sui, despicientia, & (ut ita dicam) displicentia, nec meliùs, nec efficaciùs in hanc

(a) *S. Hier. in Psal.* 21. (b) *Hugo hic.*

(c) *Job.* 4. 3. (d) *Thre.* 4. 1. (e) *Ps.* 21. 8.

profundam sui cognitionem, ac despectionem venturo; quàm dum præteritam in peccatis miseriam suam in mentem sibi revocat, eamq; diligenter versat. Undè & Job, postquam in se reversus agnovit, se nonnulla parùm prudenter coram Deo locutum fuisse, mox subdit: (a) *Idcircò me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & in cinere.* Quē versum Septuaginta Interpretes exponunt ita: *Quam ob rem sprevi meipsum, & extabui: putavi autem me terram, & cinerem.* Quasi diceret: Antequā conscientiam meam exactiùs inspexi; multa perperam locutus sum, & justitiam meam ad nimium exaggeravi, meq; justiorem præ cæteris, & esse me aliquid existimavi: sed postquam tu DEUS oculos mentis meæ aperuisti mihi, & ego permotus adhortatione tuâ me diligenter examinavi; deprehendi me culpis obnoxium; hominem, sicut & alios, fragilem, è lutosa materia formatum; ideòq; *sprevi meipsum, & contempsi*; & verè cognovi, me terram, cinerem, ac pulverem esse, & tanquam nihilum ante te.

(a) Job. 42. 6.

5. Scitè propterea S. Gregorius ad hoc propositum ait: (b) *Quantò se quis minùs videt, tantò minùs sibi displicet: & quantò majoris gratiæ lumen percipit, tantò ampliùs reprehensibilem se esse cognoscit.* Igitur & Religiosus post inveteratam peccandi consuetudinem, & notabilem vocationis suæ jacturam, ac ruinam, iterum ad Deum conversus non obliviscatur miserabilis sui statûs, in quo miserandum in modum multo versabatur tempore; crebròq; sibi statuat coram oculis admissas iniquitates. *Ascendat tribunal mentis suæ,* (S. Gregorius (c) iterum ait:) *constituat se ante se; videat fæditatem suam, & corrigat; nè nolens tandem videat, & erubescat. Sit sibi judex incorruptus; torqueat eum timor,* & exagitet reminiscentia peccatorum. Undè & S. Hieronymus in persona Davidis ait: (d) *Quia non trado* peccatum meum *in oblivionem: propono illud semper ante ocu-*

(b) S. Greg. l. 35. Moral. c. 5. (c) Idem Explanat. Quarti Psalmi Pœnit. (d) S. Hieron.

te oculos meos. Et demùm addit: *Quia tu si ponis illud*, id est, peccatum, *ante te*; *Deus illud non ponit ante se.* Semper itaq; Religiosum pœnitentem arguat culpa sua ante mentis oculos posita; ut semper humilis, sibiq; contemptus, clementem Judicem Deum experiatur.

§. II.

Peccatorum memoria magis accendit ad virtutem.

1. Ex hactenus dictis facilè quidem liquet; quàm multos in animo verè pœnitentis adferat peccatorum reminiscentia fructus: sed inter alios iste non postremus est; quòd ex crebra delictorum in mente versatio tantò magis accendat animum ad virtutum exercendarũ heroicas actiones, quantò meliùs ea quis in se dispexerit; eorumq; turpitudinẽ, ferociam, & adversùs Optimum Deum audaciam, quâ divinam Majestatem offendere non sibi ducebat Religioni, studuerit pervidere. In quo dum semetipsum odisse, contemnere, & prorsùs ad nihilum coram Deo redigere pœnitens adnititur anima; pariter in id incumbit tota, ut per actus vitiis iisdem, in quibus hactenus contabescebat, contrarios, naturæ suæ motus, & affectus inordinatos, atq; carnis appetentiam oppugnet; carnem spiritui subijciat, vitiorum satellitium expugnet, vincat, & opprimat. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi virtutum inveteratis adversantium vitiis exercitio, Deiq; gratiâ jam efficaciùs operante, quidam stimulus animum ad heroicè resistendum sive tentatori diabolo, sive domestico inimico, quod est peccatum in carne dominans, excitet: ideò virtutum robur in subsidium consequendæ victoriæ mens ut adhiberi possit, earum desiderium accendit peccatorum recordatio; quæ tantum addit (imò plus) animi ad strenuam, pulcherrimamq; contra vitia pugnã, quantum olim erat ferocior, & excitatior in consuetudine carnis sensibus obtemperandi, adeò quidem, ut quò quis enormiùs excesserat, & divinam,

nam, humanamq; legem contemptum ibat, eò generosiùs in vindictam de tanta contra Deum, hominesq; injuria exstimuletur.

2. Hanc animadversionem suggerit Divus Joannes Chrysostomus, aliiq; Sancti Patres, qui passim eam reminiscentiæ culpas enormes in mentem revocantis advertunt indolē: ideòq; Sanctus idem Joannes Chrysostom9 hoc ipsum Theodoro Monacho lapso innuit argumentum, quo persuaderet eidem per opera pœnitentiæ peccatis adversa, virtutem animo generosiùs inseri, quàm si penitùs oblitus iniquitatum suarum peccatorem se non agnosceret. Undè postquam ostendit ad Deum patere per pœnitentiam aditum, deniq; sic ad propositum nostrum concludit: (a) *Atqui maximè refulgentes inveniemus post lapsus enormes; qui magnum impetum in malitia præ se tulerunt, eundem rursùs adhibuerunt sæpè numero rebus optimis, perpensis apud se debitis, quibus sunt velut obærati per sua ipsorum malefacta.* Nimirum à simili videtur aureus Orator argumentum adferre. Sicut enim debitor multis obæratus, summâ sollicitudine corrogare conatur undiq; pecuniam debitis exsolvendis necessariam, quâ & fidem suam apud creditorem liberet, ejusq; animū in aliam denuò necessitatem sibi devinciat; & tàm perfidiæ, quàm pœnæ, quâ plerumq; debitor per chirographum obligatur, periculum evadat: sic in animæ suæ negotio procedere debet Religiosus ille, qui suæ vocationis immemor per illicita magnam vitæ partem exegit. Plurimis obærat9 in Dei conspectu dum per peccatorum recordationem dispicit, ac perpendit debitorum, quæ contraxit multitudinem, & enormitatem, majore jam sollicitudine, & majore impetu feratur oportet in peccatorū vindictam, in virtutum exercitationem, in exsolvenda maxima debita sua, quàm olim malitiâ ferociebat. Nempè *qui magnum impetum in malitia præ se tulit; eundem rursùs adhibet sæpè numero rebus optimis; perpensis apud se debitis,* qui-

(a) S. Jo. Chrys. Paræn. 1. ad Theod.

quibus est velut obæratus per sua ipsius *malefacta*.

3. Cæterùm ad roborandam magis assertionem propositi nostri, diligenter observandus est hìc Sancti Doctoris loquendi modus. Qui licèt dicat; eos, *qui magnum impetũ in malitia præ se tulerunt, eundẽ rursùs* adhibuisse *rebus optimis*; non tamen ideò putandum est; parem tantùm, & non potiùs majorem impetum posteà *rebus optimis*, id est, virtutibus, & earum exercitationi, adhibendum esse. Cùm enim dicit, *maximè refulgentes inveniemus*, fulgorem exercitationis ad res optimas in superlativo ponit gradu; lapsus autẽ enormes in positivo; etsi alioqui sat graves. Ex quo colligitur; impetu majore pœnitentes ex peccatorum consideratione ad virtutis exercitium ferri, quàm ferebantur olim in vitia. Undè post hanc sententiam suam, paucis interjectis, ab exemplo mulieris ad lavandos Domini pedes in domum Simonis Pharisæi irruentis, concludit in hæc verba: (a) *Quare adversarius cum his rebus cognitis planè colligit, eos, qui malefacta quantumlibet immania perpetrârunt, ut primùm cæperint pœnitere, majore studio,* (nota hìc ad propositum) *majore*, inquam, *studio id facturos, tanquam conscios delictorum suorum.* &c. &c. Ita quidem Sanctus Pontifex Byzantinus. Satis autem indicat; ex enormium delictorum reminiscentia magis ad virtutis exercitiũ animum exstimulari, & inflammari; quàm olim in vitiorum voraginem ferebatur; nec obesse memoriam præcedentium criminum assectanti pœnitentiam, sed plurimum facere potiùs ad virtutis exstimulationem.

4. Non alius etiam fuit sensus Magni Gregorii; qui ponderans illam mulieris, quam superiùs memorat S. Joannes Chrysostomus, in civitate peccatricis sanctam impudentiam, & importunitatem; quòd intellecto, Dominum JESUM ad mensam in domo Pharisæi discumbere, statim eò convolârit; & neqve discumbentium conspectum, eorumq; judicia pertimescens, neq;

(a) *Idem qui suprà.*

neq; temporis intempeſtivam circumſtantiam diſpiciens, ardente flagrans obſequendi Domino deſiderio, ſine exteriore verecundia, quâ tamen interiùs ex vitiorum ſuorum conſiderata fæditate confundebatur, venit in domum Phariſæi, & ibi, quidquid olim in mundi vanitates, ac deſideria carnis impenderat, id totum in criminum ſuorum adhibuit ablutionem; quâ pariter & Domini pedes amantiſſimè complexa lavit, oſculata eſt, abſterſit, ſibi totos devinxit. *Nam quia ſemetipſam graviter erubeſcebat*, (Sanctiſſimus [a] ait Pontifex) *nihil eſſe credidit, quod verecundaretur foris*. Interior ſcilicet flagitioſæ vitæ recordatio mulierem ſic exſtimulabat; ut omnem erubeſcentiam ſui contemneret in publico, quam de criminibus in occulto concipiebat. Indè factum, ut iisdem ipſis inſtrumentis omnibus ad pœnitentiam uteretur, quibus in gravem Dei injuriam, & offensā per id tempus inſtructa incedebat. Id quod graphicè deſcribere pergit ſummus Ecclesiæ moderator, cùm ait: *Liquet, fratres, quòd illicitis actibus priùs mulier intenta, unguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit. Quod ſibi turpiter exhibuerat, hoc Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; ſed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultûs exhibuerat; ſed jam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat; ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergò in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum ſerviret Deo in pœnitentiam, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Hucuſqve S. Gregorius.

5. Jam quid mulierem ad tàm effuſam exſtimulârat, & accenderat pœnitentiam, ut omne, quod ex ſe converterat ad contumeliam Creatoris, jam ſanctiore impudentiâ in holocauſtum adhiberet Optimi Redemptoris? ut ad vitia quondā eſſet impudens, nunc ad pœnitentiam multò impudentior? Certè non aliud ad tàm heroicum illam excitavit

(a) *S. Greg. Hom. 3. in Evangel.*

ſui contemptum, quàm deliꝰorum alta conſideratio per aſſiduam eorum reminiſcentiam inculcata. Quidquid peccatorum in ſe materiæ deprehendit, totum id in abluendos amabiliſſimi JESU pedes adhibuit. Vicit in ea verecundiam, humiliandi ſui inenarrabile deſiderium; timorem major in Deum fiducia; publicam infamiam publica quam ſperabat, abſolutio; Phariſæorum reprehenſionem major ſui contemptus; diſcumbentium ſarcaſmos immane conſcientiæ pondus; ſpargendam per Urbem, & Orbem univerſum famam vehementior criminum deteſtatio. Ad pedes ergò Domini proſtrata, abjecta, deſpecta publicè procumbere maluit, quàm diſſimulatâ culparum fæditate veniam deſperare. Et abſolvit miſerdiſſimus Judex per miſericordiam, quam interior ſtimulus ex delictorũ memoria vehementiùs ad pœnitentiam animabat, ita, ut jam magis *totum ſerviret Deo in pœnitentia, quàm quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.*

§. III.

Pœnitentiæ ſtudium acuit memoria peccatorum.

1. Etſi quæcunq; Dei offenſa ſufficiens ſit materia pœnitendi propter malitiam ejus infinitam contra DEUM infinitum admiſſam, & ideò non ſit opus alio ſtimulo, qui peccatorem ad ſumendam de ſe vindictam aſſiduè debeat excitare: qvia tamen ea eſt imbecillitas hominis in peccatum lapſi, ut facilè poſt expiatas homologeſi culpas, & poſt expletam, quam arbiter conſcientiæ decrevit, pœnitentiam, quæ certè nunquam æqualis imponi poteſt, aut æquivalens culpis, in aliquam indulgentiam declinet; id quod ortum ſuum habere ſolet tùm à philautia, ſive ab amore ſui, tùm ab oblivione ſtatûs, in quem miſerabiliter prolapſus indignationem DEI provocaverat contra ſe, atq; tamdiu vixerat in continua cum Deo inimicitia, quamdiu non reſipuit ab inſania: ideò neceſſe eſt, ut adſit monitor aliquis, & quidam veluti nomen-

menclator auricularius, qui continuè mentem vellicet, excitet, & contractæ moneat obligationis. Hujus autem monitoris officium egregie subit peccatorum recordatio; quæ non finit animum à disciplina deficere, seu torpescere. Nam quò plus inspicit semetipsum homo, suamq; explorat, & ponderat conscientiam; eò semper inveniet ampliùs, quod in se plangat, deploret, ac puniat: vel certè, quod nondum satis planxerit, puniverit, ac vindicârit; non aliter, quàm Deus Ezechieli Prophetæ mandaverat; ut aspectu primo visis multis Hierosolymitarum abominationibus, (a) foderet parietem, quem quò perfoderat ampliùs, eò majores, atq; majores semper filiorum Israël vidit abominationes, scelera, & sacrilegia, ita, ut aspectus ejus ferretur à magnis in majores, à majoribus ad maximas. Quod spectaculum Prophetæ propositum in spiritu certa fuit cordis humani figura, præsertim in Religioso, qui Vocationem suam perditum ibat. Nam initio telam suam texere cœpit à parvis imperfectis: at postmodùm, hem! in quantas abominationes infelix prolabebatur! nec erat majora semper, & majora patrandi finis; donec maxima, præcipitio quodam actus, in summam divinæ Majestatis contumeliam etiam sacrilegia perpetraret. Quæ omnia, & singula clarùm ipsi pervidere licebit tunc, cùm mentem ad perpetrata reflexerit, calcar indè quoddam ad pœnitentiam, ad disciplinam, & ad sedulam in spiritu exercitationem experturus.

2. Hoc studium, & exercitium apprehendisse videtur magnus ille pœnitens, qui palàm de se pronuntiavit: (b) *Meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebā spiritum meum.* In quæ verba commentans Divus Hieronymus, ea phrasi suâ sic effert: (c) *Fodiebam cor meum quasi agrum.* Jam quid est fodere cor, *quasi agrum?* Responderi posse videtur: quòd sit, parietem conscientiæ tanquam stylo ferreo fodicatum pro-

(a) *Ezechiel.* 8.

(b) *Psalm.* 76. 7. (c) *S. Hieron. hic.*

fun-

fundiùs inspicere, ac penetrare: peccata tua, quæ divinâ miseratione paulò antè descruisti, accuratiùs explorare; memoriam eorum refricare; diligenti consideratione gravissimas in offensas inquirere, & examinare, examinando nullam illis indulgentiam permittere, semper vestigare, quod punias; semper invenire, quod defleas; semper deprehendere, quod doleas. Et hoc est, quod de se protestatur ille: *Et exercitabar, & scopebam spiritum meum. Fodiebam* conscientiæ, cordisq; mei parietem, *quasi agrum.* Quod certè non tàm crebrò fecisset, nisi meditaretur cum corde suo, nisi recordatus, & crebrâ peccatorum consideratione ad exercitationem pœnitentiæ efficaciter exstimulatus. In qua profunda meditatione vehementer deprehendebat, & confundebat semetipsum adeò, ut præ pudore nec oculos in Cœlum elevare præsumeret. Nam ubi dicit de se: *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, (Sanctus Hieronymus ex Hebræo legit,) *Prohibebam suspectum oculorum meorum: Constupebam, & non loquebar:* id est, (sicut idem Doctor maximus exponit) *Considerans peccata mea, oculos ad Cœlum erigere non audebam. Peccatori enim dicit Deus: Vt quid tu enarras justitias meas?*

3. Jam quod posteà concludit Sanctus idem Didascalus ex hoc versiculo: *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, dicens: Ergò *Monachus, qui non vigilat, hunc versum non potest dicere*, appositissimè dicitur Religioso post lapsum ad Deum per pœnitentiam converso. Si enim anticipare vigilias, Monachum etiam inculpabilis vitæ justum est; oratione, vel aliquâ sanctâ meditatione matutinas vigilias antevenire; quantò magis ille, qui gravissimarum culparum reus divinam Majestatem offendit, vigilias anticipare debet Religiosus? nè mendax inveniatur, & solùm per cerimoniam (ut ajunt) coram Deo dicat: *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Profectò versiculum istum injuriâ dicit, si non vigilat, si somno suo non aliquid adimit,

adimit, si peccatorum suorũ memoriâ, & sedulâ consideratione, conscientiæ parietem nocte quoq; subindè fodicare non pergit, si non meditatur die, & *nocte cum corde suo*. Secùs pudeat ipsum, & audiat obstrepentem sibi continuè vocem illam, & increpantem: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

4. Hæc quidem etsi magis illi conveniant verba, qui perseverat in peccatis, & de pœnitentia neq; cogitat; tamen etiam is, quì jam ad DEUM conversus est denuò, crebriùs ad humiliationem sui, vocem eandem inculcet sibi, dicatq; cum pœnitente Rege Manasse: *Peccavi super numerum arenæ maris; & non sum dignus intueri, & aspicere altitudinem Cœli præ multitudine iniquitatum mearum*. Ad quam confessionem, & sui confusionem, sufficientem suggerit stimulum ipsa peccatorum reminiscentia; in qua si creber, sedulus, & assiduus sit Religiosus pœnitens, non est dubium, quin semper magis, ac magis exstimuletur ad exercitium pœnitentiæ; nec aliud inter omnia, quæ vel agit, vel patitur, in religiosa professione opera, poterit unquam sibi proponere, quàm quòd ex miserrima peccandi consuetudine, statuqvè, divinâ miseratione liberatus, agere debeat pœnitentiam. Hùc diriget omnes actiones, & passiones suas; hic ipsi post Deum, ad quem per omnia tendere obligatus est, unus sit scopus, & meta; pœnitere, dolere, ac plangere peccata sua.

5. Typum hujus & egit, & ad imitationem proposuit religiosissimus ille Rex Ezechias; qui licèt innocentem duxerit ab infantia sua vitam, nihilominùs qvia multa suspicabatur imputari sibi, quorum ipse vel per injuriam aliquam, fortasè minimè voluntariam, inter regni ardua negotia administrati non fecerit animadversionem; vel per oblivionem ea pensi non habuerit: ideò liberatus à morte, quam ipsi comminatus fuerat Isaias, jam ingenuè spondet in posterùm omnia, quæ sibi possent im-

imputari, toto reliquæ vitæ suæ tempore ad annos quindecim prorogato se deploraturum. Dicit igitur: [a] *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Non in otio certè; non in desidia, & oblivione delictorum, nec in deliciis, & commodis hujus vitæ: sed *in amaritudine animæ meæ*, in lachrymis, in pœnitentia, *omnes annos meos* non tantùm in culpis aliquibus elapsos, sed etiam annos futuros, & ad pœnitentiam mihi reliquos *recogitabo in amaritudine animæ meæ.* Per omnem, inquam, vitam meã deinceps *recogitabo* peccata mea præterita, & agam pœnitentiam. *Hic enim est spiritus Sanctorum pœnitentium*, (ait ad hunc Scripturæ locum [b] Cornelius) *ut peccatum semel admissum* (quantò magis autem plurima peccata multoties admissa?) *per omnem vitam lugeant, & defleant.*

6. Quod ipsum plurimi pœnitentes qvia fecerunt, unus in hoc præluxit præcipuè S. Augustinus. Hic, teste Possidonio in ejus vita, [c] *dicere inter familiaria colloquia consueverat; post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos, & Sacerdotes, absq; digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etim ipse fecit ultimâ, quâ defunctus est, ægritudine. Nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi;* ipsosq; *quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter, ac ubertim flebat*, Jam Sanctus hic Pontifex. ac Doctor, si *Christianos post perceptũ baptismum etiam laudatos, & Sacerdotes absq; digna pœnitentia* & competenti, judicavit ex hac vita migrare non debere; quid censurum, dicturumq; fuisse putamus, de Religioso, qui non solùm post perceptum baptismum, sed etiam post assumptam religiosi statûs professionem ad pristina reversus vitia perditè vixit in Dei, in Religionis, in suæ vocationis contumeliam? Næ iste crebrò recogitare debeat *omnes annos* suos *in amaritudine animæ* suæ. Et cùm (sicut idem ipse testatur [d] Augustinus) *væ*

(a) *Isa.* 38. 15. (b) *Cornel. hic.*
(c) *Possidon. in vita S. Augustini.*
(d) *S. Aug. lib.* 9. *Confess.*

etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutiat eam Deus, ô quod judicium manet vitam flagitiosam! vitam per multos annos in vanitatibus, in hypocrisi, in superbia, in luxu, & luxuria transactā! *Væ, væ; si remotâ misericordiâ discutiat eum Deus.* Ideòq; continua peccatorum, & perditæ conversationis memoria stimulet mentem ad pœnitentiam: & non solùm intueatur ac legat Psalmos de pœnitentia; sed etiam cum intelligentia lectos in exercitio, (quantum fas est, & per vitæ præsentis statum fieri potest) studeat exhibere.

CAPUT IX.

§. I.

Opera pœnitentiæ quamlibet parva, non sunt intermittenda.

1. Quoniam Religiosus semel, & quidem graviter lapsꝰ, aut etiam in multos annos vocationem suam ceu magnum thesaurum inter vitiorum illecebras pergræcatus, ac propè irreparabilem professionis suæ jacturam passus, sed deniqve Dei miseratione rursùm ad frugem revocatus, ad magnam obligatur pœnitentiam; uti sæpissimè contingit; eos, qvi verè Spiritu Dei aguntur, post flagitiosam vitam ad magnos actus pœnitentiæ incitari; nec esse contentos ordinario, quem religiosa professio communem omnibus imponit, vivendi modo; qui nihilominùs etiam ipse perpetua pœnitentia est; sed ad supererogatoria, duriora, & asperiora, peculiari quodam impulsu ferri: attamen ad extraordinaria cui vires non suppetunt vel propter ætatem jam vehementer attritam, inqvè occasum inclinantem; vel propter complexionis teneritudinem, quantumvis olim ad vitia, patrandaq; peccata validam; vel propter alias, quas adferre corpori solet provecta jam ætas novis semper, ac novis ægritudinibus obnoxia, affectiones: hic præterquam quòd satis magnam susceperit pœnitentiam, ruborem videlicet, atq; confusionem sui tunc, cùm sincerè,

integrè, simpliciterq; peccata sua Sacerdoti confessus est; quòdq; reliqua vita sua, quam Deus ipsi fortassè prorogaturus est in Religione, nihil futura sit aliud, quàm assidua pœnitentia, certumq; martyrium, fortassis etiam diuturnum; insuper alia quoqve quantumlibet parva, sed ad pœnitentem vitam pertinentia, non refugiat, nec intermittat opera, certus eadem in cassum minimè cessura. Cùmqvè ad magnas, & asperrimas exercitationes animo quidem promptum, & parem, non autem jam corpore viribusqvè sufficientem, se deprehendat; minima quæq; vel ab alio, vel à semetipso, sibi imposita, vel imponenda, non prætermittat.

2. Undè S. Joannes Chrysostomus ut pœnitenti planam ostenderet viam quâ tenditur ad perfectum fastigium pœnitentiæ, duo præscripsit media. *Primum*; ut vitentur ea, quæ rursùm ad relapsum aliquem facilè possunt inducere. *Alterum*; ut etiam parva, quæ spectant ad pœnitentiam, non refugiantur: ut tam hoc, quàm illud medium semper esse possit lucrosum. Verba Sancti Pontificis adfero: (a) *Id unum*, inquit, *curæ sit*; *nè ad eam deflectamus materiam, quam ignis citò corripit. Deindè cùm videmus egregia facinora superare captum nostrum, minora perfecisse nihil pudeat.* Et mox assertionis suæ causam annectit: *Reÿcere enim parva, ubi magna consequi non vales, extremæ est dementiæ.* Quod ipsum illustrat pulchrâ similitudine desumptâ ab iis, quorum tota cura est in corrogandis opibus, ac dicit: *Quemadmodum enim opes corporis accumulantur, cùm amatores illarum nè minimũ quidem lucellum negligunt: sic spirituales divitiæ.* Hucusqve Sanctus ille Patriarcha. Jam in spiritualibus divitiis, quæ sunt ad temporales opes incomparabilis thesaurus, avarum esse cùm oporteat, quod jam alibi satis ostendimus, ac semper plurium, ac plurium cupidum, profectò nec minima quoq; negligenda res est, quæ pœnitentiæ spiritualem thesaurum pro consequenda pec-

(a) S. Jo. Chrysost. Ep. 5. ad Theod.

peccatorum venia, pro compensandis iis, quæ neglecta sunt, & intermissa; pro gratia, & gloria Cœlesti comparanda, possit accumulare. Parva res est; semel saltèm nocte somnum interrumpendo è lecto surgere, in genua procumbere; Deum oratione quâpiam, aut paucis ad pœnitentiam pertinentibus Psalmis, aut horum aliquo saltèm uno deprecari; vel etiam inter cubandum mentem ad Deum erigere; contritionis, ac detestationis actum de peccatis admissis elicere; vel interdiù idem in Cella facere; consilio, obsequio, auxilio cuipiam, cùm id postulat necessitas, adesse; ad mensam, vel alibi, si quid non sit ad gustũ, patienter, & æquo animo tolerare; & alia plura his similia, quæ passim occurrunt etiam non expectanti, nec cogitanti, casu fortuito, vel ex alicujus industria, vel temeritate, vel ex regulæ præscripto. In quibus patientem, constantem, & animo præsenti semper esse, non minor est virtus ad pœnitentiam directa, quàm heroica quædam exercitationum, aut pœnitentiæ opera exercuisse. Nam æquè in his, etsi parvis, ac in magnis illis, est suimetipsius victoria: cùm tam in istis, quàm in illis animum oppugnet amor proprius, & voluntas: intereà tamen nihil evincit, imò succumbit virtus, non sine vincentis gloria, & corona.

3. Ad hæc, & alia licèt exigua, sed tamen ob amorem Dei per sinceram pœnitentiã placandi, præstanda opera Christus Dominus ut fidelibꝰ animos adderet, videtur quidem ob solam erga Discipulos suos exhibitam charitatẽ pro perquàm exigua re, qualis est, aquæ frigidæ calicem præbuisse, propterea, quòd sit discipulus Christi, videlicet Ecclesiastes, ac verbi divini seminator, quòd pauper Religiosus, ac Dei servus, mercedem promisisse: Verùm tamen ad eos quoq; mercedem, seu promissionem illám extendi nullum est dubium; qui, quantumvis exigua, non refugiunt, eaq; libenter, & animo

prompto exercent, opera pœnitentiæ. Qui enim dixit: (a) *Quicunq; potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam*; idem etiam opus aliud quodcunq; bonũ, quamlibet exiguum, sed propter amorem Dei exhibitum, noluit, nec vult frustrari mercede suâ.

4. Zachæus ille publicanorum princeps tantùm videre Dominum, quis esset, desideravit, & consecutus est id, ut in domum ejus ipse se Dominus non invitatus invitârit, ejusq; toti domui salutem intulerit: *Hodiè salus domui huic facta est.* (b) In Cruce latro qvia blasphemantem redarguit socium, pro innocente Christo paucissimis, id est, quinq; tantùm verbis, qvia peroravit: *Hic verò nihil mali gessit*, (c) mercedem uberem statim accepit; plenam peccatorum omnium indulgentiam, eâdem die paradisi possessionem: *Hodiè mecum eris in paradiso.* (d) Pauper vidua, jactantibus aliis opulentis in gazophilacium multa, solùm (e) *misit duo minuta*; & hæc à Domino pluris æstimata sunt, quàm omnis illa divitum quantacunq; pecunia; quidni mercedem quoq; majorem, quàm omnes illi, consecuta est? Igitur & operibus pœnitentiæ magna, & heroica præstare vel propter imbecillitatem viriũ, vel propter infirmitatem, vel propter affectam ætatem, qui non potest; facere parva non contemnat: & in quo magnis ad incredibilẽ pœnitentiam claris æquari viris, aut etiam mulieribus, tolerantiâ corporis non potest, animi magnitudine desideret superare.

5. Ut autem, in parvis etiam non esse debere negligentem, compertum sit magis, ponderant Sancti Patres hoc, quod superiùs à Christo Domino promissam habet mercedem in aquæ frigidæ poculo, & quærunt: Cur Christus Dominus dixit: *Calicem aquæ frigidæ, & non calidæ?* Respondent verò; hoc ideò factum, ut tantò levius exhibitum, nec tamen mercede suâ destitutũ,

(a) *Matth.* 10. 42. (b) *Luc.* 19. 9. (c) c. 23. 41. (d) v. 42.

(e) *Marc.* 12. 42.

intel-

intelligatur beneficiũ; quantò facilius est, frigidam, quàm calidam aquam alicui præbuisse, ita, ut nè pauperrimus quidem ab ejusmodi charitatis opere possit excusari. Dicit igitur S. Hieronymus; aquæ frigidæ mercedem proponi; (a) *Nè quis in calida sumptum lignorum causari possit.* Divus etiam Augustinus id ipsũ paulò clariùs exponens, ait: (b) *Quis erit, qui se possit excusare; cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ dixit? Nè fortè se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare; aut certè dicere; se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere.*

6. Jam ad Religiosum pœnitentem, sed ad magna pœnitentiæ opera, quin & ad ordinaria, quæ sunt Instituti sui, vix validum, veniamus. Non illi forsitan imperatur, ut flagris in corpus suum usq; ad sanguinem diebus, aut noctibus singulis animadvertat, & illud excruciet; qualiter multi fecerunt, & adhuc faciunt, etiam innocentissimi. nè dum per illicita multa qui diffluxerant: non ut in pane duracino, mucidoqve solùm, & in aqua frigida per reliqvum vitæ suæ tempus alternis saltèm diebus affligat carnem, & maceret; quod aliàs etiam immunes ab omni culpa mortali plurimi generosè præstiterunt, & præstant; nè dum Vocationis suæ profligatissimi perditores; non ut horrendã illam subeat pœnitentiã, quam ultrò sibi Jacobus Eremita gravissimè lapsus, imposuit: quòd patulum quoddam sepulchrum ingressus ibidem se clausit, atq; decem annos in planctu, fletu, jejunio, bis tantùm infra septimanam herbâ collectâ victitabat. Necessaria quidem, & ardua fuit inter ossa mortuorum ea pœnitentia: sed tamen non extorta, nec ab hominum aliquo imperata; sed spontè suscepta; deniq; peccati gravissimi veniam, gratiam, & sanctitatem pristinam consecuta; non ut pro nutritis hucusq; sensibus in deliciis, illecebris, & propria voluntate, jam in ægrorum

(a) S. Hieron. in Matth. c. 10.
(b) S. Aug. Serm. 62. de Temp.

rum obsequio vel naribus tetram mephitim, quam cancro laborantes exspirant; vel ore tabem putidam, & elutam carcinomate laborantium patinâ quâpiam exceptam hauriat; quod tamen fecisse S. Catharinam Senensem Virginem innocentissimam, à Christo Domino propter innocentiam vitæ singulariter dilectã, legimus. Hæc enim, & his similia, potiùs admiranda, quàm imitanda videntur, & ea deprecari posset unusquisqve debilioris, & delicatioris indolis, ac naturæ. Sed nè locus sit excusationi; parvis, & vix ullius momenti, aut censûs operibus merces in Cœlo destinatur.

7. Indè jam sequitur; ad magna, heroica, & extraordinaria cui vires non suppetunt opera pœnitentiæ; is saltèm parva non omittat mercedi ac præmio certò destinata. Non potest Religiosus pœnitens ob ætatis, & virium infirmitatem per flagrorum gravissimos ictus ad sanguinis effusionem, & ad vulnerum hiatus in corpus suum animadvertere? Equidem nec Deus, nec religiosa professio (etsi fortassis iniquitatum enormitas id mereatur) hanc exigit carnificinam: sed tamen cum animi ad anteactam perditè vitam reminiscentia, castigationem, seu flagellationem, quam communiter certis infra septimanam ex regulæ præscripto diebus omnes exercent Religiosi rigidioris observantiæ, dum sanitas, & vires suppetunt, alacriter exsequatur; & pœnitentiæ verum explevit opus. Non potest per asperrimam in multos annos, menses, & dies, exercitationem inediæ corpus affligere? Communem tàm ex S. Matris Ecclesiæ, quàm ex Instituti, quod profitetur, præcepto, jejunandi, vel abstinendi consuetudinem hucusqve, ô quàm crebrò violatam! sedulò servet. Item ubi cibus aliquis aut non in tempore, aut non ad gustum, ministratur, aut parciùs, quàm ad sedandam famem sufficiat: eam incommoditatem, quin & latratum ventriculi, nec coco, nec Oeconomo substomacha-

machatus adſcribat; ſed pro peccatorum ſuorum, quibus nihil debeatur, quàm pœna, expiatione patienter, & hilariter toleret; & magnæ pœnitentiæ partes explevit. Non poteſt, imò forſitan nec licet per Superioris, aut Patris ſpiritualis animadverſionem ad ſubditi ſanitatem reſpicientis, per aſſiduas in oratione vigilias, ac per importuniſſimam in algida terræ nuditate chameuniam, aut in duris, ſcabroſis, aſperisq; ſaxis, aut ſtipitibus moleſtiſſimum cubatum, membra fatigare? Somni defectum, quem ſubindè pati cogitur invitus, aut aliud quodcunq; ſeu caſu, ſeu quâcunq; causâ emergens incommodum, ægritudinem corporis, injuriam, aut calumniam irrogatam, opprobrium, & exprobrationem, juſtè pro peccatis ſuis immiſſam exiſtimet à Deo, humiliter autem, & patienter ſuſtineat: & acceptum obtulit Deo pœnitentiæ ſacrificium. Dicit enim: (a) *Sacrificium laudis honorificabit me*: id eſt; in adverſis, in opprobriis, in omnibus ſenſui carnis contrariis, ſi Deum laudet; illi gratias agat; ipſum in hoc glorificet; ad ejus honorem, & ejus ob amorem manſuetè perferat: hoc gratũ erit DEO ſacrificium laudis pro heroicis operibus pœnitentiæ. Sic in hìs, ſic in aliis etſi parvis, ſemper ſit comparatus; & magnam egit pœnitentiam. Qvia majorem, aſperioremq; nec poteſt agere, nec ſibi fortaſsè licet.

(a) *Pſalm.* 49. 23.

§. II.

Ab exiguis operibus pœnitentiæ proficit animus ad majora.

1. S. Joannes Chryſoſtomus ad Theodorum Monachum lapſum ſcribens, his ipſum ad pœnitentiam invitat verbis: (b) *Si uno velut niſu ad ſummum illud faſtigium conſcendere juberem, haud injuriâ gravatim tentares propter permixtam rei difficultatem. Quando verò tantulum duntaxat in præſentia requiro, non dico quantum malis peractis debetur; ſed quantulumcunq; eum, qui hoc loci conſiſtit, retinere ſufficit, nè in contrarium relabatur, quid tùm cunctaris?* quid

(b) *S. Jo. Chryſ. Ep.* 5. *ad Theodor. lapſ.*

quid refugis? quid teipsum retrahis? Eadem omninò verba possunt ad Religiosum lapsū, & quem vivendi licentia multos annos attinuit, usurpari, eiq; dici: Si requireretur à te, ut *uno velut nisu ad summum illud fastigium* pœnitentiæ conscendas, & quæ mentis imaginatione vel maxima pœnitentiæ concipi possunt opera, uno statim impetu apprehendas; profectò causam haberes tergiversandi, tanquam aliud non exigatur à te, quàm ut per nimiùm ardua, & quæ supra vires humanas sunt cruciatuum tormenta temetipsū interimendi periculum subeas. At cùm nihil horum requiratur; neq; quantum debetur flagitiis admissis; sed tantùm suadetur, ut ita còërcere te studeas, nè contrariam viam teneas, & ad vitia rursùm per indulgentiam redeas; certè neq; cunctandi, neqve refugiendi causam habes; cùm parva, tolerabilia, etiam non pœnitentibus communia suadeantur. Cur igitur moraris? quid horres? cur pœnitentiæ te dare refugis? Religiosus lapsus ut ruinam suam reparet, ac instauret, non equidem ei consultum est, aut ab eo facilè potest impetrari, statim ut ad nimis arduam, rigidamqvè se totum applicet pœnitentiā: est enim hoc tàm corpori, quàm animo cùm periculosū, tùm parùm utile. Corpus quidem in grave conijcitur discrimen ægritudinis; animus autem repentina, ac violenta remedia facilè deserit, & rei difficultate perterritus, aut etiam fractus relabitur in contrarium. Sed consultiùs est, id, quod sibi propositum habet iter pœnitentiæ, sensim à parvis, & tolerabilibus ut ordiatur: ut paulatim & corpus, & animus ad majora pertingat.

2. Ut enim celeriter ambulantem non solùm in montem arduum, sed etiam in plano, principia citò destituunt, & fatigatum primùm ad respiria, mox ad quietis aliquam intercapedinem, tandem etiam ad lassitudinem, & ad itineris suscepti, vel saltèm festinationis inceptæ detestationè, &, quod ampliùs est, ad cum desperatione reditum retrahunt;

hunt; sic omnem pœnitentiæ molem, quantum in operum aspera nimis exsecutione, qui vellet uno veluti nisu apprehendere, quantumlibet spiritus in cœpto promptus, & fortis esset; tamen attrito repentè corpore, plus adferri plerumqve detrimenti solet, quàm emolumenti ex pœnitentia sperari possit. Idcircò Sancti Patres, & spiritûs Magistri, licèt animum ad rigidã pœnitentiam probent; principia tamen nimis ardua, præfervida, & quæ violentum ad ejusmodi virtutis fastigium arguunt nisum, non improbãt modò, sed etiam prohibent; eò quòd optatum finem non facilè assequantur. Id quod Veteres ingenioso quodam innuere volebant hieroglyphico. Nimirùm depingebant asinum cum hac, quæ indolẽ ejus egregiè notabat, epigraphe: *Egregium principium; sed citò destitutum.* Jumentum enim hoc principio celerem glomerat gressum; sed brevì defatigatum à cursu deficit, & jam lentè, pedetentimq; reliquam prosequitur viam, nec nisi stimulo sæpiùs incitatus. Ita solet usuvenire cum iis, qui principio conversionis suæ statim ad summum pœnitentiæ, cæterarumq; virtutum pertentant eniti fastigiũ. Paulatim, & omni remotâ importunitate, ac violentiâ ordiendum est: ac sufficiat primùm dolor, detestatio, & Confessio peccatorum. Corporis autem afflictationes moderetur Patris spiritualis consilium, & propriarum virium facultas. Rigidissimam pœnitentiam, quæ patratis malis debetur, animus concipiat magis, quàm ut statim arripiat.

3. Et quidem lentum hunc ad pœnitentiam procedendi modum, ut postmodùm ad majora pertingi possit, Deus ipse videtur comprobare. Numerari jusserat David populum Isràël, & Juda. Peccatum hoc, grande propter insignem superbiam censebatur admissum. Qvia numerus virorum fortium, qui gladium educerent, octingentorum millium de Isràël, de Juda verò quingentorum millium pu-

gnatorum repertus animum Regis inflavit typho. Sed ecce mox Regem facti pœnituit. At monente, moventeq; Deo undè pœnitentiam orsus est? Non ab asperrimo cilicio, & cinere; non ab intolerabili jejunio; non à durissimis adhibitis in carnem flagris; verùm à sola cum animi dolore cordis percussione, & à confessione peccati. Dicit enim Scriptura - (a) *Percussit autem cor David eum*: id est; statim ut excitante Deo, eum cor, seu conscientia admonuit peccati, ipsumq; tetigit, ac percussit, etiam ipse David pœnitudine tactus percussit pectus suum; *Et dixit ad Dominum: Peccavi valdè in hoc facto: sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui; quia stultè egi nimis.* Ab exigua re pœnitentiam cœpit Rex; videlicet à dolore, à confessione peccati, à sui contemptu; ita, ut, qui paulò antè magnificum, sapientemq; se Regem existimavit ob populi pugnatoris, & quidem exactè numerati, multitudinem, jam stultum se confiteatur: *Stultè egi nimis.* Parvus, & infimus quidam hic erat pœnitentiæ gradus: sed ad quantum, & ad quàm sublime posteà fastigium ascendit! Ad mortem victima cadere paratus fuit. Cùm non famem, non bellū, optionem dante Domino per Prophetam, sed pestilentiam elegit, ipse pro peccato suo statim ipsam occidionem sui non refugit. Audiamus S. Joannem Chrysostomum scitè sententiam suā super id proferentem: (b) *Propterea*, inquit, *in optione suppliciorum illorum non famem elegit; non hostilem persecutionem; sed immissam à Domino mortem; per quam sperabat alios quidem fore securos, se verò ante reliquos omnes è medio tollendum.* Ita solet Deus non repentinâ quâdam vi ad ardua pœnitentiæ opera peccatorem impellere; sed ipsum suaviter ad parva primùm excitat, ut deinde provehat ad majora. Hùc spectâsse videtur idem Aureum Os, cùm ait: (c) *Deus vehementer corruptos non impellit magnâ vi ad virtutem*, & ad pœnitentiam: *sed*

(a) 2. *Reg.* 24. 10.

(b) *S. Jo. Chrys. Homil.* 29. *in Ep. ad Rom.* (c) *Idem Ep.* 5. *ad Theodor. laps.*

sed mansuetè, & sensim promovet; imò plerumq; portat, nè immanior scissura fiat, aut error productior.

4. Itaq; sicut in vitiis, nè ea pullulent ex parvis defectibus in majora, vitandis esse pervigilem oportet adeò, ut etiam minima fugiantur; & existimetur, æstimeturq; permagni eorum fugiendorum negligentia, & contemptus, eò quòd ex minimis ad magna deindè flagitia fiat progressus: sic etiam ad virtutũ, ac præcipuè pœnitentiæ, gradum aliquem magnum ascensuro à parvis incipiendũ est, ita, ut nè minima quidem contemnantur, quæ spectant ad exercitationem pœnitentiæ, opera. Sic enim ex minimis assvescit animus, imò & corpus ipsum, majoribus exercendis, & tolerandis. Undè non immeritò rursùm S. Joannes Chrysostomus ait: (a) *Minima qui non despicit; accurato studio vel maxima perficiet. Qui verò illa fastidit, ab his interim excidet*: tanquam asserat disertè: eum, qui virtutis, ac etiam pœnitentiæ viam à minimis exercitationib9 inchoat, reddi facilem ad maxima quoq; perficienda: Contrà, qui minimis omissis, & neglectis, ad magna statim adniti studeat, eum non solùm ad hæc minimè perventurum; sed etiam fore, ut à majoribus inchoatis, aut maximis, ad quæ præcoci festinabat impetu, deficiat; & neq; minima possit deinceps exercere.

5. Hinc Christus Servator noster, ut Discipulum suum Petrum principio nimis ardua spirantem, nempè statim in carcerem, & in mortem cum Magistro ruere volentem, (b) (*Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire*) nec tamen priùs experientiâ probatum in minoribus; ut, inquam, discipulum in minimis adhuc non exercitatum, & in maximis posteà deficientem, lapsumq; ad magnam erudiret pœnitentiam, ac sensim disponeret, animadvertamus, quàm ab exiguo cœpit. Primò namq; postquam Petr9 lapsus est graviter, ita, ut non solùm in carcerem, & mortẽ cum Domino paratus ire non

(a) *Idem ubi supra.*

(b) *Luc.* 22. 33.

fuerit; sed etiam nè Discipulum quidem ejus se voluerit confiteri, Dominus suo tantùm aspectu perjurum dignatus est, & subitò *egressus foràs Petrus flevit amarè.* (a) Ab ea deindè lachrymarum, parva licèt, amaritudine, Petrus ad tantam venit lacrymandi perfectionem, ut deinceps in tota vita sua (uti notat S. Clemens ejusdem S. Petri discipulus, & in Pontificia Cathedra Successor) quoties audivisset nocte galli cantum, in genua procidens, amarissimas uberrimè fuderit lachrymas; & peccati, licèt jam remissi, veniam iterum postulârit. Ideòqve, teste Nicephoro Callisto, plorantis oculi semper quasi sanguine resperси apparuêre. Neqve hìc stetit illius pœnitentia; sed ab assidua flendi consuetudine, quæ parva sibi videbatur pro sacrilego negati Domini perjurio pœnitentia, tandem etiam ad altiorem pervenit gradum, à fletu videlicet ad gustûs asperitatem, quando tantùm lupinis, teste S. Gregorio Nazianzeno, vescebatur; ab amaro lupinorũ esu, & usu, ad ingentem laborum, persecutionum, & ærumnarum pro Christo progressus est tolerantiam; ab hac deniq; ad summum pœnitentiæ fastigium, id est, ad ipsum probrosæ Crucis supplicium toleratum constantissimè, pervenit.

6. Ad hanc autem summam pœnitentiæ, martyriiq; perfectionem Dominus ut ipsi animum adderet, iterum admodùm lentâ cum ipso processit methodo. Post gloriosam enim anastasin suam non ipsi statim Crucis acerbissimã denuntiavit mortem: sed ipsum ab eo, quod est facillimum, id est, à dilectione voluit experiri: (b) *Simon Joannis, inquit, diligis me plus his?* à dilectionis exploratione progreditur ad curam pascendorum agnorum: *Pasce agnos meos:* A tenellis, & mansuetis agnis ad grandiorum ovium laboriosam pastionem, *Pasce oves meas*, hortatus est. Ab his demùm ad summum virtutis, & perfectionis, atq; dilectionis argumentum, id est, ad summum pœnitentiæ in Cruce fasti-

(a) v. 62.

(b) *Joan.* 21. 15.

fastigium, cùm illi dixit: (a) *Amen, amen, dico tibi; cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò tu non vis.* Nimirum Dominus innuere voluit Petro; martyrium ejus, & summum fastigium pœnitentiæ gradatim: *Extendes manus tuas* ad vincula, quæ nuper fugiebas, quando videbas me vinciri. *Et alius cinget te* catenis in carcere, quem tu nimiùm formidabas. *Et alius ducet te* ad Crucem, quò tu nondum Spiritu Sancto confirmatus equidem iturum te mecum promittebas; sed ubi meum tempus advenit in Cruce moriendi, non tibi sufficiebat animus, & timore Crucis victus objicere caput periculo refugiebas: voles autem jam posteà; probrosumq; supplicium libenter, alacriter, & fortiter amore mei sustinebis. Hanc in rem scitè S. Joannes Chrysostomus: (b) *Quia Petrus*, inquit, *semper volebat pericula subire pro Christo; dicit se* (Christus) *impleturum ejus desiderium; ut, quæ juvenis non est passus, patiatur senex.* Nimirum juvenis in minimis tantùm, & non in magnis probatus fuit; senex autem jam annorum numero, quàm sensibus, summum virtutis apicem per Crucis humilitatem ad ipsam usq; mortem constantissimè assertam ascendit. Id quod S. Maximus egregiè, sed brevi, perstrinxit oratione, cùm dixit: (c) *Hic est Petrus; qui, cùm ad Crucem tanquam Christi Discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non timuit; sed æqualitatem Crucis Dominicæ declinavit; ut ostenderet universis, admirandæ se humilitatis virtutem, noviq; mysterij disciplinam & inter tormenta servâsse.*

7. Sic igitur ad arduæ pœnitentiæ, sicut & ad aliarum virtutum fastigium post gravem lapsum, aut etiam post diuturnam licentiosæ vitæ consuetudinem, contingere, & ascendere qui desiderat, ruinamq; suam in pristinum restaurare; non tantùm ab exiguis, quæ pertinent ad peccatorum expiationem, incipiat ope-

(a) v. 18. (b) S. Jo. Chrys. citat. à Cornelio hic.

(c) S. Maxim. Ser. 1. de Natal. Apost.

operibus, in iisq; sedulò desudet; sed etiam ea nullatenus aut contemnat, aut intermittat; faciatqvè, quod militiæ solet usuvenire tyronibus. Hi principio quibusdam imaginariis exercentur præludiis vero conflictui similibus. In quibus facilè contingit subindè levem aliquem ictum excipere, nec tamen ideò levia hæc intermittunt certaminum præludia: sed unusquisq; vel in imaginaria superare connititur pugna, ut ita leviore velitatione exercitati postmodùm in serio conflictu nec ictus, nec vulnera, nec mortem excipere pertimescant. Ita Religiosus ad Deum per pœnitentiam conversus minora non refugiat, non omittat, neqve contemnat opera pœnitentiæ. Per hæc enim sensim assuescit, & induratur tam corpus, quàm animus ad majorum, quæ saltèm ipsi contingere possunt ex inopinato, si non etiam spontè suscipi, tolerantiam. Et, si deniqve rigidioris pœnitentiæ tenorē non potest assequi propter indolis, ætatis, & corporis imbecillitatem, ad magna quidem animo, desiderioq; semper aspiret, cupiatq; summorum pœnitentium exercitationem æquare; sed ordinaria exercitia, quæ semper cùm ex regulæ præscripto, tùm ex rerum humanarum volubilitate sunt obvia, sedulò studeat frequentare.

§. III.

Expenduntur duæ præcipuæ conditiones pœnitentiæ.

1. Ut ea, quæ sunt dicta superiùs, adhuc enucleatiùs edisserantur, duas adfero pœnitentiam opere leviore, quàm per magnos corporis cruciatus expediendi conditiones, & quidem magis præcipuas, necessarias, & sine quibus alioquin non subsisteret pœnitentia, eò quòd sint de necessitate medii ad veniā, gratiam, & gloriam, seu vitam æternam consequendam. *Prima* est; sincera, perfectaqvè contritio, seu dolor animi de lapsu, vel lapsibus, ac peccatis per malitiam, per insolentiam, negligentiam, & quendam

etiam Dei contemptũ admissis. Dolor hic, & contritio promptum quoddam est unguentum, (ut docet S. Bernardus) imò & sacrificium, quod offertur Domino in suavitatis odorem. Undè Claravallensis idem Pater super illa Evangelicæ historiæ verba, *Domus impleta est ex odore unguenti*, disserens ait: [a] *Sanè pretiosum unguentum contritionis, quo non solùm terrena domus, sed etiam Cœlestis aspergitur. Vilissimæ sunt species, quibus conficitur, & magna earum copia intra nostros hortos poterit inveniri. Peccata nostra plantata in conscientijs nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur mortario pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ coacta unguentum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris, Compendiosè autem illud conficimus, sapienter occasionem* (peccandi) *penitùs relinquentes. Et licèt materia videatur indignior; tamen bonum est unguentum illud, quod domum replet, penetrat Cœlos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit, & gaudiũ. Hoc est sacrificium justitiæ: quia sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Hucusq; S. Bernardus. Et est verissimum; quòd *cor contritum, & humiliatum Deus non despiciat.* Quæ quidem Conditio pœnitentiæ tantùm illi difficllis, intolerabilis, & gravissima est, quem omnis ægritudinem animæ suæ sanandi cura deserit; sive qui peccandi consuetudinem deserere nec vult, nec cogitat. Quod ipsum sapienter, & quidem ante Evangelium advertit Aristoteles; quando verè Christianum ea de re protulit hoc theorema: [b] *Quem factorum suorum non pœnitet, is nunquam ad sanitatem revertitur.* Nec multum ab Aristotelis aphorismo diversum Lucilio suo scripsit Romanus Sapiens, cùm ait: [c] *Initium salutis notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Ideò quantum potes, teipsum argue; inquire in te; accusatoris primùm partibus fungere, deindè judicis,*

(a) S. Bernard. citat. Mens. Spirit. cib. Verbo: Pœnitentia. Num. 81.

(b) Aristot. Ethic. lib.7.c.8. (c) Sen. Ep. 29.

posteà deprecatoris. Igitur quem peccatorum urget cognitio, deteſtatio, & cujus animum dolor ad pœnitentiam pulſat; is in re perfacili jam invenit remedium, & in tuto repoſuit animæ ſanitatem.

2. *Altera* pœnitendi Conditio priori ſtatim annexa, eſt peccatorum Confeſſio; de qua jam alibi prolixiùs egimꝰ: hìc pauca tantùm, quæ pertinent ad ejus facilitatem, breviſſimè commemoranda ſuperſunt. Eſt autem Confeſſio certa peccatorum panacea non ex peregrinis, aut transmarinis advehenda pharmacopoliis; ſed ex cordis intimo, domeſticâ nimirum pharmaceutrice, per oris ſinceritatem depromenda. Nam (a) *ore confeſſio fit ad ſalutem*. Quā in ſententiam ſcitè Corderius: (b) *Quid verò facilius*, ait, *quàm animo humili, & abjecto, & conſtanti voluntate dicere? Peccavi*. Et hoc quidem uno verbo confeſſionem expediverit David Rex pœnitens; qvia, Deo revelante, Propheta Nathan peccatum illius jam ſciverat, confitentemqvè rei patratæ, ſummèq; culpabilis exprobratione prævenerat, & ideò nec erat opus admiſſæ culpæ novam ſerere narrationem: ſed ſatis erat objectum ſibi neqve negâſſe, neq; excusâſſe crimē; reum ſe agnoſcere, & dicere: *Peccavi*. Jam verò cùm is, qui pro tribunali conſcientiæ ſedet, Propheta non ſit, nec eſſe velit, nec conveniat, ut peccata priùs exprobret, quàm pœnitens ea confiteatur; neceſſe eſt, ut confitendo narrentur, & confitens ſe reum in ſingulis agnoſcat, nominatim omnium, ac ſingulorum, quorum ſibi conſcius eſt, accuſet; ut hoc verbo *Peccavi* pro ſingulis humiliet ſe. Cujus rei facilitatem ipſum cor contritum, & os ſincerum præbet; eò quòd hæc unicuiq; domeſtica ſint, non aliundè quæſita per multam difficultatem, aut induſtriam, inſtrumenta: *Ore confeſſio fit ad ſalutem*. Exclamat propterea Caſſiodorus. (c) *O ingenioſa ſimplicitas, & mille tergiverſationibus cautior puritas, manifeſtare delictum! Illis non Iudex, ſed Advocatus eſt Chriſtus, qui ſe pro-*

(a) *Rom*.13.10. (b) *Corder. in Job. Eluc.*

(a) *Caſſiodor. in Pſalm.* 32.

priâ confeſſione damnârunt. Hinc & S. Leo quodam in Sermone: (a) *Non remanet*, ait, *judicio condemnandum, quod fuerit confeſſione purgatum*.

3. Eſt igitur Confeſſio certæ veniæ conſequendæ via; quam (ſicut & totam pœnitentiæ rationem) non alibi quærat peccator, quàm in ſemetipſo. Non equidem dubito; pœnitentiam, ſive contritionem in ea ſpectes, ſive confeſſionem, eſſe veluti quandã aloén amaram: Utraq; cor, & animum non ſine amaritudinis ſenſu conterit, confundit, & ad terram uſq; profundiſſimè proſternit: ſed ejus amaritudo, qvia dulcedinem indulgentiæ parit; animæ ſanitatem adfert; mortem æternam arcet, ô quàm dulcis eſſe debet illi, qui medicinæ hujus amaritudinem non refugit deguſtare! jamq; multò gratior eſſe debet; qvia domi, qvia in corde, qvia in animo naſcitur. Et ſicut herbæ quædam domeſticæ in hortis noſtris enaſci ſolitæ minùs acerbiores videntur ad uſum medicandi, cùm quòd nullo comparentur pretio, tum quòd ob ſui copiam notæ ſint; quàm peregrina, pretioq; comparanda de pigmentariorum officinis propinata; quæ plerumqve nauſeam, & indignationẽ ventriculi provocant adeò, ut ægritudinem alii pati ferè malint, quàm porrectas admittere potiones: ſic pœnitentia; dolor, inquam, & Confeſſio peccatorum cùm in corde, & ore proprio poſita ſit, non eſt, quod horrorem incutiat, quantumlibet amaras lachrymas, & verecundiæ ruborem excitet; dulceſcit amaritudo, quam charitas, & amor Dei, & ſui coram Deo, ejusq; miniſtro præparat, & condit humilis abjectio. Sapienter itaq; Divus Auguſtinus ait: (b) *Meliùs eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus*. Et in alio quodam Sermone: *Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in anima, quod antè dulce fuit in vita; & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde; jam tunc benè ingemiſcis ad Deum*. Felix igitur amaritudo pænitentiæ; quæ

(a) *S. Leo.*

(b) *S. Aug. de* 10. *Chord.*

quæ in pœnitentis animo peccatoris enata suspirantem, & ingemiscentem animam in spem erigit optatæ sanitatis, & salutis æternæ.

CAPVT X.

§. I.

Occasionum peccandi fuga, collapsam Vocationis instaurat fabricam.

1. Non sine causa Divus Joannes Chrysostomus illud præcipuum (quod paulò antè (a) jam recitavimus) pœnitenti suo præscripsit monitum, ut *id unum curæ sit, nè ad eam deflectamus materiam, quam ignis citò corripit*. Materiam, quam ignis citò corripere possit, credo, Os aureum intelligere voluisse; occasiones illas, quæ gravissimæ ruinæ, pretiosissimiq; thesauri, qualia sunt in religiosa Vocatione Vota, perditi fuerunt causa. Quarum omnes, & singulas enumerare, mihi perdifficile; Lectori verò fortassis etiam fastidiosum esset, Intereà semetipsum circumspiciat, qui lapsus est, ac multo tempore Vocationem suam neglectui habuit; & sicut peccatorum jugis ad humiliationem sui recordatio pulsat animum, ac vehementer excitat ad anteactorũ detestationem, ita vel ipsa quoq; peccandi, quæ magni præcipitii causa fuit, occasio, vel occasiones debent obversari menti, non ut eas repetat, & denuò periculum adeat; sed tantò sollicitiùs ut fugiat; quantò faciliùs, & crebriùs velut igne, attactu materiæ dispositæ, corripiebatur ad peccatum. Quem nimia cum hominibus (ipse meliùs scit, cum quibus) agendi se duxit familiaritas; is omnium hominum ejusmodi posthàc commercium, eorum præsertim, horumq; similium, qui fuerant olim, & adhuc esse possunt certa materia, certissimus etiam peccandi fomes, & incitamentum, cane pejus, & angve fugiat.

2. Quod enim Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum monuit: (b) *Quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa, suscipient te*; hoc & de pec-

(a) *Supra Cap. 9. §. 1. num. 2.*

(b) *Eccli. 21. 2.*

peccandi occasionibus firmissimè tenendum est; quæ nihil sunt aliud, quàm materia citò corripiens ignem. Vix ad pestilentem occasionis, & periculi cujuscunqve materiam, quæ peccatum olim suggerebat, accesseris; jam ignẽ cordi subjectum habes, qui flammam excitabit subitò, non facilè extinguendam; plagam, & vulnus ad gehennæ incendium insanabile, nisi, dum in vivis es, iterum congruâ sanetur, & expietur pœnitentiâ, inflicturum. Cui pecuniæ administratio, vel cupiditas ad clandestinam collectionem, possessionem, & peculatum; ad licentiam, luxum, & luxuriam, ad comessationes, & compotationes, ad omnia gulæ, sensuumq; illicita fuit occasio; is in posterùm, quantũ est ex parte sua, nec aspicere, nec tangere pecuniam audeat. Quem prava societas ad ultimam Vocationis suæ ruinã induxit, ac præcipitem egit; is omne commercium aliud (præterquam cum Christo Cruci affixo, cum ejus Matre Sanctissima stante juxta Crucem, cum Angelo Custode, cum sanctis Patronis suis tutelaribus in Cella, cum probis in Christo fratribus) vitet, ac fugiat sedulò. Non enim frustrà Spiritus Sanctus hortatur, & inculcat: *Quasi à facie colubri fuge peccata.*

3. Nam peccata verè instar colubri vel in petræ, seu terræ foramine, vel in denso quopiam vepreto, aut fruticeto; vel inter arborearum frondiũ condensa latentis, habent latibula sua, quæ non sunt aliud, quàm occasiones, & certissima peccandi irritamenta. Ad ista si vel modicum accedat, qui semel, & iterum ab illis, tanquam à colubro morsum aliquando lethalem accepit, sed Dei propitiâ medicante misericordiâ sanatus, & liberatus est, vix fieri poterit, ut periculum evadat. Non enim errare potuit divina Sapientia, quæ dixit: *Si accesseris ad ea, suscipient te*: id est; vel minimã peccatorum, quæ commiseras olim, materiam si tetigeris, aut eorum occasionem apprehenderis, & non potiùs ab ea te summoveris; iterum *suscipient*

pient te vetera delicta tua vel solâ refricante memoriam blandâ sensib9 occasione. Fuge igitur, *fuge quasi à facie colubri peccata*, & non solùm peccata, sed ipsam etiam peccatorum occasionem. Sapienter idcircò Galfridus in hæc Ecclesiastici verba disserens ait: (a) *Lubrica res est* occasio peccati, seu peccatum ipsum: *Pectore & ventre graditur plena veneno mortifero. Anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur. Noli ergò sustinere, donec mordeat; mox ut videris, fuge à facie ejus; nè expectaveris morsum ej9. Non dicas: quid mihi nocet, si proximus est coluber tantùm, & me non mordeat, non occidat? Imò verò, quod de colubro non diceres, minùs dixeris de peccato. Nè accedentis lenocinia ferres, sed uti fugeres à facie colubri etiam longè positi; sic multò magis à peccato; & faceres hoc, si tibi charior foret animæ vita, quàm corporis. Non sis contentus, non incurrere mortem; fuge etiam tactum: imò etiam non sufficiat tactum vadere; sed etiam accessũ. Parùm est; serpentem non sentire contiguum; periculosum est vel habere vicinum.* Hucusq; religiosissimus Asceta.

4. Ex horum verborũ sensu Scripturæ textui graphicè accommodato satis colligitur; non aliter occasionem, & materiam peccandi fugiendam esse, quàm ipsum peccatum. Hoc enim mortem animæ certissimè adfert; illa fomitem mortis indubitanter ministrat, & subjicit ignem, flammam, & incendium excitaturum. Nec scio, an magis ad cautelam, & pressiùs aliquid dici potuit hâc totâ sententiâ; quàm ubi dictum est: *Non sis contentus non incurrere mortem; fuge etiam tactum*: id est; non satis tibi sit, nec satis rectè agere te putes; si lethale peccatum non admittas: nisi fugias etiam mortiferam peccati materiam sic, ut eam nè attingas quidem; ad occasionem, & periculum non accedas. Hoc enim nisi feceris; peccas. Qvia voluntariè occasionem adire, perindè est; atqve ad peccatum ipsum accedere. *Nam si accesseris ad* peccata, *suscipient te*: ideòq; *fuge etiam tactum.*

(a) *Galfrid. citat. in Men. Spirit. cib. verbo: Peccatum. num. 70.*

tactum. Tangis, & attingis aspectu; tangis auditu; tangis odoratu; tangis & gustu; & quod perniciosius est, tangis & ipso contactu. Propterea monet, occlamitatq; peritus hic Magister: *Fuge etiam tactum.* Oculi tui, manus, aures, os, lingua, & gula tua, heu! quantorum tibi fuerunt, & sunt, occasio peccatorum! *Fuge* jam etiam tactum. Et qui sensuum tuorum occasione corrueras, noli jam eorum experiri periculum: sed fuge. *Non sis contentus non incurrere* mortem, non peccatum ipsũ admittere, ad quod est occasio: sed *fuge etiam tactum*; fuge vel ipsam occasionem; ut ita, qui per illicita plurima diffluendo, graviter hucusqve Deum offendebas, jam & illicitorum materiam non attingas; non aspicias ea, quæ quondam oculum, & cor tuum seducebant; non adeas locum, qui te minimè cautum nuper illaqueabat; non tangas materiam, quæ tibi peccati fuit irritamentum; noli sibilos audire, qui blandè peccatum insusurrabant. Fuge, *fuge, quasi à facie colubri.*

5. Hinc S. Joannes Chrysostomus, aut quisquis alius author Operis Imperfecti, considerans illud Sapientum, qui Christum recens natum in cunis ut adorarent, venerant, in regionem suam redeundi mysterium; quòd videlicet responso in somnis accepto, nè redirent ad Herodem, [a] *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, scitè disserens ait: [b] *Qui à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis? ambula de cætero per viam castitatis. Venisti per viam avaritiæ? ambula de cætero per viam eleemosynarũ. Si autem per ipsam viam redieris; iterum sub regnum Herodis vadis.* Sic in proposito nostro dicendum. Ibas in omnem licentiam per indulgentiam appetentiarum tuarum? jam post conversionem ad Deum pergendo, frena sensus, & appetentias tuas, & totum te compone ad temperantiam, ad modestiam, ad disciplinam, imò in omnibus per disciplinam.

(a) *Matth.* 2. 12. (b) *S. Jo-Chrys. Hom.* 2. *citat. à Cornelio hic.*

nam. Te nimis amando, voluntatem propriam faciebas? Jam nunc temetipsum oderis, & in omnibus solam Dei, Superiorumq; tuorum, quin & aliorum, in quo non est peccatum, sequere voluntatem. Uno verbo: *Abnega temetipsũ.* Regulam Instituti, quod profitebaris, infringebas, & conculcabas? Jam quo potes arctiore modo, studio ferventiore non solùm in te, sed in aliis etiam, ejus observantiam promovere stude.

6. Sed meliùs ad sensum dicat tibi S. Gregorius: qui pariter illum Magorum in regionem suam reditum expendens sic ait: (a) *Regio nostra Paradisus est; ad quam IESV cognito redire per viam, quâ venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo,* (notet hoc benè Religiosus pœnitens) *visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus. Sed ad eam, necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atq; appetitum carnis frenando, redeamus. Per aliam ergò viam ad regionem nostrã regredimur; quoniam qui à Paradisi gaudijs* (addamus etiam hìc, qui à religiosa vocatione, & professione, quæ spiritualis quidam animæ Paradisus est) *per delectamenta discessimus; ad hæc per lamenta revocamur.* Et paucis interjectis ait: *Puniamus fletibus culpas, & cum Psalmistæ voce, præveniamus faciem ejus in Confessione.* Concludit deniqve: *Voluptatum nos ergò fallacia nulla decipiat, nulla vana lætitia seducat.* Hactenus Magnus ille Pontifex. Igitur qvia per voluptates, per illicita, per risum, per summam licentiam discessit procul à regione Vocationis suæ Religiosus; ideò voluptatem omnem quamcunqve, risum, & licentiam, quæ fuerunt, & sunt semper occasio peccandi, jam vitet, fugiat, eaq; se privet; ut revocatus ad animæ Paradisum, id est, ad meliorem religiosè vivendi formam, Cœlestis etiam patriæ contingat regionem.

7. Id quod alibi disertiùs idem Sanctus expressit Gregorius. Qui ponderans illa S. Joannis Baptistæ verba: (b) *Facite ergò fructum dignum pœnitentiæ,*

(a) *S. Greg. Homil.* 10.

(b) *Matth.* 3. 8.

tentiæ, ſic ait: (a) *Ut enim ſecundùm dignos pœnitentiæ fructꝰ loquamur, ſciendum eſt; quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur, ut licitis utatur. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſè, quod gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere, quantò ſe meminit & illicita perpetrâſſè.* Mox paucis interpoſitis concludit: *Per hoc ergò, quod dicitur, facite dignos fructus pœnitentiæ, uniuscujusq; conſcientia convenitur; ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora ſibi intulit damna per culpam.* Quæ verba Sanctiſſimi Patris expendenda ſunt diligenter unicuiq; pœnitenti Religioſo; ſeq; ex his metiatur, intellecturus apprimè, quantorum ſit reus, aut fuerit hucuſqve admiſſorum; & quâ viâ redire debeat ad Deum ille, qui per nimiam licentiam ipſe ſibi profuſiſſimus diſpenſator conſcientiæ abibat à Paradiſo.

(a) *S. Greg. Hom. 20. in Evang.*

§. II.

Occaſiones ut fugiantur, principia duo ſtabiliunt: Declinare à malo; & facere bonum.

1. Divinus Pſaltes propoſitum materiæ noſtræ breviſſimo decernit aphoriſmo, cùm ait: (b) *Declina à malo; & fac bonum.* Duo nimirum præcipua poſt converſionem ponit principia, quibus, cùm omnis alius, tùm & Religioſus ad pœnitentiam, & per pœnitentiam converſus, poſt vitam enormiter licentioſam, inſiſtere debet ad aſsectandam ſeriam anteactorum emendationem. Quæ maximè conſiſtit in eo, ut in primis, ac ſuper omnia, *declinet à malo.* In quo non ſolùm intelligitur peccatum, & ejus malitia; ſed etiam ipſa ſpecies, occaſio, & materia peccati, ſeu mali. Undè Magiſter gentium benè monet Theſſalonicenſes, ut ad Chriſtum converſi, quatenus in ejus adventu poſſint occurrere ſecuri, caveant, & abſti-

(b) *Pſalm. 36. 27.*

neant non ſolùm à malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali, cùm ait: (a) *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*: id eſt; ab omni occaſione, quæ certa quædam imago, ſpecies, & illecebra mali eſt, & ducere ſolet incautos ad peccatum, *abſtinete vos*. Et hoc niſi fiat, & quaſi fundamentum exſtruendi boni conſtituatur, *à malo declinatio*; non tam facilè virtutum, veræq; pœnitentiæ fructui ſit conſultum. Quod ipſum Divus Ambroſius ſapientiſſimè videtur innuere, dum ſcribens in recitatum Pſalmi verſum ait: (b) *Nè bona, malaq; confundas, prius eſt, ut crimine careas*; *poſteà ut innocentiæ fructum deferas*. Quaſi dicat Sanctiſſimus Antiſtes; Erudire vis animum ad diſciplinam virtutis? priùs de vitiorum tollenda materia cogita: *Declina à malo*. Vis exercitationẽ bonorum operum eſſe tibi familiarem, & bonum facere? primum ſit ſtudium tuum, ut declines à malo; nec ſimul & facere bonum, & declinare à malo compendium reputa: ſed illud cùm oporteat facere, hoc ante omnia non omitte: *Nè bona, malaq; confundas. Prius eſt, ut crimine careas*; hoc eſt, occaſionem, quâ crimen facilè conſciſci poſſit, cùm & ipſa occaſio ſpecies mala, & culpa ſit, antè tibi fugiendã conſtitue, ſed & fuge: poſteà verò cures, *ut innocentiæ fructum deferas*; id eſt, bonum facias. Igitur ante omnia *declina à malo*. In hoc enim ſitum eſt innocentiæ fundamentum; cùm & ipſum declinare à malo bonum ſit: poſteà virtutis, & perfectionis exercitationi ſtudium adhibeto.

2. Alterum occaſionem fugiendi principium eſt; facere bonum: *Et fac bonum*. Hoc enim altero firmatur primum: ut, qui non vult facere malũ, & omnes malum faciendi laqueos evitare deſiderat, faciat bonum: id eſt; in eo diſciplinæ conſtituat exercitationem, ut odium, & fugam mali, ſeu peccati fulciat, promoveat, & in animo firmet ſtudio perfectionis, virtutis, omniſq; boni. Cæterùm Hugo duas in Davidis monito principales, ad perfectionem maximè

(a) 1. *Theſſ.* 5. 22. (b) *S. Ambroſ. Enarrat. in Pſalm.* 36.

ximè necessarias; observat virtutes: videlicet *timorem*, & *amorem*; quibus adnititur anima religiosa Deo complacere. Dicit enim: (a) *Declinatur à malo per timorem: bonum autem fit per amorem.* Et confirmat utriusq; virtutis hujus ad hoc exercitium Sacræ Scripturæ testimoniis. Timoris quidem illo Proverbiorum versu: (b) *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Amoris autem illâ Divi Pauli Apostoli ad Galatas assertione: (c) *Fides, quæ per charitatem operatur*; tanquã neq; Theologica, neq; moralis aliqua virtus alia, neq; bonum aliud quodcunqve fieri possit, & valorem suum habeat, nisi per charitatem. Deum igitur timendo, declinat omnis à malo, & ab omni specie, & occasione mali: amando autẽ exercetur bonum: & sic utrâqve hâc virtute comite, atqve (juxta Sacræ Scripturæ phrasim ut loquar) assistrice, videlicet *timore*, & *amore*, fugam occasionis, quæ est quædam materia, & via ad malum, & peccatum, sapienter aggreditur animus, ut *inhabitet in sæculum sæculi*; id est: Cœlestem ut possideat in æternum hæreditatem. Hæc enim causa, & finis est; propter quem Deus ex malo vivendi statu vocat ad pœnitentiam; nè videlicet moriatur peccator; sed ut convertatur, & vivat.

(a) Hugo in Psalm. 36. (b) Prov. 15. 27. (c) Gal. 5. 6.

3. Ut autem ad occasionum fugam hæc duo, *declinare à malo, & facere bonum* plurimum pertinere planiùs ostendatur, ipsius Christi Domini, qui veritas est æterna, magisterio res sit in comperto. Duo venerant ad Cœlestem Magistrũ, seq; perhumaniter in ejus insinuârunt sequelam, uti describit S. Lucas. Horum alterius ut desiderio Dominus responderet, annuit, dixitqvè: *Sequere me.* (d) Sed iste, nè patrem suum sepulturæ destitueret obsequio mortuum, priùs abire voluit, & patrem sepelire: *Domine*, inquit, *permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.* Sed Christus hanc illi permittere noluit humanitatem, brevissimoq; juvenem expedivit responso: (e) *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnũ Dei.*

(d) Luc. 9. 59. (e) v. 60.

Dei. Alter, nescio, quid aliud moræ causabatur, &, paratum se quidem esse non gravatè sequi dixit; sed velle priùs renuntiare, & vale dicere tam domesticis, quàm iis, quæ domi habuit: (a) *Sequar*, ait, *te Domine: sed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi sunt.* Huic Dominus (an autē ad animum? nescio) respondit: (b) *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Jam hìc quæro: peccatumné fuerat, sepelire patrem mortuum? Non equidem. Imò potiùs & conforme legi naturæ fuit, & divinæ tam Veteris, quàm Novi Testamenti Scripturæ testimoniis inter opera misericordiæ censetur, mortuum sepelire; quantò magis, si patri filius hoc supremum præstitisset obsequium? Alter ille si redierat, si domui, si amplissimæ possessioni coram judicio renuntiaverat; si politicè jam moriturus, testamentū condere constituerat, numquid hoc ipsi culpæ dari debuerat? In nullum, credo, peccâsset jus: & tamen Dominus nec huic permisit renuntiare suis, nec illi patrem sepelire. Cur autem ita? Qvia tam patris sepultura, quàm eorum, quæ domi sunt, renuntiatio, culpabilia quidem non erant; sed erant occasio, & materia culpæ. Pater mortuus, fratres, sorores, & cognati superstites, movere poterant, & movissent lacrymas; affectū mutare, bonum desiderium extinguere; forsitan & rixas, contentiones, & lites excitare. Amplissima domûs substantia, opes, & commoda poterant alterius animum illaqveare, capere, forsitan & pervertere. Et ita tam hunc, quàm illum ex occasione, licet exigua, & alioquin probata, facillimè non unam, sed plurimas culpas consciscere contigisset. Ideò Dominus eorum petita non probavit. Est igitur certum; occasionis, & materiæ, quæ facilè peccatum insusurrat, fugiendæ principia esse: *Declinare à malo, & facere bonum.*

(a) v. 61. (b) v. 62.

§. III.

§. III.

Occasionum fuga certum est emendationis argumentum.

1. Non sine causa Spiritus Sanctus hominem beatum prædicat, qui semper, & omnia timet, ea præsertim, quæ possunt ad peccatum aliquod invitare; occasiones, inquam, etiam minimas, etsi non easdem, in quibus anteà versabatur, & se quodammodò ultrò ingerebat; sed tamen similes iisdem, nec differentes aliter, quàm loco, tempore, personis. Ab his omninò timeat sibi semper Religiosus, qui post gravissimum lapsum, aut etiam post diuturnam perditæ vitæ conversationem, deniq; per sinceram pœnitentiam ad Deum est conversus. Dicitur ergò Proverbiorum vigesimo octavo capite: (a) *Beatus homo, qui semper est pavidus*: id est; qui semper metuit, & metuendo fugit omnem occasionem, beatus est ideò: quia non facilè conscientiam contaminabit aliquo delicto, mundum cor semper habiturus, & Dei præsenti gratiâ fruiturus, secundùm illud Christi Domini pronuntiatū: (b) *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*, hìc quidem in terris per gratiam, & dulcem mentis contemplationē: in Cœlis autem in gloria per essentiam. Hæc occasionum formido, consequenter & fuga, oritur ex Dei casto timore, qui cum charitate conjunctus (uti jam dictum est alibi) Deum offendere non vult. Hinc rectè sententiam sapientissimi Salomonis Auctor Catenæ Græcorum ex Septuaginta Interpretum expositione expendens ait: (c) *Qui Dei timorem obtinet, ille omnia, quæ aliquod contagium, vel detrimentum animæ adferre poterant, formidat, suspectaq; habet; ideòq; beatus censendus est.*

2. Jam si omnis homo sit pavidus oportet; paveat multò magis Religiosus ille, qui turpiter deceptus, & illaqveatus ab insidiatore diabolo Vocationem, & professionem suam pensi non habuit multos annos; at denuò, adjuvante Deo, meliorem arripiens discipli-

(a) Prov. 28. v. 14.

(b) Matth. 8. (c) Cat. Græc. citat. à Cornel.

sciplinam ad frugem rediit. Non cessat autem inimicus insidias illi struere, ubiq; advigilat; infestat undiqve; materiam, occasionemq; peccandi nunquam non obtrudit. Hinc Eusebius Emissenus ad Monachos: (a) *Tanti laquei*, inquit, *objecti sunt ante pedes animæ nostræ; tam innumeri hostes observant, & custodiunt iter nostrum; tantæ foveæ, & tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interjacent inter nos, & finem nostrum! Via ipsa, quæ per se ardua, & arcta est, tantis spiritualium latronum insidijs obsidetur; tantos scopulos, tantos fluctus transire necessè est, & videre! antequam anchoram optato in littore collocemus, & putamus nos de præteritis esse securos, & sine quotidiana cura, & sine quotidiano timore, & tremore, diem nostrũ transigere posse?* Suspecta videlicet esse vult omnia illi, & quidem semper, qui religiosam profitetur vitam: sed magis adhuc, imò maximè Religioso illi, qui sexcentas expertus occasiones, & pericula, post lapsum, & relapsum, deniq; viam suam pravam correxit. Id quod expendens Hugo de Foileto non minùs sapienter, quàm eleganter ait: (b) *Iam si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum est; nè fortè contingat recidivum pati; quod utiq; deterius est.*

3. Hæc quidem eò sint dicta, quò intelligat is, qui tam per acceptam gratiam in suscepta vocatione religiosa, quàm per amissam eandem gratiam in professionis suæ vel neglectu, vel etiam desertione, satis est expertus, quàm undiqve, semper, & ubiqve circumspicere debeat omnes occasiones, easq; fugere; quas etiam in re minima potest subodorari. Nam hoc si facit, & accuratus est in omnem partẽ ad sui tutelam explorator; certum argumentum est, ipsũ non solùm emendare velle vitam suam, sed etiam seriò jam emendâsse, & semper in melius proficere. Insuper eum, qui non amat, nec adit occasionem, non amare quoqve, nec admissurum aliquod peccatũ. Deniq; qvia scrutatur jam potiùs

(a) *Euseb. Emissen. Hom. 5. ad Monach.*

(b) *Hugo de Foileto cit. in Men. Spir. cib. verbo: Timor. num. 34.*

tiùs in lege Domini, diligenter ut eam custodiat, quàm ut vel in minimo infringat; ideò & materiam omnem, occasionem, & viam iniquitatis aversatur, & odit. *A mandatis tuis intellexi; propterea odivi omnem viam iniquitatis*, (a) ait ille nuper ex infirmitate carnis humanæ lapsus; at mox iniquitatem suam confessus, non renuit agere pœnitentiam: *Quoniam iniquitatem meam*, ait, *ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* (b) Sed quomodo pœnitentiam aget? In amaritudine, in afflictationum acerbitate. Protestatur enim: *Asperges me hyssopo, & mundabor:* id est; humilitate pœnitentiæ ab omni peccati malignitate, & immunditia purgabor. Et indè semper jam memor, quàm graviter divinam Majestatem offenderit, & quantum animæ suæ nocuerit; intelligens etiam, quàm dulce sit incedere in via mandatorum Dei, non ampliùs ullam iniquitatis adire voluit occasionem, & viam: sed *omnem viam iniquitatis odio habuit.* Itaq; S. Ambrosius in hunc Psalmi versiculum disserens egregiè philosophatus ait: (c) *Benè odisse possumus inimicos Dei, odisse iniquitatem, odisse perfidiam, odisse turpitudines, odisse istius mundi vanitates.* His autem dictis, statim perstringit occasiones aliquas; quæ sicut peccandi sunt certa materia, sic etiam tantò magis odio monet habendas esse. Dicit igitur: *Odio igitur esse debent, quæ sæculi sunt; nè securis affectibus, & otiosis, blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra. Facilè capit oculos petulantis forma meretricis, nisi eos odia premant justa, & impuritatem indignatus avertat affectus.*

4. Et in alio sermone ponderans idem S. Antistes alium ejusdem Psalmi versum, quo protestatur Psaltes Regius: (d) *Ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui*, docet: illum, qui diligit Dei præcepta, jamq; seriò per viam perfectionis incedit, non ampliùs affectum aliquem ad peccatum habere, & esse certissimum emendationis argumentum. Dicit itaque:

(a) *Psal.* 118. v. 104. (b) *Ps.* 50. 5.

(c) *S. Ambros. Serm.* 13. *in Ps.* 113.

(d) *Psalm.* 118. v. 128.

qve: (a) *Si is, qui præcepta justitiæ diligit, facit illa, quæ diligit: utiq; is, qui odit iniquitatem, non facit, quod exosus est. Nec immeritò ad omnia præcepta corrigitur. Quia omnem viam odit iniquitatis. Nam nisi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus præceptis Dei corrigi.* Ex qua Sanctissimi Præsulis doctrina liquet; signum esse manifestissimum, verè jam odio peccatum haberi, consequenter emendari, corrigiq; vitam in illo, qui vel umbram peccati, videlicet minimam ejus occasionem, & materiam aversatur, ac fugit.

5. Hujus rei documentum insigne S. Gregorius observat in Matthæi telonarii conversione. Qui vocatus à Christo ad sequelam, statim secutus ipsum à telonio multarum divitiarum lucroso, sed simul etiam multarum iniquitatum laqveis obnoxio, nunquam ad idem officium, sed neq; ad aliud quodcunq; negotium occasioni peccandi opportunum rediit ampliùs; cùm tamen Petro, aliisq; Discipulis anteà piscatoribus ad piscationem, quâ sibi victum anteà lucrabantur, redire licuerit. Quærit igitur: (b) *Cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem redijt?* Ac respondet ipse: *Quia negotium, quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum verò telonearium, scimus, & post conversionem suam ad piscationem Petrus redijt; Matthæus verò ad telonei negotium non resedit. Quia aliud est victum per piscationem quærere; aliud autem telonei lucris pecunias augere.* Et post pauca concludit: *Quæ ergò ad peccatum implicant; ad hæc, necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.* Hucusqve S. Gregorius. Igitur conversus ad Christum Matthæus, ampliùs ad telonium post conversionem, tanquam ad certam peccandi materiam, noluit redire. Qvia enim *omnem viam iniquam odio habuit,* ideò ad occasionem iniquitatis, avaritiæ, fraudis, & concupiscendæ, corrogandæqvè pecuniæ, Deum offendendi, homi-

(a) *S. Ambr. Serm. 16.*

(b) *S. Greg. Homil. 24. in Evang.*

homines injuriâ afficiendi fomitem contingere neutiquam voluit: *Ad telonei negotium non resedit.*

6. Undè jam concludi potest etiam de Religioso post licentiosam vitam ad Deum converso; ipsum ad negotia, quæ sunt instituti sui, per Superioris præsertim mandatũ, si quod interveniat, ad sanctæ obedientiæ meritum, in qua tota religiosa perfectio sita est, posse, imò & debere redire, scilicet ad illa, quæ sine peccati periculo exercentur licitè: qualia sunt docere, concionari, peccatorum homologesi aurem dare; doctrinam Christianam populum, aut parvulos docere. Hæc enim, & his similia, adeò non sunt occasio culpam aliquam consciscendi, ut etiam apud Deum sint meritoria. Siquidem teste S. Dionysio, *Opus omnium divinorum divinissimum est, animarum saluti cooperari.* Nam quidquid sit de occasione, & periculo, præsertim in sacris Confessionibus audiendis; hoc non debet, imò nec potest Religiosus, quantumlibet communi obnoxius humanæ fragilitati, deprecari. Sanctum enim hoc opus nec directè, nec indirectè tendit ad occasionem lapsûs. Sed si quid in hoc præsumi potest periculi, id non nisi per accidens sequi potest; non tamen ideò subterfugiat ad Deum seriò conversus. Hinc illa S. Ignatii Patriarchæ Societatis JESU prorsùs heroica fuit, ac summæ charitatis contestatio; quâ auditus est dicere aliquando: *Si optio daretur; malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, & proximorum saluti; quàm certum ejusdem gloriæ statim mori.* (a)

7. Quin potiùs persuadeat sibi Religiosus; se post vitam, quam multis annis parùm religiosè, nec sine multorum, etiam sæcularium, scandalo vixit, operâ suâ, quam ad Dei gloriam impendit animarum saluti, duo præstare valdè commendabilia. *Primum*, quòd illos, quibus olim offendiculo fuit, multum ædificet, adeò, ut & admirentur, & laudent in ejus conversione divinam misericordiam. *Alte-*

(a) *Brev. Roman. die 31. Julij*

rum, quòd augeat sibi meritũ ad Cœlestem gloriam. Etenim *qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Jam si uspiam est campus erudiendi multos ad justitiam, habet illum Religiosus amplissimum in conscientiis ad virtutem, & ad justitiam, ad vitiorum detestationem formandis, in docendo, (sicut fert institutum nostrũ) in concionando, & aliis ad erudiendum proximum pertinentibus.

8. Igitur ad negotium, quod ad Dei gloriam, & ad proximi salutem spectat, non solùm licitè, sed etiam majore merito suo redeat Religiosus. Illa verò, quæ fuerunt occasio, & irritamentum ad sæculi vanitates, ad carnis illecebras, & ad inordinatæ vitæ licentiam, non tantùm debet subterfugere; sed etiam, quantum est ex parte sua, odisse: qualia fuerunt, & sunt, prava societas, amicitia mundi, nimia familiaritas, è domo religiosa creber egressus ad illicita, privata cum uno, alterové de reb9 parùm utilibus colloquia; cibi, potionisqvè, item extra communem mensam omniũ, & sine facultate Superioris, intemperatus usus; indulgentiæ gulæ; pecuniæ contactus, aspectus, administratio; cum mulieribus familiaris conversatio, conviviorum cum sæcularibus, & in domibus eorundem frequentatio. Hæc; & alia enumeratis similia, vel difficilè, vel minimè sine conscientiæ læsione solent, aut possunt peragi. Quæ dum Religiosus pœnitens subterfugit, argumentum est evidentissimum, ipsum emendâsse.

9. Quòd si murmuret, ac ægrè ferat; hæc, & horum occasiones sibi subtrahi, quod plerumq; fit per Superiores in subditi bonum, docere verò propterea, concionari, confessiones audire nolit etiam jussus, dicatq; cum stomacho: Quandoquidem sciunt improbam vitam meam; sciant etiam ad alia instituti exercitia me adhiberi minimè debere. Jam in ejusmodi murmuratore non est spiritus emendationis, sed neq; Spiritus Christi; sed in eo regnare propriam

am voluntatem, pertinaciam, & rursùm ad occasiones redeundi desiderium. Diceret potiùs: Sciunt improbam vitam me egisse; refractarium, inobedientem, ebriosum, luxuriosum, petulantem, & licentiosum fuisse: sciant etiam, & totus videat mundus, me ad Deum conversum, verè pœnitentiam agere; solitudinem colere; laboribus, & exercitiis professioni meæ congruis anteactam improbitatem meam expiare.

10. Nec illum post correctionem, & conversionem verè pœnitet, ac emendat; qui videns aliqua sibi subtrahi, mox vel eremum, vel aliam quampiam Religionem, vel apud Garamantas, & Indos exilium agere aspirat potiùs, & optat sibi domiciliũ; quàm in Ordine, quem semel amplexus est, vel in domo, vel in officio, ad quod per Superiorem adhibetur, manere. Falsus hic, tanquam ægritudine laborantis, appetitus est. Ibi eligat Deo dilecto vivere, & mori, ubi Superioris ipsum constituit extra periculum Deum offendendi providentia. Mutare domum, Institutum, aut regionem, non pœnitentis, sed impatientis inane propositum, ac desiderium. Qvia tantùm

Auram, non animum mutant,
qui trans mare currunt.

Secum habitet Religiosus ad Deum post multam improbitatem conversus; cum Superiore, cum conscientia benè conveniat; & verè pœnitentis evidens exhibuit argumentum.

CAPVT XI.

§. I.

Religiosus verè pœnitens ad opprobria perferenda, & ad injurias, semper sit paratus.

1. Etsi Religiosus omnis ad imitationem Christi Domini, cujus sequenda vestigia suscepit, injurias, exprobrationes, & opprobria debeat humiliter tolerare; factâ nihilominùs inter se, contubernalesq; suos, qui in sua Vocatione hucusq; constanter, & sine nota perseverârunt, & perse-

verant, comparatione, tantò æquiori jure sibi insectationes, injurias, & opprobria deberi existimet; quantò licentiosiùs ipse præ aliis in Deum, in institutum, & in suam Vocationem fuit injuriosus; non tanquam ejusmodi tolerantia devolvenda sit in ipsum solũ ob anteactam perditè vitam, siquidem ad Deum per pœnitentiam conversus in majori solet haberi æstimatione, quàm ejus improba communitatem offendebat conversatio, eò quòd in Religione semper majoris admirationis, & pretii sit virtus, & disciplinæ exercitatio, licèt per rationem pœnitentiæ suscepta; quàm vitiorum, & sensuum profusa indulgentia spectatores exasperet: sed quòd offensæ, quæ divinam indignationem hactenus provocabant, hoc mereantur. Ideòq; jam sive spontè, sive per legis excusationem in pœnitentiæ redactus statum, ita semper sit comparatus, ut in abyssum divinæ voluntatis, & misericordiæ semetipsum totus immergat; & injurias, opprobria, contemptum, omnemq; sui despicientiam patienter toleret, & tolerare sit paratus; imò etiam, ubi contigerit hæc experiri, non aliter, quàm si aliud sibi non debeatur, libenter accipiat; præsertim postquam duriori, quàm in carnẽ suam exercere pro peccatis obligatus est, disciplinæ jam per ætatem, aut per corporis infirmitatem par esse non possit; nec etiam plus sibi liceat in carnem affligendam animadvertere, quàm quantum Superioris, aut Patris Spiritualis permittitur arbitratu.

2. Quæ quidem humilis injuriarum, contemptuum, & opprobriorum tolerantia, licèt crebrò contingere possit præter patientis expectationem; nihilominũs tam expectata minimè, quàm optata, jam illi sit, oportet, familiaris. Undè S. Ambrosius in Psalmum trigesimum, qui septimus est inter Psalmos pertinentes ad pœnitentiam, scribens, sic ait: (a) *Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda, injuriasquè subeundas: nec commoveri debet, si quis*

(a) *S. Ambros. in Psalm. 37.*

si quis ei peccati crimen objiciat. Hoc dicto, mox assertionem suam æquissimo confirmat argumento. *Cùm enim ipse accusare se debeat, quemadmodum alium non sustinet arguentem?* Nimirum perindè jam sit pœnitenti, criminosum, multorumqvè criminum reum haberi, & ab alio argui; atq; semetipsum, ut talem, agnoscere, & accusare. Hujus autem ultroneæ tolerantiæ duplex assignari posse videtur ratio.

3. *Prima*; quòd pœnitentem jam semper esse deceat humilem. Quòd si multæ innocentes animæ propter profundissimam sui cognitionem, & abjectionem, aliud se non esse confitentur, quàm immunditiæ vasa, sicut olim S. Franciscus ille magnus Ordinis Seraphici Patriarcha, peccatorem maximum appellitare se solebat; S. Francisca Romana vidua vasis immunditiæ sibi titulum usurpabat: alii alia sibi criminosorum nomina tribuebant, ad humilitatem in se non solùm conservandam, sed etiam semper magis augendam; quid jam de se non sentire debet ille, audire, & confiteri; quem ipsa res, non autem adscititia quædam humilitatis umbra, verè peccatorem, & immunditiæ vas, conscientiâ teste dicit, & condemnat? Profectò, nolle se talem agnoscere, dicere, fateri, insignis quædam superbia, & dementia est. Cur enim erubescam ab homine damnari, cùm & ipse ego damnationis sententiam tuli, ut Dei consequerer misericordiam? Imò quem Deus olim peccantem me, justo judicio suo jam inimicum suum constituit, misertus autem mei rursùs in disciplinæ viam, ut gratiam, & gloriam in æterna beatitudine mihi per eam conciliare, vocavit, & reduxit; & quem conscientia plurimorum criminum, sacrilegiorumq; reum assiduè redarguit, & accusat. Frustrà refugio confiteri, audire, dici de me; quod in rei veritate coram Deo sum; nec possum negare, quod jam toto Cœlo proclamatum est: *In terra Sanctorum iniqua gessit.* (a)

4. *Atera* tolerandorum op-

(a) *Isa.* 26. 10.

probriorum causa est; quam S. Ambrosius in Enarratione Psalmi superiùs hìc commemorati scitè attingit; quòd videlicet (a) *condemnatio præsentium. absolutio futurorum sit.* Ex quo deniq; pulchrè concludit: *Ergò, qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam; ut hìc puniatur à Domino, non ad supplicia servetur; nec expectare debet, sed occurrere divinæ indignationi.* Certum enim est; à Domino donari quidem, & remitti cuipiam, non tamen pœnam vel hìc in præsenti vita, vel post mortem in igne piaculari luendam. Nè igitur pœnitenti servetur culpa post mortem in igne purgatorio expianda; non horreat eam expiare in vita. Ideòq; dum opprobria, contemptus, & injurias offert occasio sustinendas, sciat hæc omnia, firmissimèq; teneat, suis hæc deberi culpis, quæ in comparatione ad pœnas in altera vita tolerandas umbra tantùm sunt, non res, aut supplicia vera. Per quam opprobriorũ tolerantiam, & paratum ad perferendas injurias animum, prævenitur indignatio divina, imò & sententia.

5. Hinc David fugiens à facie perduellis, & parricidiũ machinantis filii, cùm occurret illi Semei, malediceret, ac lapides in transeuntem mitteret, interemptiq; Saul à Philisthæis ei sanguinem exprobraret, cum dicto: (b) *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial; reddidit tibi Dominus universum sanguinem Domûs Saul.* Hæc, & alia plura exprobranti cùm Abisai vellet amputare caput, non permisit religiosissimus Rex; sed opprobria tanquam à Deo justè peccatis suis indignante permissa non solùm æquanimiter, & humiliter. sed etiam summa cum patientia, tulit; certus eâ tolerantiâ peccatorum veniam, gratiam, & remunerationem à Deo se accepturum; *Dimittite*, inquit, (c) *eum, ut maledicat juxta præceptum Dominî, si fortè respiciat Dominus afflictionẽ meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hâc hodiernâ.* Ecce Rex ad filii perduellionem, ad illatam à subdito sibi contumeliam, ad op-

(a) *S. Ambr. ubi suprà.*

(b) 2. *Reg.* 16. 7. (c) *v.* 11. 12.

pro-

probria toleranda quàm comparatus incedebat, memor peccati sui cum Bersabee, & propter Bersabee admissi, vindictam de maledico sumere noluit, à Domino remunerationem bonam, id est, peccatorum veniam pro toleratis opprobriis humiliter præstolatus. Sic & Religiosus pœnitens ad hujusmodi perferenda semper sit paratus: & dum experiri contigerit, dicat intra se, & hâc se consoletur adhortatione: *Maledicat mihi juxta præceptum Domini*; injurias inferant homines adversùm me; insectentur opprobriis; contemnant, & in nullo censu habeant me; libenter accipio: *Si fortè respiciat Dominus afflictionem mem, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hâc hodiernâ.*

§. II.

Abjectionem sui, & opprobria tolerare, majoris est perfectionis, & efficaciæ, quàm patrare miracula.

1. Habet opprobriorum tolerantia, & vera sui in conviciis, injuriisq; subeundis abjectio, multa ad sui commendationem encomia: sed illud inter omnia præcipuum est; quòd is, qui contemptû, & præsertim criminis exprobrationem cum patientia tolerat, censeatur majoris perfectionis, & efficaciæ ad ædificationem, quàm si miracula patraret. Quia miraculorum patratio, gratia quædam est gratis data, quæ ad Ecclesiæ utilitatem collata consistit etiam cum peccato mortali; sed mansuetudo, & patientia in perferendis opprobriis & injuriis est gratiæ gratum facientis effectus; qui cum peccato nullam habet communicationem, sicut & ipsa gratia gratum faciens nequaquam consistit cum peccato. Nam licèt etiam in politicis viris aliquando sibi vendicet virtus patientiæ locum aliquem, videamusq; nonnullos adeò sibi temperare vel ab ira, vel à vindicta eorum, quæ sibi sive per injuriam, sive per admissæ culpæ cujuspiam veritatem objiciuntur, ut etiam aut lepido quopiam aphorismo convicium explodant; aut egre-

gregio facto aliquo conviciatorem sibi devinciant, eiqvè quasi bonum pro malo reponant: non tamen effectus hic est gratiæ gratum facientis, sed præcisè virtutis alicujus naturalis, politicis in rebus ob certam rationem statûs sui ex naturali motivo animum moderantis. At sicut in omni Religioso, sic multò magis in pœnitente locum alia ratio non habet, nec habere debet; quàm quòd purè propter Deum, & ex amore Dei, ad peccatorum vindictam, & expiationem, contemptus, opprobria, & injurias libenter sustineat, semper existimando, se majoribus, aut deterioribus esse dignum, peccatisq; suis majora deberi convicia, & reprehensiones, quàm quæ unquam ab aliquo sibi possint irrogari. Quam pœnitentis animæ religiosæ tolerantiam Divus Paulus Apostolus effectum, & fructum charitatis esse sufficienter docuit, cùm scribens ad Corinthios soli charitati tribuit benignitatē, patientiam, & omnium adversorum tolerantiam, cùm ait: (a) *Charitas patiens est, benigna est; omnia suffert; omnia sustinet.* Quæ dum in corde Religiosi fixa producit fructus suos, inter quos hic censetur præcipuus, in adversitatibus, opprobriis, & injuriis patientia; plus aliquid præstat, quàm si miracula faceret. Qvia, Sanctus idem Apostolus ait; (b) *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Jam verò patientiam, charitatis fructum, adhuc manifestiùs ostendit, ubi scribens ad Romanos, postquam docuit, quòd (c) *tribulatio operatur patientiam, patientia autem probationem, probatio autem spem*, non aliam hujus eminentissimi fructûs assignat causam, radicem, ac velut matrem, quàm charitatem; *Quia charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.*

2. Quare non immeritò, quod idem Magister gentium dixit alibi, (d) *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*, hùc etiam ad propositum

(a) 1.Cor.13.4. (b) v.2. (c) Rom.5.4.
(d) 1. Cor. 4. 9.

ſitum hoc adferri poteſt. Nam re verâ malorum, injuriarum, & opprobriorum, quæ ibi commemorat Apoſtolus, tolerantia, totum mundum, & Angelos ipſos, & homines, in admirationem, & tanquam ad prodigium quoddam in publico theatro ſpectandum provocat, & rapit. Spectat, & admiratur univerſa quodammodò natura; hominis in ejuſmodi re heroicam fortitudinem, & patientiam ita, ut Mundus, Cœlum, & Angeli tam boni, quàm mali; & homines probi æquè, ac improbi hinc quidem ad imbecillam naturæ humanæ compagem, indè ad invictam conſtantiam ſupra naturæ vires, gratiâ ſupernaturali confirmante virtutem magnanimam, obſtupeſcant; uti rectè S. Bernardus in hæc Apoſtoli verba, *Spectaculum facti ſumus mundo*, &c. ſcitè diſſerens ait: (a) *Ita planè malis, & bonis pariter. Illos enim ſollicitat invidiæ paſſio, iſtos compaſſio miſericordiæ; ut in nos inceſſanter intendant; illi quidem defectum noſtrum, iſti profectum deſiderantes.* Hanc eandẽ ſpectaculi admirationem etiam ad Hebræos Epiſtola commendat: ubi dum illorum laudat in plurimis adverſis admirandam patientiam, fortiſſimũ etiam certamen eorundem ſtatim commemorat in hæc verba: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Et in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculum facti; in altero autem ſocij taliter converſantium effecti.* (b)

3. In qua Epiſtolæ ſententia tria potiſſimùm notanda veniunt. *Primum*, quòd adverſitatum, & opprobriorum tolerantiam appellet *magnum certamen*, eò quòd in horum perpeſſione non minus ſit *magnum certamen*, quàm in theatro cum robuſtiſſimis beſtiis, & ad beſtias pugnare. Nec aliud enim facit lingua procax, ac petulans; quàm quod venenoſus anguis, horrendus draco, terribilis leo, rapax lupus, moloſſus rabidus. Quæ nimirum non corpus, ſed cor, animumq; mordet, laniat, lacerat, confoditqvè. Sed in hoc magno certamine victorẽ

(a) S. Bernard. Serm. 3. inter parvos.

(b) Hebr. 10. 32.

sola coronat patientia; quam egregiè suggerit pœnitenti Religioso peccatorum suorũ reminiscentia, sæpè sæpiùs inculcando verba, licèt jam in alio sensu: *Rememoramini pristinos dies*; Quæ pristinorum dierum in delictis deperditorum recordatio ad abjectionẽ sui justam peccatis suis agnoscit pœnam, Atq; hoc fuit, quod latronis in cruce supplicium leniebat, cùm dixit: (a) *Nos quidem justè in eadẽ damnatione sumus. Nam digna factis recipimus.* Toleravit eam damnationem peccatis suis justè debitam, quæ tunc ille crimina latrocinii rememorabatur. Undè S. Gregorius exemplo Davidis ad patientiam sic hortatur: (b) *Qui verborum contumelijs pressus virtutem patientiæ servare non potest, vel non sufficit, factum David ad memoriam revocet, qui ait: Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini. Quibus verbis indicat; quia pro Bersabee insurgentem contra se filium pateretur, fugiens reduxit ad animum, malum quod fecit, & contumeliosa verba non tam convicia, quàm adjutoria esse credidit, quibus se purgari, sibiq; misereri posse judicavit. Tunc enim illata convicia benè toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.* Hucusqve Sanctissimus Pontifex.

4. *Alterum*, quod in eadem sententia notetur, est; quòd opprobria passi, fiant spectaculum aliis exemplare ad sustinenda similia: *In altero quidem spectaculum facti.* Ex quo plus in alios ad eorum ædificationem redundat fructûs, quàm si miracula patrarent; eò quòd miraculorum patratio sit tantùm utilitas ad solam Dei gloriam in Ecclesia Christi proferendam; opprobriorum autem tolerantia præter gloriam Dei, naturam gratiâ roborantis, etiam ædificat proximum, erudit, & docet, non tam verbo, quàm opere. *Tertium* observandum; quòd opprobria passi efficiantur socii talia sustinentium; id est, socii Martyrum: qui in confessione Christi, veriq; DEI, opprobria, & gravissima tormenta passi, coronam æternæ gloriæ meruerunt, & consecuti sunt.

(a) Luc. 23. 4. (b) S. Greg. l. 30. Mor. c. 9.

5. Igitur & Religioſus inter opprobria, injurias, & humiliationem ſui patiens non tantùm ſocius eſt Martyrum, ſed etiam eſt alter quidam Martyr, martyrii lauream in via pœnitentiæ conſecutus; utpotè, qui ſeipſo major naturam ipſam, ſive ſemetipſum vicerit, cæteroqui corporis viribus imbecillus; at animo, urbium, & Orbis expugnatore fortior, validiorqvè, factus *ſpectaculum*, & omnibus in publico opprobriorum theatro admiratio, ceu thaumaturgus aliquis, & inuſitati miraculi patrator. Hinc dignum eſt conſideratione, quod in probroſa Chriſti Domini morte, quæ nihil à latronum ignominioſiſſimo ſupplicio differebat, contigit. Propter populi Iſràël converſionem, ut crederent eſſe verum in ipſorum lege promiſſum Meſſiam, multa patrabat miracula idem Filius Dei. Sanabat vel contactu ſuo, vel ſolo verbo morbos ægrorum à Medicis depoſitorum; mortuos ad vitam reſuſcitabat; ſuper tumentes maris undas ſicco pedum inambulabat veſtigio; quinqve panibus alibi, duobusq; piſcibus; alibi ſeptem itidem panibus, & paucis piſciculis, hominum multa millia ſatiabat; (a) ac deniq; plurima faciebat, ſuæq; divinitatis oſtendebat ſigna. Sed nuſquam in tota Chriſti Domini ſuper miraculis ejus hiſtoria reperire poſſum id, quod in ejus probroſa morte notat beatus Lucas Evangelii Scriptor; quòd videlicet (b) *omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* In qua deſcriptione duo obſervo.

6. *Primum*, quod dicitur: *Aderant ad ſpectaculum iſtud.* Hìc enim quæro. Nonné Chriſtus Dominus non ſolùm quantum ad innumera, quæ patrabat, miracula; ſed etiam ipſe, quâ Deus, & homo, totus in hac mortali vita, quâ (c) *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, fuit quoddam *ſpectaculum?* Ita certè. Nam ad uſurpandum oculis hoc *ſpectaculum* totus

(a) *Matth.* 14. 13. *Marc.* 6. 32. *Joan.* 6. 11. (b) *Luc.* 23. 48. (c) *Bar.* 3. 38.

confluebat mundus; id quod vel ipsa Pharisæorum confitetur invidia: (a) *Ecce mundus totus post eum abit.* *Spectaculum* fuit & Angelis; quando ad ejus admirabilem Nativitatem Cœlo delapsi divinam ejus Majestatem membris humanis velatam ut adorarent, certatim convolàrunt: (b) *Facta est cum Angelo multitudo militiæ Cœlestis laudantium Deum.* Posteà quando magni certaminis illius in deserto contra tentatorem diabolum suscepti, spectatores aderant, & gloriosâ ei victoriam gratulando *accesserunt, & ministrabant ei.* (c) *Spectaculum* fuit & hominibus; quando longinquis è regionibus Orientis advolaverunt, & jacentem in cunis Cœli terræqvè Regem adoraverunt Magi; *Intrantes in domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus; & procidentes adoraverunt eum.* (d) Deniq; in omnibus admirandis operibus suis ubiqve Christus verè fuit *Spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus*; & tamen Sacri Scriptores huic Cœlesti thaumaturgo nunquam spectaculi nomen adscribunt, nisi in ejus supplicio probrosissimo, ac morte, non præteriit S. Lucas; quin hâc uteretur phrasi: *Qui simul aderant ad spectaculum.*

(a) *Joan.* 13. 19. (b) *Luc.* 2. 13. (c) *Matth.* 4. 11. (d) c. 2. 11.

7. *Alterum*, quod in eadem observo descriptione, est; quòd *percutientes pectora sua revertebantur.* Bone Deus! Prodigia magna, & multa viderant aliàs à Domino patrari; viderunt, & admirati sunt etiam multi, Deum in ejus miraculis glorificaverunt; sed nunquam *percutientes pectora sua.* Cur autem in solo probroso supplicio Dominus *spectaculum* factus est? *Aderant ad spectaculum, & percutientes pectora sua revertebantur?* id est, (sicut exponit Barradius (e) in Concordia sua Evangelica) *Revertuntur à vitijs ad virtutem; pœnitentiam agunt; pectora percutiunt; corpora verberant; ac macerant?* Respondeant, & sententias edicant suas, ut volunt alii, & rationes inveniant, scio, subtiliores; ego pro judicii mei tenuitate causam hanc puto. Christus Dominus in patrandis miraculis, & in

(e) *Barrad. Tom.* 4. *Concord. lib.* 7. c. 21.

omnibus aliis operibus, quin & ipſe totus, certè fuit *ſpectaculum*: & ad ejus prodigia, atq; propter prodigia ad ipsū videndum, cognoſcendum, & audiendum verè tanquam ad *ſpectaculum* confluebant. Sed in his nunquam ipſi ſpeculi appellationem Sacri tribuerūt Hiſtorici propterea, quòd in miraculis ſola manifeſtabatur ejus divinitas, quam nullus hominum aſſequi poſſet.

8. Et licèt Judæi, maximè verò Phariſæi, calumniabantur; & opprobriis, atq; conviciis ejus doctrinam, & miracula proſcindebant; ſemper tamen blaſphemis eorum verbis, ſicut & cogitationibus, ſapientiſſimè reſpondebat, eosq; redarguebat; & ita ſolùm admirationem ſui, non autem, quod imitari poſſent, vel deberent, exhibebat. At in probroſiſſimo ſupplicio ſuo, ac morte, qvia inter innumera illata ſibi opprobria, blaſphemias, & injurias, patientiſſimus fuit, ita, ut nè verbum quidem unum reponeret blaſphemantibus inimicis; quando (a) *ſtabat populꝰ ſpectans*, (ut Sanctus ait Lucas) *& deridebant eum principes cum eis dicentes: Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat.* (b) *Alij dicebant, & exprobrantes ei blaſphemabant: Vah! qui deſtruis templum DEI, & in triduo illud reædificas; ſalva temetipſum. Si Filius Dei es; deſcende de Cruce.* Sic principes populi, ſic Pontifices, ſic Sacerdotes clamabant, illudebant, & exprobrabant ei. Quid autem ad has enormes blaſphemias, ad injurias, & exprobrationes mitiſſimus JESUS? Tacebat. Ingeminabant injurias, multiplicabant opprobria; linguas exacuebant in convicia; patientem, & jamjam exſpiraturum inter graviſſima tormenta conviciabantur, proſcindebant, & divexabant ſine miſericordia: & JESUS ad hæc omnia tacebat. Igitur inter hæc omnia manſvetiſſimus JESUS inauditum à ſæculis univerſo populo qvia patientiæ ſuæ præbuit *ſpectaculum*, *ſtabat populus ſpectans*: ideò Spiritus Sanctus in hiſtoria Lucæ, ſupplicium, & mortem illam ſpectaculi nomine eſt dignatus: *Aderant ad ſpectaculum*.

(a) *Luc.* 23. 27.

(b) *Matth.* 27. 40.

9. Quòd autem *percutientes pectora sua revertebantur*, ex hoc jam liquet, quod est propositi nostri, uti mox dicam. Non poterant durissima Judaici populi corda, quando JESUS suscitabat mortuos, langventes persanabat, illuminabat cæcos, leprosos mundabat, paralyticos, & hydropicos integræ sanitati restituebat; non poterant, inquam, pertinacissimi populi corda, visis tantis signis, quanta (a) *nemo potuit facere*, quæ fecit ipse, ad pœnitentiam emolliri. Admirationem movebant prodigia, non conversionem, nec pœnitentiam in illis operabantur. Sed ubi spectatores facti sunt incredibilis ejus inter opprobria patientiæ; tunc primùm provocabantur ad peccatorum detestationem, ad pœnitentiam: *Percutientes pectora sua revertebantur* ab hoc spectaculo in domos suas. *Revertebantur*, inquam, *à vitijs ad virtutem*, à licentia ad pœnitentiam; à cachinnis, & irrisione ad lacrymas: *Corpora sua verberabant, ac macerabant.*

10. Jam igitur ex hac Theoria manifestum est; contemptum, & abjectionem sui, contumeliarum, & exprobrationum, injuriarumq; cum silentio tolerantiam multò majoris esse perfectionis, & efficaciæ, quàm miraculorum patrationem. Nam etsi Christus Dominus non pro suo delicto aliquo, (peccare namq; non potuit humana ejus natura divino Verbo hypostaticè unita) sed pro nostrûm omnium peccatis factus ipse (sicut Apostolus ait) peccatum; passus & mortuus, Æterno Patri semetipsum obtulit Cruentum in Cruce Sacrificium: tamen qvia tanquam impostori, blasphemo, reoq; mortis, Judæorum nequam populus exprobrabat peccata, & instar sceleratissimi supplicium, ac mortem omnium probrosissimam ei imposuit, & exprobravit, ideò majorem inter hæc omnia habuit efficaciam ejus inexplicabilis in summa taciturnitate patientia, quàm ubi signa, & prodigia patraret, ut *percutientes pectora sua reverterentur*, jam pœnitentes; planè Religiosi pœnitentis optimo

(a) *Joan.* 3, 2.

ptimo documento: nunquam ipſum etiam per miraculorũ oſtenta, perfectionis eum habiturum profectum, quem tam erga Deum, quàm erga proximum, tùm & erga ſe, per humilem opprobriorum, & injuriarum tolerantiam conſequetur.

11. Sed ego jam, ut huic opellæ finem imponam, manum de tabula. Scio, me nec Lectoris ingenio, nec meo reſpondiſſe voto. Negotium hoc majoris illuminationis, ſublimioris etiam eruditionis, quàm ego ſim, requirit virum. At tu, Religioſe Lector, Vocatio tua ſi tibi cordi eſt, ſicut eſſe debet, quidquid hìc deeſſe judicas, ſi placet, vel calamo deprome, & uſui publico ſive nutantium, ſive conſtanter agentium in ſua Vocatione, expone; vel in cordis tui arcano cum Deo animi tui ſenſa fideliter age, ac devotè poſtula, ut per Sanctorum Tutelarium tuorum continuata ſuffragia tam tibi, quàm mihi tribuat finalem gratiam non ſolùm in religioſa vocatione perſeverandi, ſed etiam in eadem finali gratia feliciter moriendi.



